R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II.
8
32 C
27
ROMA

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

n.° 900

BIBLIOTECA
ROMA

Digitized by Google

~~1.3.26~~ 1.24.22.
K.11.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

MAGISTER GVILLIELMVS DE SANCTO AMORE SACRÆ
ACVLTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS DOCTOR, AC SOCIVS SORBON
PRVI OLIM PICTVS ERAT IN VITRO VETERIS BIBLIOTHECÆ

Morceau Mod. Paris.

MAGISTRI GVILLELMI DE S. AMORE. OPERA OMNIA

QVÆ REPERIRI POTVERVNT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

A. 32. C. 27

MAGISTRI

GVILLIELMI

DE SANCTO AMORE

SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGIÆ
Parisiensis è Celeberrima Domo Sorbonica
Doctoris Olim Integerrimi,

OPERA OMNIA

QVÆ REPERIRI POTVERVNT

IN QVIBVS

AD DEFENSIONEM ECCLESIASTICÆ
Hierarchiæ, & ad instructionem & præparationem
Simplicium Christi Fidelium De Periculis
Nouissimorum Temporum agitur.

CONTRA PSEVDO-PRÆDICATORES
Hypocritas, & Penetrantes Domos, & Otiosos,
& Curiosos, & Gyrouagos.

CONSTANTIÆ
Ad Insigne Bonæ Fidei Apud Alithophilos.

Anno D. M. DC. XXXII.

Digitized by Google

igitized by Google

Index eorum

Quæ in hoc volumine

Continentur.

DE Libris & doctrina Magistri Guillielmi de Sancto Amore *Ad Christianum Philalethem* Præfatio Historica simul & Apologetica Ioannis Alithophili. A pag. 1. vsque ad pag. 62.

Magistri Guillielmi de Sancto Amore ad Psalmorum Librum Præfatio cùm primùm eum prælegere inciperet. A pag. 1. post Præfationem Apologeticam vsque ad pag. 5. Desumpta est ex manuscripto codice veteris Bibliothecæ Sorbonicæ.

In Psalmum primum Commentarius imperfectus. A pag. 5. vsque ad pag. 7. Desumptus est ex eodem manuscripto codice veteris Bibliothecæ Sorbonicæ.

Concio vnica de Publicano & Pharisæo. A pag. 7. vsque ad pag. 15. Desumpta est ex eodem codice manuscripto veteris Bibliothecæ Sorbonicæ. Edita est Basileæ annô Domini 1555.

Tractatus breuis *De Periculis Nouissimorum Temporum* ex Scripturis sumptus, & à Magistro Guillielmo de Sancto Amore, & nonnullis aliis Magistris Parisiensibus ad Prælatorum preces compositus & editus. A pag. 16 vsque ad pag. 72. Desumptus est ex variis iisque maximè discrepantibus manuscriptis codicibus tam Sancti Victoris quàm veteris Bibliothe-

cæ Sorbonicæ. Editus eſt Baſileæ annô Domini 1555.

Quæſtio vnica De Quantitate Eleemoſynæ *Vtrùm liceat homini dare quicquid habet, ita quòd ſibi nihil retineat & mendicet.* A pag. 73. vſque ad pag 80 Deſumpta eſt ex manuſcripto codice Bibliothecæ Sancti Victoris.

Quæſtio vnica De Valido Mendicante *Vtrùm debeamus dare Eleemoſynam Valido Mendicanti, ſi ſit pauper.* A pag. 80. vſque ad pag. 87. Deſumpta eſt ex eodem codice manuſcripto Bibliothecæ Sancti Victoris.

Caſus & Articuli, ſuper quibus accuſatus fuit Magiſter Guillielmus de Sancto Amore à Fratribus Prædicatoribus. A pag. 88. ad pag. 110. Deſumpti ſunt ex manuſcripto codice Bibliothecæ Sancti Victoris.

Collectiones Catholicę & Canonicæ Scripturæ ad defenſionem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & ad inſtructionem & præparationem Simplicium Chriſti Fidelium *Contra Pericula imminentia Eccleſiæ generali per Hypocritas, Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, & Otioſos, & Curioſos, & Gyrouagos.* A pag. 111. vſque ad pag. 487. Deſumptæ ſunt ex variis iiſque ſatis adhuc diſcrepantibus codicibus manuſcriptis veteris Bibliothecæ Sorbonicæ, tum ex vno Bibliothecæ clariſſimi viri Domini de Harlay. Lege, mi Lector, & perlege; eſt enim primarium opus & præcipuum Guillielmi de Sancto Amore, & in quo multa ſcitu digniſſima reperies.

Tabula de Signis, per quæ Pſeudo-Prædicatores diſcerni poſſunt à veris. A pag. 487. ad pag. 490. Deſumpta eſt ex iiſdem codicibus manuſcriptis.

Sermo Magiſtri Guillielmi de Sancto Amore in die Sanctorum Apoſtolorum Iacobi & Philippi, in quo de Periculis Nouiſſimorum Temporum agitur. A pag. 491. ad pag. 504. Deſumptus eſt ex illo codice, qui Baſileæ impreſſus eſt annô Domini 1555. ſed ſublatis mendis innumeris.

AMICO SVO

Digitized by Google

AMICO SVO

COLENDISSIMO

CHRISTIANO

PHILALETHI

Ioannes Alithophilus.

De Libris & Doctrina Magistri Guillielmi De Sancto Amore.

GVillielmi de Sancto Amore, Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis è celeberrima Domo Sorbonica Doctoris olim integerrimi, opera omnia quæ reperiri potuerunt; in primis autem Tractatum *De Periculis Nouissimorum Temporum*, qui magnam illi, dum viueret, conflauit inuidiam, Tibi & Posteris bonâ fide repræsentamus, AMICE MI COLENDISSIME; vt & tanti viri tam eximia monimenta non pereant; tum maximè, vt eius famæ ac honoris integritas (quâ apud plures incautè deceptos malè audit) hôc sęculô (si modò veritatis amans est) ex æquo & iusto resarciatur. Nam (quod vix ac ne vix quidem credideris) Doctorem Theologum, virum pium, spectatæ famæ, inculpatæ vitæ, multis, qui tum viuebant, Franciæ Episcopis amicum & familiarem; in primis verò Roberto de Sorbona totô orbe inclytæ Domus Fundatori adeò summè charum & ita probè notum, vt eum etiam in suum Sodalitium acciuerit; vnô verbô,

virum verè venerabilem & in fide firmum, ſemper apud ſuos, ſicut & apud alios, æquos tamen rerum æſtimatores, bonæ memoriæ fœliciſque recordationis; vt hæreſeos crimine infamem, & hôc vel ſolô nomine omnibus Bonis execrandum, paſſim multi tum credunt, tum venditant. Quis hoc ferat? & quem, amabo, eorum, qui rerum tunc temporis geſtarum hiſtoriam probè tenent, non mouebunt, aut excitabunt hæ in virum probum iactatæ contumeliæ? Ergone Sorbonici Pariſienſes, Fratrem ſuum de ſe ac de tota Academia, ſi quis vmquam, optimè meritum, atque adeò ſibi iure colendiſſimum, ab hoc ei falſò atque per calumniam impoſito ſcelere non vindicabunt? aut ſi taceant neſcio quô timore perterriti; itane cordati Homines, qui non trepidant timore vbi non eſt timor, memoriam eius ſinent eſſe in maledictione, quæ in benedictionem eſſe debuit? Abſit, abſit, AMICE MI COLENDISSIME. Auxilium veritati veniet à longinquo; & quem apud Suos debuerat inuenire Defenſorem, inuenit apud Exteros. Et rectè; quãtum enim diſtat lux à tenebris, verum à falſo; tantum profectò huius viri doctrina ab hoc tam infami crimine recedit. Ergo ad opus te accinge; vt ſi in eorum es numero, apud quos hactenùs exoſus fuit Guillielmus noſter, ſtatim eum amare, eum amplecti, eum tueri incipias; vbi eius doctrinam in hoc libro traditam, doctrinam eſſe Patrum, immò Conciliorum, immò Scripturæ Sacræ agnoueris.

At inquies. Itane Scripturæ Sacræ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum doctrinam appellamus eam, quam Alexander quartus Pontifex Maximus ſuâ cenſurâ notauit, ac *Tamquam iniquam, ſceleſtam, & execrabilem, & documenta praua, falſa, & nefaria continentem* reprobauit, & in perpetuum authoritate Apoſtolicâ de Fratrum ſuorum conſilio condemnauit? Hîc, hîc, AMICE MI COLENDISSIME, totius rei cardo vertitur; hoc vnicum eſt momentum, cui innituntur omnes, quibus Guillielmus noſter ab antiquo diſplicet. Sed ſuſtine tantiſper, obſecro, & ego ſtatim de re tota te faciam certiorem. Dicam enim, ſi moram dederis, quæ cauſa fuerit Guillielmo noſtro, vel potiùs Magiſtris Pariſienſibus, hunc libellum euulgandi; quô pactô ſit eum tutatus, dum viueret; quid eapropter egerit; cur, & quomodò fuerit à Summo Pontifice condemnatus; & alia plæraque multa, quæ ad huiuſce rei intelligentiam pertinent, quæque deprompta ſunt fideliſſimè ex actis publicis authenticis, ac

libris omni exceptione maioribus; maximè verò ex antiquo Parisiensis Academiæ Tabulario, cuius copiam abundè mihi fecit Amicorum meorum beneuolentia, dum non ita pridem versarer ego Parisiis. Ex quibus profectò facilè poteris agnoscere, Guillielmum nostrum, non modò falsò atque per calumniam fuisse delatum apud Summum Pontificem, & absentem indictâ causâ condemnatum; verùm etiam, dum primùm coram suis Aduersariis sibi causam dicere licuit in Curia Romana, adeò fortiter pro veritate pugnauisse, ac ita clarè de doctrina & innocentia sua rationem reddidisse, vt sedentibus pro tribunali quatuor Cardinalibus, ab omnibus Fratrum Prædicatorum impetitionibus immunis tandem pronuntiatus fuerit & absolutus. Sed hic siste gradum, paucis enim te volo.

In primis scias velim, Magistrum Guillielmum de Sancto Amore (ita fortè nuncupatum ab illo natalis soli oppido, quod etiamnum apud Sequanos visitur) olim Theologiam in Academia Parisiensi maxima cum laude docuisse; ac ex eo docendi munere tantam ac tam illustrem nominis existimationem apud omnes retulisse, vt inter tot & tantos, tamque præstantes & eximios viros, quos tum sinu suô fouebat Academia Parisiensis, omnium votis, & vnanimi consensu (quantumcumque ab Ecclesia Bellouacensi ad obeundum Canonici muneris officium reuocaretur) vnus demùm electus fuerit, qui causam Academiæ contra Dominicanos ageret, eorumque subdolas artes & astuta molimina (quibus in alienas possessiones, inuitis Dominis, irruerant) intrepidus, animô forti & inconcussô compesceret. Vnde, cum in obeundo hoc munere perquàm fortiter & strenuè in gratiam Academiæ sese gereret, tantam ac tam iniquam sibi apud istos Fratres conciliauit inuidiam; vt tibi mirum videri non debeat, si qui olim sparsis hinc inde falsis rumoribus, multisque fictis & ad libitum compositis delationibus Guillielmum nostrum apud Summum Pontificem immaniter oppresserint; ijdem nunc, odiô veteri recrudescente, memoriam eius (quæ aliàs esset in odorem suauitatis) in priuatis & publicis colloquiis, quà voce, quà scriptô, miserè lanient ac discerpant. Nimirum. *Tantæ sunt animis illis cœlestibus iræ.* Sed ad rem aggredior, & causam tanti dissidij ac toties decantatæ contentionis, quia postulas, non flagitas, aperio.

Annô Domini millesimô ducentissimô vigesimô octauô

Digitized by Google

ſub ætate pupillari Sancti Ludouici Francorum Regis, & regentia Blancæ Reginæ Matris, turbatis Academiæ rebus ob cædem aliquot Scholaſticorum factam ab armatis Satellitibus; cum eam ob cauſam Academia Pariſienſis ius & æquum impetrare non poſſet, & eapropter (dimiſſis de more ſtudiis iuxta conſtitutionem Gregorij noni Summi Pontificis, quæ id expreſsè iubebat Academicis) partim Remos, partim Andegauum ſeceſſiſſet; Dominicani, qui ab initio ſuæ inſtitutionis elegerant in humilitate perfecta Chriſto Domino famulari, neſcio quô tandem ducti ſpiritu, contra Euangelicam perfectæ humilitatis regulam, quâ dicit Dominus ad Perfectos *Nolite vocari Rabbi*, honorem Magiſterij in Theologia, & Cathedras Doctorales ad publicè legendum & profitendum Theologiam, quàm impenſiſſimè ambierunt. Vnde captatâ tam opportuni temporis occaſione, in illa paucitate Scholarium qui Pariſiis remanſerant, conuenientibus Epiſcopô Pariſienſi & Academiæ Cancellariô, in abſentia Magiſtrorum Theologiæ, ſolemne Magiſterium adepti ſunt, & in vnam Cathedram Magiſtralem inuaſerunt. Dein autem reſtitutô quatuor poſt annos Pariſiis ſtudiô & Apoſtolicâ prouiſione reformatô, cum iam animaduertiſſent Magiſtros Academiæ nihil impedimenti ſuis cœptis attuliſſe; tandem hac nimiâ indulgentiâ audaciores facti, diſſimulantibus adhuc nonnullis Academicis (qui nondum aliis Regularium Scholaſticorum conuentibus arctabantur) alteram Cathedram Theologicam, inuitô etiam Pariſienſis Academiæ Cancellariô, erexerunt; ſicque duas illas Cathedras Theologicas & Magiſtrales, talibus titulis acquiſitas, aliquandiu tenuerunt. Porrò, tempore procedente, cum iam Dominicani per alias vrbes & prouincias ſcholas Theologiæ, multiplicatis ſibi Doctoribus, aperuiſſent; Magiſtri Academiæ timentes, ne ſi ad libitum ita ſcholæ multiplicarentur, & omnes alij Religioſorum Ordines ad inſtar Dominicanorum duas etiam Cathedras Magiſtrales adipiſci niterentur, ipſi demùm Sæculares, qui Academiam Pariſienſem erexerant, à legendo publicè Theologiam arcerentur; tandem hoc decretum communibus votis ſolemniter edixerunt. *Vt nullus Regularium Conuentus duas ſimul Cathedras ſolemnes & Theologicas in poſterum obtineret.*

Verùm, quamuis hoc decretum fuiſſet iuſtis de cauſis ab

omnibus Academicis ſolemniter conſtitutum, nec per illud intendiſſent Academici Dominicanos aut alios Religioſorum Ordines ita arctare, quominùs liceret eis inter Fratros ſuos Theologiam profiteri; nihilominùs tamen Dominicani, qui ſupra quàm dici poteſt ſolemne Magiſterium appetebant, nequaquam adduci potuerunt, vt ex eo quicquam aliquatenùs obſeruarent. Quinimò, annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô, cum in magna cordis anguſtia conſtituti eſſent Academici, eô quod ſubortâ contentione inter Ciues Pariſienſes & Scholaſticos circa tempus quadrageſimale, aliquot Scholaſtici partim interfecti, partim vulnerati, & in vincula coniecti, atque aliis iniuriis affecti fuiſſent, atque adeò de reſarciendis iſtis iniurijs omnes ſeriò cogitarent, editô etiam ſolemni decretô, *Vt ſi non fieret ſatis Academiæ Pariſienſi, iuxta conſtitutionem Apoſtolicam Gregorij noni omninò ceſſaretur à lectionibus per Vniuerſam Academiam*; Dominicani, qui iam videbant ſe Potentum ſtudiis, & Magnatum gratiâ plurimùm auctos, illicò in tantam proruperunt audaciam, vt etiam aſſererent *Sę numquam eſſe huic decreto obtemperaturos, niſi Academici ſub ſigilli ſui communis teſtimonio duas illis cathedras Theologicas & Magiſtrales in perpetuum concederent.* Vnde cum omnes Academiæ Magiſtri Dominicanis hanc gratiam facere recuſarent, & exciperent *In negotio, de quo tunc agebatur pro reparatione iniuriarum toti Academiæ illatarum, nequaquam agi de Cathedris, idque omninò eſſe extra propoſitum; inſuper Dominicanos hoc Vnum intendere, Vt ſua ſemper captarent commoda ex Academiæ incommodis*; certè iſtud diſſidium in cauſa fuit, vt per ſeptem hebdomadas integras Academia Pariſienſis continuis motibus æſtuarit, donec tandem, inuitis etiam Dominicanis, omnes illatæ exæquo reſarcitæ ſunt iniuriæ.

Igitur pace partâ toti Academiæ, cum iam Academici dare vellent operam, ne quis in poſterum ſtatutis Academiæ procaciter repugnaret, vnanimi conſenſu ſequens decretum ſolemniter edixerunt *Ne Vllus deinceps in conſortium Magiſtrorum admitteretur, niſi priùs editô ſolemni ſacramentô ad ſeruanda Academiæ ſtatuta ſeſe obſtringeret.* Et ne Dominicani pro ſua veteri conſuetudine aliquid moræ aut difficultatis huic decreto ſubſcribendo necterent, quaſi minùs eſſet eorum regulis & inſtitutis conſonum, in eorum gratiam Academici

hanc ſequentem ſtatuto ſuo addidere clauſulam. Nimirum *Dum mihi, qui Fratrum Prædicatorum Regulam profiteor, dicta ſtatuta ſecundùm eamdem Regulam non ſint illicita, nec inhoneſta, nec ſaluti animarum contraria, nec iuri humano aut diuino, ſeu etiam publicæ vtilitati aduerſa, nec Sanctæ Dei Eccleſiæ damnoſa.* Verùm Dominicani, qui nihil aliud meditabantur, quàm ſuas illas proteruas rebelliones in æternum protrahere, iterum palam & publicè conteſtati ſunt *Se nullatenùs vnquam in hoc ſtatutum eſſe iuraturos, niſi hoc ſibi concederent Academici, vt duas illas Theologicas & Magiſtrales Cathedras in perpetuum poſſiderent.* Vnde cum Magiſtri Academiæ compertum haberent & exploratum, in vim conſtitutionum Apoſtolicarum, omnes, qui ſtatutis Academiæ parere recuſarent, in cenſuras Eccleſiaſticas incurrere; eam ob rem, poſt elapſum quindecim dierum ſpatium, præhabitis etiam neceſſarijs monitionibus, à Societate Scholaſtica Magiſtrorum Sæcularium Dominicanos Fratres ob eorum peruicaciam ſegregarunt, & ſeparationis illius decretum per omnes ſcholas Academiæ promulgari mandauerunt. Sed quid tum poſteà?

Nimirum Dominicani, qui ad hoc decretum magis quàm Religio Chriſtiana ferre poterat excanduerant, obliti verborum Dei ſic apertè præcipientis *Mihi vindicta, & Ego retribuam*; extemplò, collectis in vnum omnibus ſuis viribus, omnem mouerunt, vt aiunt, lapidem, vt etiam per fas & nefas eam, quam ſibi fieri putabant, iniuriam vlciſcerentur; atque adeò, cum optimè tenerent præceptum eſſe Apoſtolicum *Beneficentiæ nolite obliuiſci*, omnem etiam exuerunt humanitatem, vt impunè eſſe poſſent acceptorum beneficiorum immemores. Et ſanè eô animô calcaneum erigentes aduerſùs Academiam Pariſienſem, quæ eos, dum primùm Pariſios appellerent, fundô illô donauerat, in quo etiamnum eorum Conuentus & Eccleſia cernitur; in eam tantas ac tam putidas euomuere calumnias, vt omnes Academicos breui docuerint veritatem illius Prouerbij *Mus in pera, Serpens in ſinu, Ignis in gremio, male ſuos remunerant Hoſpites.* Scilicet omnes Academicos, non ſecùs ac ſi Dei cultum & religionem impugnarent, per excogitatam malitiam miſerè laniantes, & in eorum capita exitiali quodam odiô pericula teterrima machinantes, Alphonſo Comiti Pictauienſi (qui vt Regis Frater, abſente Rege, & ſuis illis tranſ-

Digitized by Google

marinis expeditionibus occupatiſſimô, cum Blanca Regina Matre Regni Franciæ gubernacula moderabatur) aſſiſtentibus ei Curiæ ſuæ Proceribus, multiſque etiam Academicis præſentibus, perſuadere conati ſunt *Omnes Academicos ſtatuta contra Deum & Vniuerſalem Eccleſiam edidiſſe, nec non conſpirationes illicitas contra Domini Regis honorem & Regni commoda perpetraſſe.* Immò, nec dum tantis Academicorum calamitatibus ſatiati, ad Sedem Apoſtolicam accedentes, & apud Summum Pontificem & Eminentiſſimos Dominos Cardinales, omnes omnium Academicorum Ordines grauiter diffamantes, & cauſas ſuæ ſeparationis omninò ſubticentes, nullo ex parte Academicorum ibi præſente, multoque minùs auditô, per exquiſita precum mendacia ab Innocentio quarto Summo Pontifice literas quaſdam ſubreptitias extorſerunt; quibus Ebroïcenſi Epiſcopo Dominicanis Fratribus addictiſſimo facultas deferebatur *Dominicanos in Academiæ conſortium immittendi, & Academicos repugnantes cenſuris Eccleſiaſticis obſtringendi.* Vnde Academici, cum primùm hæc ad eorum notitiam peruenerunt, Alphonſum Comitem Pictauienſem adierunt, eique ſimul & ſemel exactiſſimè narrauerunt quàm iniqua & intoleranda paſſi eſſent à Dominicanis, ac ei vltrò ſpoponderunt *Se ad eius preces, & ad euitanda multorum ſcandala, qui de inſolentijs Dominicanorum obſtupeſcebant, maximè ob reuerentiam Conſtitutionis Apoſtolicæ, non recuſaturos eſſe, quominùs Dominicani in Academiæ conſortium prouiſoriè admitterentur* MODO SALVA MANERENT ACADEMIÆ STATVTA, *quoaduſque Summus Pontifex, qui inauditis partibus de re tota ſtatuerat, duxiſſet aliter ordinandum.* Sicque videbatur tota lis facilè componenda.

Verùm Dominicani (qui, vt exitus probauit, ſubigendam triumphandamque ſuſceperant Academiam) tam iuſtis ac tam æquis conditionibus acquieſcere detrectantes, ſedulam illicò nauauerunt operam, vt Epiſcopus Ebroïcenſis Magiſtro Lucæ Canonico Pariſienſi Dominicanis admodùm obnoxio, Academicis autem infenſiſſimo, ad Apoſtolicas literas executioni demandandas, ſuas vices delegaret, in eumque finem & nullô negotiô ſecundas à Curia Romana literas habuerunt. Porrò Magiſter Lucas, cùm has ſecundas accepiſſet literas, omni iuris ordine prætermiſsô, inauditis Academicis, nedum ad ſuam defenſionem in iudicium euocatis, omnes omnium Facultatum

Ordines non tantùm ſuſpenſos fecit ab officio ; verùm etiam (quod apertæ violentiæ ſignum eſt) non obſtante legitimâ appellatione de tam iniquis vexationibus interpoſitâ, ad maiorem Academicorum omnium totiuſque Cleri contumeliam, per omnes Vrbis Parochiales Eccleſias, in præſentia Laïcorum (qui exinde grauiſſimum ſcandalum patiebantur) ſuſpenſionis illius ſententiam vnó die Dominicô curauit publicandam.

Et ne quicquam intentatum Dominicani relinquerent, cum propter nouos Scholaſticos ſuperuenientes & rei ſeriem penitùs ignorantes, memoratum ſeparationis edictum, quô Dominicani ſeparabantur ab Academicis, per vniuerſas ſcholas, vt omnibus innoteſceret, iuberent Academici à ſuis Bidellis & Apparitoribus iterum promulgari; vbi ad Dominicanorum Collegium ventum eſt, vnô Bidellorum incipiente decretum Academiæ legere, Fratres omnes, qui tunc aderant, agmine factô, & cum magna vociferatione & ſtrepitu, in ipſos Bidellos irruentes, ſchedulam illam, in qua deſcriptum erat Academiæ decretum, de legentis manibus rapientes lacerarunt, & aliô Bidellorum pulſatô, tertium vſque ad effuſionem ſanguinis percuſſerunt. Tandem ijs ad Rectorem Academiæ cum euentus ſui relatione reuerſis, idem Rector aſſumptis ſecum tribus Magiſtris in Artibus ad eamdem ſcholam accedens, cum idem decretum in alia chartula deſcriptum legere conaretur, ipſe ab ijſdem Fratribus ſibillis & clamoribus peſſimè acceptus, multiſque putidis calumnijs laceſſitus, quaſi ſubtus veſtem Rectoriam arma gereret, inde tandem infectô negotiô diſcedere coactus eſt, poſtquàm ad probandam ſuam innocentiam exutâ veſte Rectoriâ omnibus palam ſeſe palpandum inſpiciendumque præbuiſſet.

Quid plura? vix dum completis tantis ac tam nefandis iniquitatibus, adhuc memorati Fratres, ac ſi nihil reſidui facere voluiſſent ad ſuam improbitatem oſtendendam, ad fraudes & technas, & vt ita dicam, falſitatis machinamenta ſeſe nequiter conuertentes, ab eodem Executore ſuo Magiſtro Luca Pariſienſi Canonico literas quaſdam, etiam proprió ſigillô munitas, per incredibilem aſtutiam extorſerunt; quibus fidem contra fidem faciebat *Quadraginta ex antiquioribus & celebrioribus Magiſtris Academiæ cum multis alijs Scholaſticis, quos prædictæ literæ propriis etiam nominibus referebant, apud ſe coràm declaraſſe ſe in ea eſſe ſententia*, VT QVOTQVOT EX ACADEMICIS, QVI

ALIQVANDO

ALIQVANDO SCHOLAS ACADEMIÆ REXERANT, AD ORDINEM DOMINICANORVM TRANSMIGRARENT, OMNIBVS IVRIBVS ET PRIVILEGIIS ACADEMIÆ, SICVT ANTEA CONSVEVERANT, FRVERENTVR; AC DEMVM IN MAGISTRORVM COLLEGIVM COOPTARENTVR. Nimirum, his artibus vtebantur Dominicani, vt Academicos ab Academicis astutè diuellerent, & sic ex eis nonnullos ad defectionem prouocarent. Sed quid illis profuit eorum malitia? Vnus ex Magistris Academiæ, qui Dominô procurante prædictarum literarum exemplum habuerat, exemplum illud ad Rectorem Academiæ detulit; ac postquam est publicè lectum in solemnibus comitiis, illi quadraginta Magistri, quorum nomina literis istis continebantur, rei nouitate & Dominicanorum audaciâ obstupefacti, de illata sibi à Magistro Luca iniuria grauissimam habuerunt apud omnes querimoniam. Vnde Magister Lucas rei indignitate commotus, in facti sui detestationem, quodque tam facilè sibi obrepi atque illudi passus esset, sigillum suum, quô prædictas literas munierat, arreptâ securi duas in partes confregit, & dimidiam eius partem ad propriæ contristationis ostensionem veræque pœnitudinis significationem Rectori Academiæ tradidit, ac ei postmodùm alias literas, quibus priorum falsitatem declarabat, in erroris sui emendationem ac perpetuam rei memoriam consignauit.

Verùm tempus me deficeret, si ea omnia recensere vellem, quæ ob hoc dissidium Dominicani Fratres aduersùs Academicos exegerunt. Vnum tantùm scias, optauerim, quod est scitu dignissimum; Magistros Academiæ, qui fortè, si voluissent, etiam par pari referre potuissent, nihil aliud tot & tantis ac tam diuturnis Dominicanorum oppressionibus obiecisse, quàm publicas expostulationes & querimonias, in quibus Bonorum omnium auxilium implorarent. Quamuis enim Dominicani gratiâ, studiis, & prensationibus maximè valerent, ac in publicis & priuatis colloquiis, nec-non in lectionibus & concionibus suis nihil reliqui facerent ad causæ suæ commendationem, & potentiâ Magnatum præcipuè niterentur; nihilominùs tamen maior pars Episcoporum, Cleri etiam, & antiquorum Religiosorum Ordinum, Magistris Academiæ, quantum in eis situm erat, opitulabantur; maximè

propter eam, quam introduci videbant à Dominicanis, antiquæ diſciplinæ non tantùm Monaſticæ, ſed etiam Eccleſiaſticæ abrogationem. Igitur Academici, annò Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô tertió, ſecundum ſupputationem Gallicanam, quâ annus incipiebat à Ferijs Paſchalibus; vel certè milleſimô ducenteſimo quinquageſimô quartô ſecundùm Romanam, menſe Februarió, die Mercurij proximâ poſt Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, habitis apud Sanctum Iulianum Pauperem ſolemnibus comitijs, expoſtulatorias ad vniuerſum Clerum conſcripſerunt epiſtolas; in quibus enumeratis omnibus & ſingulis, quæ ex ijs hactenùs bonâ fide retulimus, ita tandem vniuerſos Eccleſiæ Gallicanæ Prælatos ed eximendam Academiam compellarunt. *Nos publicâ vniuerſalis Eccleſiæ vtilitate inſpectâ, non propter nos tantùm, ſed propter quædam maiora, quæ imminent, cupientes dictam veritatem omnibus notam eſſe, prædictorum ſummam colligendo, breuiter terrores, & oppreſſiones, & alia inopinata grauamina, quæ nobis* Dominicani Fratres *ingerunt inſolenter; prætermiſſis plurimis, quæ nobis per Laïcorum potentiam, quos ſibi miris modis alliciunt, moliuntur; Diſcretioni veſtræ* PATRES AC DOMINI REVERENDI *præſentium tenore duximus intimanda; quatenùs qui diuinæ prouidentiæ clementiâ Patres eſtis, aliquando vos fuiſſe Filios recolentes, nobis nunc Filijs paternô affectu compatiamini; & prædictæ inſolentiæ quid prætendant, quantaque pericula ſequutura immineant, diligenter & perſpicaciter attendentes (præſertim qui dati eſtis ſpeculatores Domui Iſrael) ſpeculas aſcendentes proſpiciatis & contemplemini; & ſi expedire videritis, modis, quibus ſecundùm Deum poteritis, prouidere curetis.* Harum literarum initium eſt *Excelſi dextera*; ſuperſcriptio autem *Reuerendis in Chriſto Patribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis, Abbatibus, Archidiaconis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, nec-non Capitulis, & Scholaribus vniuerſis, Vniuerſitas Magiſtrorum & Scholarium Pariſius ſtudentium Salutem in Domino ſempiternam.*

Porrò Matthæus Pariſienſis Monachus Benedictinus illorum temporum teſtis oculatus atque adeò Scriptor longè fideliſſimus & accuratiſsimus *In vita Henrici tertij Anglorum Regis* totam hanc controuerſiam ita deſcribit ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum tertium. *Diebus eiſdem orta eſt diſcordia inter Vniuerſitatem Pariſiacam Scholarium*

& Fratres Prædicatores, qui in tantum iam multiplicati sunt & exaltati, Regum facti Confessores & Consiliarij, vt veteribus & approbatis consuetudinibus & iuribus Scholarium renuissent subiacere. Congregati igitur Scholares collectam fecerunt, & contribuerunt, scilicet quilibet secundùm posse suum, & cuiuslibet communia hebdomadis abbreuiata est, vt inde cornua sumpserint Fratres memorati; habebant enim in Curia amicos magnæ potestatis, scilicet Dominum Fratrem Hugonem de Ordine Prædicatorum; immò ipsum Papam, & multos Potentes. Effusa igitur multa pecunia & perditio hinc inde, multimodô labore, mutatis quibusdam consuetudinibus, Parisiensibus pax est tandem reformata. Vnde constat Magistros Parisienses non tantùm esse conquestos de Dominicanis apud omnes Ecclesiasticos Ordines; sed etiam Procuratores suos & Nuntios ad Romanam Curiam destinasse, atque adeò eiusce rei gratiâ quotidiano demenso peperciſſe, vt ab Innocentio quarto Pontifice Maximo, qui Dominicanos immensis, quibusdam priuilegijs auxerat, impetrarent, quatenus effrænatissimam illam Dominicanorum audaciam tandem aliquando omninò cohiberet.

Igitur annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô quartô, tam ſecundùm Gallicanam, quàm ſecundùm Romanam ſupputationem, rogantibus, immò verò procurantibus Academicis Pariſienſibus, Innocentius quartus Pontifex Maximus, qui anteà Dominicanis Fratribus impensè nimiùm fauerat, diuinô tandem afflatus ſpiritu, & volens, vt ipſemet loquitur, *Frænô iuris transgressionum iniurias cohibere, ac singulis Ecclesiis & earum Ministris iura sua omnimode illæsa seruare, contra excessus quorumdam Regularium* (maximè verò Dominicanorum, qui in deſtructionem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſuis priuilegijs paſſim abutebantur) *nihil nouum in cuiusquam inducendo grauamen, sed antiqua & moderna iura in medium deducendo* Conſtitutionem illam Apoſtolicam, cuius initium eſt *Etsi animarum*, edidit, in eaque ſanctiſsimè quæ hîc ſequuntur ordinauit. Nimirum. *Quod nulli Regularium Parochianos alienos diebus Dominicis & Festiuis recipiant temerè ad diuina; nec eos admittant ad pœnitentiam absque licentia proprij Sacerdotis, vel saltem nisi primò confessi fuerint proprio Sacerdoti, & munus absolutionis consequuti fuerint ab eodem. Et ne Parochialibus Ecclesiis deuotio debita subtrahatur, ante Missarum solemnia, ad quæ audienda primâ dicti par-*

te in ſuis conſueuerunt & debent Eccleſiis conuenire, Parochianis alienis nequaquam in ſuis Eccleſiis prædicta, nec horâ ipsâ ſolemnes ſermones faciant; ne propter hos audiendos ad eos populus confluens Parochiales Eccleſias derelinquat. Sed nec ad prædicandum ſolemniter ad alienas accedant Parochias, niſi à Sacerdotibus ipſarum Parochiarum fuerint inuitati; vel ſaltem niſi ad id humiliter petierint & obtinuerint ſe admitti. Vnô verbô interdixit Dominicanis aliiſque Regularibus *Quominùs functiones Hierarchicas inuitis Ordinarijs exercerent.*

Etſi autem Innocentius quartus Pontifex Maximus hôc ſuô decretô iuſtiſsimô de rebus ad Academiam pertinentibus nihil omninò ſtatuerit, ſed Dominicanos vti frui liberè permiſerit Academiæ iuribus & priuilegiis, in quorum poſſeſsionem non ita pridem inuaſerant; nihilominùs tamen ab illo tempore adeò proſtrati Dominicani Fratres & veluti conſternati, vt iam affectô quodammodò fauore ſuô & magis ac magis in dies inclinante, ab vrgendis ſuis illis iniuſtiſsimis vſurpationibus aliquantulùm ceſſauerint. Porrò dum Dominicani Fratres paulò mitiùs quàm anteà ſeſe gererent erga Pariſienſem Academiam, atque etiam Academici Pariſienſes ſibi pacem quodammodò partam eſſe ſuſpicarentur & crederent; ecce de repentè mortuô Summô Pontifice Innocentiô quartô (quem *ex mirabilibus Litanijs Dominicanorum* ſupremum diem obiiſſe non minùs impiè quàm impudenter narrat Antonius Senenſis Dominicanus *In Chronico Fratrum Ordinis Prædicatorum*, adeò vt etiam ab illo tempore apud Cardinales & Epiſcopos in adagium abierit *Cauete à Litanijs Prædicatorum, quia mirabilia faciunt*) ſuffectô etiam in eius locum Alexandrô quartô Dominicanis addictiſsimô; Dominicani (qui, vt rebus ſuis melius conſulerent, altum preſſerant corde dolorem, & eum aſtutè diſsimulauerant) extemplò palam & apertè multò altiùs quàm anteà caput extulerunt, & antiquum diſsidium (quod tantùm ore tenus eiurauerant) infandis ſuis auſibus iterum atque iterum refricarunt. Nimirum, quamprimùm Alexander quartus aſſumptus eſt ad Pontificatum, hoc illi primùm in animum induxerunt ſuis illis bellis blanditijs & adulationibus, vt Bullam Innocentij quarti, quâ cogebantur in ordinem, veluti ſubreptitiam, & vt ipſemet Pontifex loquitur in Bulla, quæ incipit *Nec inſolitum* & quæ ad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos in huiuſce rei gratiam directa eſt *Præter formam*

communem & solitam per occupationem & festinantiam editam annò Domini milleſimò ducenteſimò quinquageſimò quartò, vndecimò Calendas Ianuarij, de poteſtatis ſuæ plenitudine penitùs abrogaret. Hoc eſt (ſi Ciaconio etiam Dominicano credimus) tribus antè diebus quàm Summus Pontifex eſſet renuntiatus, vt ſic eius Bulla, quæ Conſtitutionem Innocentij quarti ſubreptionis ac nimię feſtinationis arguebat, ab omni ſaltem ſubreptionis & nimiæ feſtinationis ſuſpicione remotiſſima eſſe crederetur. Nimirum obſeruat Ciaconius in libro *De Vitis Pontificum*, In Vita *Alexandri quarti*, Innocentium quartum Idibus Decembris Neapoli mortuum, & octauò Calendas Ianuarij die Natalis Domini Alexandrum quartum in Summum Pontificem cooptatum.

Porrò, Dominicanis ita de repentè præter omnium expectationem in integrum reſtitutis, Alexander quartus Pontifex Maximus eorumdem lenocinijs atque faſcinationibus magis ac magis in dies irretitus, ex priuilegijs (à quibus eos deiecerat Innocentius quartus) ad Vniuerſitatem Pariſienſem gradum faciens, eam breui ſubigendam triumphandamque Dominicanis tradidit, aggeſtis in cumulum cenſuris innumeris. Et ſanè quadraginta ferè Bullas in Mendicantium, præſertim autem Dominicanorum gratiam edidit, quibus ita Pariſienſium Academicorum animos fregit, vt pulſis in exilium & excommunicatis omnium Magiſtrorum generoſiſſimis atque fortiſsimis, tandem improbitati temporum cedere coacti fuerint, & omnium Mendicantium tyrannidem vſque in hodiernum diem experiri. Sed hîc præſtat audire Matthæum Pariſienſem illorum tempo- Scriptorem fideliſſimum, ad annum Chriſti milleſimum ducenteſimum quinquageſimum quintum, huiuſce rei hiſtoriam ita breuiter enarrantem. *Eiſdem quoque diebus*, inquit, *orta eſt grauis diſſentio inter Vniuerſitatem Pariſienſem Scholarium & Fratres Prædicatores, qui contra antiquam Ciuitatis & Vniuerſitatis conſuetudinem numerum limitatum Legentium in Theologia intenderunt ſine Vniuerſitatis aſſenſu ampliare. Tandem, licet Rex ipſe Francorum intenderet libertatem ſaluare Scholarium Vniuerſitatis, ſimiliter & Ciues; ipſi Prædicatores Domino Papæ deuoti, & propter eorum multimoda obſequia ipſi Curiæ gratioſi, in hac certamine meliorem calculum reportarunt. Data eſt igitur ſententia à Domino Papa pro Fratribus Prædicatoribus & omnibus Religioſis, vt legant*

deinceps licenter in Theologia, non consideratô numerô Legentium qui antiquitùs tenebatur certò limitatus. Hæc sententia lata est ab Alexandro quarto die decimâ quartâ Aprilis annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô quintô, Pontificatus sui primô, in Bulla quæ incipit *Quasi lignum vitæ*, & de qua toties habetur mentio in Bullis Alexandri; in ea enim expreſsè iubebatur, *Vt Academici Dominicanos omnes* (maximè autem *Bonum Hominem & Eliam*, qui primi ex Dominicanis Cathedras Magiſtrales & Theologicas inuaſerant, atque adeò totam rebellionem excitauerant) *in Academiæ consortium societatemque ſcholaſticam omnium iurium & priuilegiorum admitterent; aceos demum tot Cathedris, quot eis placeret, vti frui libere permitterent.* Atque vt hæc omnia quantociùs executioni mandarentur, eodem ipsô die data est & altera Bulla ad Aurelianenſium & Altiſſiodorenſium Epiſcopos *Quatenus predictam Sedis Apoſtolicæ conſtitutionem facerent inuiolabiliter obſeruari*; conceſsâ etiam neceſsariâ poteſtate *vt eos, qui contradicerent, cenſuris Eccleſiaſticis omninò compeſcerent.* Sicque vulnus antiquum peiùs quàm anteà recruduit; Dominicanis & Academicis seſe mutuò miserè laniantibus.

Et quidem Dominicani, qui callidè sapiebant, cum viderent res suas faciliùs multoque fœliciùs sibi esse succeſsuras, si non in totam Academiam, sed in aliquos tantùm ex Academicis agerent, vt potè priuatos homines, & quorum non esset quæ totius Vniuerſitatis authoritas; de repente nonnullos aggreſsi sunt veluti ex compoſito suis putidis mendacijs exquiſitiſque calumnijs opprimendos. Quoniam autem inter eos præcipuus erat Magiſter Guillielmus de Sancto Amore, *Vir*, vt ait Naucletus in Chronico, *magnæ ſcientiæ & opinionis*, vt potè in quem solum, vt anteà monuimus, tota res Academica propemodùm tunc temporis inclinata recumbere videbatur; in eum veluti totius exercitus Anteſignanum truculentâ ferociâ tela sua coniecerunt. Ac primò quidem quæcumque tam contra validos Mendicantes (quales erant *Trutanni & Beguinæ & Boni Valeti*, & alii nonnulli, qui dicebant *Numquam operandum manibus, ſed inceſſanter orandum; & ſi homines ſemper ſic orarent, nec vnquam manibus operarentur, tunc terram plures fructus allaturam*) quàm contra Pseudo Prædicatores Hypocritas & Penetrantes domos, & Otioſos, & Curioſos, & Gyrouagos, &

Digitized by Google

alios Ecclesiasticæ Hierarchiæ Perturbatores, etsi nullâ factâ mentione Regularium, ac ferè semper aliunde arrreptâ occasione, inter prædicandum nuperrimè dixerat; tamquam in suum Ordinem iniuriosè prolata contendentes, eum coram *Seguino* tunc temporis Matisconensi Episcopo, vt potè eius Dioceſano accusauerunt. Verùm cum *Ipse ita delatus purgauisset sese*, vt ipsemet loquitur in suis ad Obiecta Responsionibus, *coram eodem Episcopo, & Clero, & Populo, perhibentibus testimonium veritati rationibus suis*, eum denuò ad Gregorium quemdam Nuntium Apostolicum, & per eum ad Regem, & ad Episcopum Parisiensem, quasi libellum quemdam contra Summum Pontificem edidisset, & cum aliis publicè recitauisset, detulerunt. Sed ipsô se sistente iudicio, & postulante, vt quicumque vellet, ad accusandum prodiret; nemine tandem accusante, præsentibus quatuor millibus Clericorum, innocens ab Episcopo Parisiensi declaratus est; editô etiam ac sigillô suô munitô huiusce declarationis & sententiæ publicô instrumentô.

E contrà Academici duabus istis Bullis superioribus excitati, totque falsis delationibus, ac tantis tamque putidis mendaciis nimiùm quantùm irritati, de Dominicanis palam & publicè conquesti sunt, illud identidem aduersùs eos vsque quâque ventilantes. *Naturæ vim fieri, si Regulares Secularibus misceantur; multoque magis, si ijs inuitis & repugnantibus.* Porrò, cum viderent se non posse sibi suisque rebus meliùs consulere, quàm si eorum singuli sese sponte à consortio Academiæ separarent, & in ima Ciuitatis parte habitarent, ipsi omnes simul & semel Vniuersitati Parisiensi, & omnibus eius priuilegijs repudium dantes, duputatis à Summo Pontifice duobus Episcopis, Aurelianensi videlicet & Altissiodorensi (qui sententiam excommunicationis in omnes Academicos ex potestate sibi tradita & ferre & promulgare festinabant) vnanimi consensu responderunt. *Se minimè impedire, quominùs Fratres Prædicatores concessô à Summo Pontifice per Bullam* QVASI LIGNVM VITÆ *indultô gauderent, vterentur, fruerentur, cùm ad se nihil pertineret. Illud porro significandum esse Academicis, si qui sint, non sibi, qui non erant Academici; alias quicquid in contrarium ab eis præsumptum fuerit, irritum fore, & contra mandatum Summi Pontificis, ad quem vnum prouocabant.* Verùm cum prædictiduo Episcopi, Aurelianensium videlicet & Altissiodorensium, non obstan-

tibus his & alijs ſimilibus exceptionibus, immò contemptâ illâ legitimâ appellatione, quam Magiſtri Pariſienſes interpoſuerant, ſententiam excommunicationis in omnes Academicos neſcio quò ducti ſpiritu de repente protuliſſent; certè illud tandem in cauſa fuit, vt omnes Academici, qui Lutetiæ Pariſiorum dumtaxat ſuas hactenus habuerant de Dominicanis querimonias, de iis etiam Romæ publicam haberent apud Summum Pontificem expoſtulationem. Et ſanè ſexto Nonas Octobris eiuſdem anni milleſimi ducenteſimi quinquageſimi quarti, omnes omninò omnium Facultatum Magiſtri & Auditores, qui ab Vniuerſitatis collegio ſeſe ſeparauerant, ſub ſigillo quatuor Nationum, quæ ab antiquo diſtinctæ ſunt in Academia Pariſienſi, ſuas ad Alexandrum quartum Pontificem Maximum direxerunt literas; in quibus, poſteaquàm enatrauerunt *Se Dominicanorum in Pariſienſis Academiæ conſortium reſtitutioni factæ à Summo Pontifice per Bullam* QVASI LIGNVM VITÆ *ob reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, licet contra falſitatem precum ipſorum Dominicanorum plurimæ exceptiones ſibi ſuppeterent, non duxiſſe reſiſtendum, quia vacare litibus, maximè contra curioſos litium amatores nec volebant nec poterant; ſed attendentes minùs incommodum ſibi forè beneficijs Vniuerſitatis carere, quàm Dominicanorum ſocietate, quam ſibi damnoſam experimentò cognouerant, & Vniuerſali Eccleſiæ periculoſam fore timebant; attendentes etiam, quod ſocietas non per violentiam ſolet, ſed per amicitiam copulari; conſiderantes nihilominùs, quod ſecundùm Iuris formam in communionem aut ſocietatem nemo compelli poteſt, vel detineri inuitus; à prædictis conſortio & collegio, ſicut ſibi à Iure concedebatur, ſigillatim diſceſſiſſe ipſius Vniuerſitatis beneficiis & priuilegijs renuntiantes expreſsè; & ſic renuntiantes iuri ſuo ſine iuris & mandati Apoſtolici offenſa ſocietatem Dominicanorum per viam Iuris duxiſſe declinandam; illâ ductos potiſsimùm ratione, quoniam non ſolùm inter Academicos, verùm etiam per Vniuerſam Eccleſiam ipſi & eorum Fratres diſſentiones, offendicula, & alias ordinationes periculoſas facere non verebantur; cum dicat Apoſtolus.* RECO VOS, FRATRES, VT OBSERVETIS EOS, QVI DISSENTIONES ET OFFENDICVLA PRÆTER DOCTRINAM, QVAM DIDICISTIS, FACIVNT, ET DECLINATE AB ILLIS. *Et alibi.* DENVNTIAMVS VOBIS, FRATRES, IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, VT SVBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE AMBVLANTE INORDINATE, ET NON

SECVNDVM

SECVNDVM TRADITIONEM, QVAM ACCEPERVNT A NOBIS; IPSI ENIM SCITIS, QVEMADMODVM OPORTEAT IMITARI NOS; QVONIAM NON INQVIETI FVIMVS INTER VOS. Insuper. *Adhuc memoratos Fratres malignô ſpiritu inſtigatos, nouos nocendi modos arte diabolicâ perquirentes contra Venerabilem Virum Magiſtrum Guillielmum de Sancto Amore in Theologica Facultate regentem, & fideliſsimum Academiæ Patronum (quem propter defenſionem Iuris Academiæ ſibi conſtituerant exoſum) quod ipſe (in cuius ore apud Academicos non eſt inuentus dolus) perſonam Summi Pontificis infamiæ non patentem (vt pote cuius ab ipſo puerili æuo fama ſemper rutilans coruſcauit) ore maledicô diffamaſſet, famoſum libellum contra Summum Pontificem in congregationibus Academicorum pluries recitando per excogitata mendacia confinxiſſe; in eoque facto Vniuerſis etiam Academicis diffamationis notam nequiter impegiſſe, dum eos diffamationem iſtam lubenter auſcultaſſe (cum nemo inuitò Auditori lubenter referat) mendaciter inuenerunt, & mediante quodam Capellanô & Nuntiô Apoſtolicô tranſeunte Pariſiùs nomine Gregoriô (cui prædicta falſa per circumuentionem ſuggeſſerant) ad maiorem turbationem ſtudij, præfatum Magiſtrum Guillielmum apud Illuſtrem Francorum Regem & Venerabilem Patrem Pariſienſem Epiſcopum ſuper dicta diffamatione ab eis conficta perperàm detulerunt. Memoratô verò Epiſcopô Iudice ſuô ad ſtimulationem Domini Regis & præfati Gregorij contra ipſum Magiſtrum inquiſitionis iudicium ſtatuente, ac ipsô Magiſtrô dictum citari Gregorium poſtulante, vt in iudicio compareret dicturus, à quibus illam famam acceperat, & quoſdam libellos clandeſtinos (quos contra dictum Magiſtrum ſe recepiſſe dixerat) oſtenſurus, & ſi quid de prædictis contra ipſum Magiſtrum probare vellet & poſſet legitimè probaturus; nec Epiſcopum, vt dicebat, auſum fuiſſe illum ad comparendum compellere, nec ipſum Gregorium propter confuſionem ſui erroris auſum fuiſſe in iudicio comparere; ſed in verbis ſuis multipliciter variando, & priùs dicta conſequenter negando, malè ſibi conſcium ſubitò de Ciuitate receſsiſſe; ac tandem eumdem Epiſcopum, quantum de Iure, immò pluſquàm de Iure potuit, procedentem, per dilationes plurimas (cum nec famam contra ipſum Magiſtrum inuenire potuiſſet in prædictis laborantem, nec Accuſator ſeu Denuntiator aliquis appareret) canonicâ purgatione ab ipſo Magiſtro ad omnem ſuſpicionem perpetuò excludendam præſentibus quatuor millibus Clericorum ob honorem Summi Pontificis ſponte oblatâ, eumdem Magiſtrum ab inſtantia iudicij ſui*

ſententialiter liberaſſe. Tandem deductis omnibus iſtis & alijs ſimilibus grauaminibus, quæ tam iniuſtè patiebantur à Dominicanis, & *Que*, vt ipſimet loquuntur in ſuis literis, *cordibus ſingulorum infixa diſſimulare, nec volebant, nec debebant, vſque ad intima viſcerum ſuorum inconſolabiliter ſauciati*, ipſum Summum Pontificem Alexandrum quartum ita compellarunt. *Tantâ igitur*, PATER PIISSIME, *crudelitate commoti, tam ſtupendâ inuentione attoniti, admirando, ſi placet, expergiſcimini, attendentes qualiter* FEL DRACONVM VINVM EORVM, ET VENENVM ASPIDVM INSANABILE. *Qualiter illi, qui mundum ſe aſſerunt reliquiſſe, nunc ſub quadam falſa ſpecie pietatis ſe maioribus huius mundi negotijs implicantes, præſtantiores glorias ambiunt & ſectantur. Qualiter etiam illi, qui ab initio ſuæ conuerſionis elegerant in altiſſima humilitate & paupertate Chriſto Domino famulari, nunc ſub pratextu conſilij & doctrinæ in Palatijs Regum & Aulis Principum dominantur. Et qui olim cum Apoſtolo ſpectaculum huic mundo fieri ſe gaudebant, aut certè ſimulabant, tamquam purgamenta huius mundi & peripſema, nunc ſine Prælatorum licentia prædicando, ad pœnitentiam admittendo, abſoluendo, & ligando, ſibi poteſtatem Eccleſiæ vſurpantes in immenſum vltra menſuram regulæ gloriantur in alienis laboribus. Nolite*, SANCTISSIME PATER, *tantam ſimulationem diſſimulantes, tantam perniciem conniuentibus oculis pertranſire. Nolite hæc vobis eſſe incognita, quæ iam vulgo & parùm ſcientibus ſunt aperta.* Et poſt pauca. *Nunc autem*, PATER PIISSIME, *ad veſtræ paternæ pietatis clementiam recurrentes, totis deſiderijs obnixè duximus ſupplicandum; quatenus præfatam excommunicationis ſententiam* (quam in omnes Academicos Autiſſiodorenſium Epiſcopi protulerant) *inuadam decernentes, nec non ad priſtinam libertatem & antiquum ſtatum* (*in quo tempore veſtræ promotionis eramus*) *ſaluis in omnibus & per omnia libertatibus Pariſienſis Eccleſiæ, nos pietatis intuitu reducentes, ad dictorum Fratrum ſocietatem*, QVAM SERVITVTEM GRAVISSIMAM AC NOBIS ILLICITAM REPVTAMVS, *nos contra Deum & Canonica Inſtituta cogere non velitis. Alioquin, cum ſine noſtris & aliorum periculis* (*quæ parati eſſemus in Prouinciali aut Generali Concilio, ſicut prædictum eſt, declarare*) *ad ſocietatem noſtram eos ſecundùm ſtatum eorum præſentem ſaluis conſcientijs admittere nequeamus, noueritis nos potiùs ſtudium noſtrum in aliud Regnum translaturos; aut ſi aliud, vobis prohibentibus, fa-*

cere non poſſumus, magis eligeremus cum iactura noſtra ſtudium relinquendo ad proprios lares reuerti, & ibi natiuâ perfrui libertate, quàm coactæ ac periculoſæ ſocietatis ipſorum Fratrum ſeruitute intolerabili ſuffocari. Harum literarum initium eſt *Radix amaritudinis*, ſuperſcriptio autem, *Sanctiſſimo Patri ac Domino ſuo, Alexandro, diuinâ prouidentiâ Summo Pontifici, ſinguli Magiſtri & Scholares omnium Facultatum, Reliquiæ diſperſionis Pariſienſis ſtudij, propter Vniuerſitatis collegium Pariſiùs commorantes, deuotiſſima pedum oſcula beatorum.*

Intereà verò, dum de ſcribendis mittendiſque ſuis ad Alexandrum quartum Pontificem Maximum literis & expoſtulationibus deliberarent Academici; Fratres, qui neque apud Epiſcopum Matiſconenſem, neque apud Pariſienſem, Guillielmum noſtrum, ob eximiam illam & incredibilem, quâ pollebat apud omnes, & vitæ & doctrinæ probitatem, vel in minimam ſuſpicionem trahere, multoque minùs conuincere potuerant: atque adeò Bullam illam *Quaſi lignum vitæ*, quâ tantoperè gloriabantur, propter diſſolutionem ſtudij Pariſienſis & ſeparationem factam ab omnibus Academicis nihil ſibi profuturam cognouerant; ad eumdem Summum Pontificem Alexandrum quartum iterum atque iterum confugientes, tres alias Bullas ad duos prædictos Epiſcopos (Aurelianenſem videlicet & Altiſſiodorenſem) vnô ferè die datas obtinuerunt; quibus, ſi Deo placuiſſet, omnium Academicorum animos vnicô momentô debellaſſent. Et ſanè in prima ex iſtis tribus Bullis & conſtitutionibus, quæ incipit *Cum nos olim*, & data eſt Laterani ſeptimô Idus Decembris annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô quintô, prædictis duobus Epiſcopis expreſſiſſimè mandabatur *Quatenus illos, qui præfatam Ordinationem* (quæ Bullâ *Quaſi lignum vitæ* continebatur) *quam ab omnibus Magiſtris & Scholaribus Pariſiùs commorantibus firmam & illibatam ſeruari volebat* Summus Pontifex, *quacumque arte vel ingeniô non curant, monitione præmiſſâ, nominatim ac ſpecialiter excommunicare, ac excommunicatos denuntiare per ſe ac alios, vbicumque expedire viderint, vſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione aliquâ, ſeu eorum, qui poſtquàm eis de præfata ordinatione ſua innotuit, à dicta Vniuerſitate receſſiſſe dicuntur, nequaquam obſtantibus, nullatenùs poſtponerent.* Immò, ne quidquam vlteriùs deſiderare poſſent Dominicani, quod ad explendum eorum animum ali-

quatenùs pertineret ; in ſecunda Bulla, quæ incipit *Controuerſiam*, & quæ data eſt eodem die quò ſuperior ; nec non & in tertia, quæ incipit *Ad audientiam noſtram*, & quæ data eſt quartò Idus Decembris, hoc eſt tribus diebus poſt duas Bullas ſuperiores ; illud inſuper prædictis duobus Epiſcopis iniungebatur in virtute Sanctæ Obedientiæ *Quatenùs inquirentes de plano & ſine ſtrepitu iudicij veritatem, ſi inuenerint Magiſtrum Guillelmum, vel alios, Bonum Hominem & Eliam* (Hi erant Dominicani nominatim ab Academia reiecti, eò quòd, vt anteà monuimus, primi totam rebellionem excitauerant) *ac eorum Auditores, infra quindecim dies poſt receptionem dictarum litterarum in ſuum conſortium ac collegium ſeu ſocietatem iuxta mandati ſui tenorem minimè recepiſſe, vel feciſſe quominùs ad prædicta reciperentur ab eis, ipſos appellatione aliquâ, ſeu quod ab Vniuerſitate, poſtquàm eis de ordinatione vel mandato ſuo innotuit, receſſiſſe dicuntur, nequaquam obſtantibus, vſque ad ſatisfactionem condignam denuntiarent & denuntiare facerent ſuſpenſos ab officijs & beneficijs, vbicumque viderint expedire, non obſtante conſtitutione* DE DVABVS DIETIS *editâ in Concilio Generali.*

Verùm, etſi Summus Pontifex Alexander quartus ſuis illis ſuperioribus Bullis & conſtitutionibus ſatis ſuperque cunctis Regni Proceribus & Incolis oſtenderet reſtitutionem Dominicanorum in Academiç conſortium ſibi maximè cordi eſſe, atque adeò ſe totum in eam incumbere ; nihilominùs tamen Sanctus Ludouicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, furentibus omnibus iſtis procellis & tempeſtatibus, Academiç cauſam amplexabatur, & Magiſtris Pariſienſibus, quantum in ſe ſitum erat, opitulabatur ; adeo vt Dominicani, quas ab Alexandro quarto Pontifice Maximo Bullas obtinuerant excommunicationis & ſuſpenſionis per comminationem, eas executioni demandare niſi Rege aliter ſentiente non auderent ; immò ne poſſent quidem, prædictis Epiſcopis, vt credibile eſt ex tot Bullis ad eos miſſis, iterum atque iterum renitentibus. Ergo Dominicanis Regis ſibi deuinciendi & ad ſe ſuaſque partes alliciendi via quærenda fuit. Atque cum eam ſeſe inueniſſe facilè crederent, ſi Rege præſente Prælatorum aliquis nonnullas propoſitiones, quas iam Academici contra nonnullos validos Mendicantes, ſuppreſsò tamen ſemper eorum nomine per totam Academiam diſſiminauerant, palàm & publicè inter concionan-

Digitized by Google

dum impugnaret; rogauerunt, immò verò selegerunt Reuerendissimum Dominum Dominum Turonensem Archiepiscopum; qui non tantùm negotium istud ad eorum arbitrium appositissimè peragendum susciperet, ac de prædictis propositionibus coram Rege & Episcopo Parisiensi copiosissimè dissereret; sed etiam multa pro ingenij sui fertilitate comminisceretur & effingeret, quibus apud Regem Christianissimum & fraternæ charitatis amantissimum, omnibus Academicis, & præsertim Magistro Guillielmo de Sancto Amore, vt potè Magistrorum omnium celeberrimo, non secùs ac si eorum Ordinem calumnijs incesserent, maximam si posset inuidiam conciliaret. Verùm cùm hoc rescuisset Guillielmus noster, & oblatam esse posteà Regi Christianissimo quamdam schedulam, in qua continebantur nonnulli errores, qui ei falsò à Dominicanis imponebantur; sequenti Dominicâ, cùm se purgare vellet in Ecclesia Sanctorum Innocentium, lectâ publicè dictâ schedulâ, ab omnibus astantibus, qui hôc annô omnes eius conciones ad populum habitas audierant, hocce luculentissimum habuit testimonium, quod numquam tales errores effudisset. Sed rem sic narrat in suis ad Obiecta Responsionibus. *Cum à quodam bono viro, cuius nomen ignoro, accepissem quamdam schedulam Domino Regi Franciæ præsentatam, in qua continebantur omnes prædicti errores, qui mihi falsò erant impositi; sequenti Dominâ in Ecclesia Sancti Innocentij de consilio Sapientiorum volui me super illis purgare; & cum intellexissem per fide dignos, quod quidam Viri Religiosi literati & promeriti parati erant illîc se mihi opponere, & impugnare quod dixeram per Scripturas, feci libros Theologiæ ad meam defensionem hîc deferri, & finitô sermone per quemdam Magistrum legi articulos dictæ schedulæ sigillatim, & probaui per adstantes Clericos & Laicos, qui omnes sermones meos illius anni ad populum factos audierant, quod ego coram eis non dixeram dictos errores. Item dixi, quod, quia non habebam mitram, nec annulum, nec authoritatem per quam mihi crederetur, idcircò attuleram libros Sacræ Scripturæ ad probandum veritatem, quam dixeram vel prædicaueram de periculis nouissimorum temporum; sed per Dei gratiam nullus ibi se opposuit, nec libros oportuit aperiri. Dixi etiam, quod Magistri & Scholares Theologicæ Facultatis, qui præsentes erant* (putà Magister Odo de Duaco, & Magister Laurentius Anglus, & eorum Scholastici, qui illuc etiam conuenerant) *parati erant*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eamdem mecum defendere veritatem. Sicque Dominicani re ſuâ ſic infectâ ad Curiam Romanam iterum confugerunt.

At dum ſuos Romam mitterent Procuratores & Nuntios, Sanctus Ludouicus Francorum Rex Chriſtianiſsimus, & nonnulli Franciæ Prælati, qui fortè tunc temporis ad aliquod Concilium Prouinciale Pariſiis conuenerant, & Fratres & Magiſtros ad hanc litem componendam quibus potuerunt verbis hortari ſunt; adeo vt eis ſuadentibus & impellentibus Philippum Bituricenſem, Thomam Remenſem, Henricum Senonenſem & Odonem Rothomagenſem Archiepiſcopos in ſuos nominarent Arbitros, qui mediantibus nonnullis aliis Epiſcopis, & auditis hinc inde partibus, tum demum litem iſtam componerent. Ergo annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô quintô ſecundùm ſupputationem Gallicanam, quâ annus incipiebat à Feriis Paſchalibus; vel certè milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſextò ſecundùm Romanam, die primâ Menſis Martij; conſentientibus Academicis vt Dominicani duas Cathedras Magiſtrales & Theologicas in perpetuum obtinerent; Dominicani, qui nihil aliud quàm rebus ſuis callidè conſulere meditabantur, in eam tandem deſcendêre ſententiam apud iſtos quatuor Archiepiſcopos, vt non tantùm in perpetuum ab Academiæ conſortio ſepararentur, ſed etiam Bullas omnes, quas olim aduersùs Academiam impetrauerant, aut in poſterum impetraturi eſſent, eiurarent. Sed hîc placet verba Concordatorum exprimere. *Fratres tam regentes quàm non regentes in perpetuum erunt ſeparati à ſocietate Scholaſtica Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium Sæcularium, niſi Magiſtri & Scholares Sæculares ſpontaneâ voluntate ad ſocietatem ſcholaſticam eos habuerint reuocare.* Et iterum. *Fratres abrenuntiant omnibus literis impetratis contra præmiſſa à ſe vel à quocumque alio, & conceſsis & concedendis ſibi & alij cuicumque; & procurabunt dicti Fratres, quod ſententiæ quædam, quæ dicuntur latæ contra Sæculares non recipientes eoſdem, qualitercumque fuerint latæ, relaxentur.* Et poſt pauca. *Fratres nec per ſe nec per alios vexabunt, nec vexari procurabunt aliquam Perſonam ſingularem, ſiue Vniuerſitatem, occaſione prædictæ, ſiue prædictarum contentionum, ſiue alicuius dependentis ab eiſdem.* Hactenùs Concordata, quæ adhuc integra extant in antiquo Pariſienſis Academiæ Tabulario

cum hoc initio. *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis, Philippus Bituricenſis, Thomas Remenſis, Henricus Senonenſis, Odo Rothomagenſis, Dei gratiâ Archiepiſcopi, Salutem in Domino.* Has autem & alias nonnullas ſimiles cautiones, quæ ſolæ videri debebant etiam Academicis ad ſtabiliendam in æternum iſtam concordiam ſufficere, impetratas eſſe in gratiam Academiæ à Magiſtro Guillielmo de Sancto Amore facilè mihi perſuaſerim, cùm nemini dubium eſſe poſſit, quin ab omnibus omnium Academicorum Ordinibus, etiam eô tempore quô ad obeundum Canonici muneris officium ab Eccleſia Bellouacenſi pro Sacramento, quod exigi ſolet à Canonicis, reuocaretur, electus fuerit, qui cauſam Academiæ contra Dominicanos ageret, & optatam tantoperè & à Rege & à Prælatis Franciæ concordiam promoueret. Sic enim ipſe teſtatur in ſuis ad Obiecta Reſponſionibus. *Cùm publicè & ſolemniter, ſicut moris eſt Pariſiùs, dimiſiſſem actum legendi coram Magiſtris & Scholaribus, reuerſurus ad Eccleſiam Beluacenſem, quæ prò negotijs ſuis pro debito Iuramenti per literam ſuam patentem me reuocauerat; retentus fui à quibuſdam magnis viris, vt ad compoſitionem faciendam inter Fratres & Scholares iuuarem, ſicut & feci & tractatui illius compoſitionis interfui.* Vnde non mirum ſi omnes omninò omnium Academicorum Ordines in ſuis illis ad Alexandrum quartum Pontificem Maximum literis & expoſtulationibus eum veluti *Fideliſſimum Patronum ſuum* iterum atque iterum magnificentiſsimè prædicauerint, cum eum ſolum veluti propugnaculum munitiſſimum excipiendis omnibus illis vehementiſſimis Dominicanorum impetitionibus, vel potiùs etiam cohibendis, obijcerent.

Cæterùm his æquiſsimis iuſtiſsimiſque Concordatis videbatur omninò tota lis eſſe compoſita, cum ecce dè repentè noua ſubinde nata ſunt nouarum diſcordiarum ſemina. Quia enim inter varias exceptiones, quas Magiſtri Pariſienſes contra Dominicanos Prælatis obtulerant, ne Dominicani Fratres in Academiæ conſortium admitterentur, dixerant ſe timere *Ne Dominicani eſſent de ijs qui penetrant domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis; vtpotè qui ſeſe in domos ſingulorum ingererent, conſcientias & proprietates hominum rimarentur, & quos ſeducibiles ad modum mulierum inuenirent ſeducerent, & etiam captiuos ducerent, eos à Prælatorum conſilijs auertentes, & ad ſua*

votis vel iuramentis adstringentes. Item *Ne essent de illis, qui cùm vnde viuant non habeant, viuere volunt Otiosi & Curiosi de tractando negotia aliena, & de operibus spiritualibus; cùm tamen non sint Apostoli, vel eorum Successores, Id est Episcopi; nec etiam de septuaginta duobus Discipulis Domini, nec eorum Successores, Id est Parochiarum Presbyteri; neque eorum Opitulatores, Id est Vicarij; atque adeò ne ambularent inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperant ab Apostolo.* Ac demum vnô verbô *Ne essent de illis hominibus, per quos ait Apostolus debere instare tempora periculosa in nouissimis diebus.* Prælati Franciæ, qui libris euoluendis propter alia negotia vacare non poterant, gregi tamen suo benè consultum esse voluissent, à Magistris Parisiensibus suppliciter & obnixè rogauerunt, quatenùs omnes Diuinæ & Canonicæ Scripturæ authoritates de periculis nouissimorum temporum mentionem facientes in vnum corpus exactissimè colligerent, & ad instructionem & præparationem simplicium Christi Fidelium literarum etiam monimentis cõsignarent. Sed rem sic narrat Guillielm⁹ noster in suis ad Obiecta Responsionibus. *De libello autem, qui dicitur reprobatus esse à Domino Papa, & cuius editio mihi imponitur; dico, quod cùm Prælati Franciæ sollicitati vt cauerent Ecclesiæ Gallicanæ sibi commissæ à periculis nouissimorum temporum quæ sunt ventura per Pseudo & Penetrantes domos, requisiuissent Magistros Parisienses, vt authoritates Diuinæ & Canonicæ Scripturæ de hac materia loquentes colligerent & in scriptis traderent, quia non poterant vacare inspectioni librorum; Ego vnà cum alijs Magistris & Scholaribus Theologiæ & Magistris Decretorum collegi authoritates prædictas per multas collectiones, quas Ego & alij prædicti in vnum volumen sub certis rubricis redegimus.*

Ne autem existimes Magistros Parisienses, aut omninò gratis, aut etiam temerè prædictas exceptiones aduersus Dominicanos, ne in suam societatem admitterentur, attulisse; placet hîc annectere quæ Matthæus Parisiensis testis oculatus ac illorum temporum Scriptor omnium accuratissimus scripsit tam de Dominicanis Fratribus quàm de Franciscanis & Minoribus, ad annum Domini millesimum ducentesimum quadragesimum tertium, vbi de Enuntiationibus Propheticis Hildegardis agit aduersùs eos qui paupertatis limites & basim suę professionis impudenter transgrediuntur. *Morituris*, inquit, *Magnatibus & Diui-*

tibus

tibus, quos norunt pecunijs abundare, diligenter inſiſtunt, non ſine Ordinariorum iniurijs & iacturis; vt emolumentis inhient, confeſſiones extorquent & occulta teſtamenta, ſeſumque Ordinem ſolùm commendant & omnibus alijs præponunt. Vnde nullus fidelis, niſi Prædicatorum & Minorum regatur conſilijs, iam creditur ſaluari. In acquirendis priuilegijs ſolliciti, in Curijs Regum & Potentum Conſiliarij, & Cubicularij, & Theſaurarij; Paranymphi & nuptiarum Proloquutores, &c. Et iterùm ad annũ Domini milleſimum duceſimum quadrageſimum ſextum. *Fratres Prædicatores limites paupertatis, quam profeſſi ſunt nuper, tranſgredientes, iam ad ſuperos gradus aſcendere, venerari, & timeri à Prælatis Eccleſiaſticis affectabant; & non iam tantùm Prædicatores, ſed etiam eſſe Confeſſores contendebant, vſurpantes ſibi officium Ordinariorum, & haberi eoſdem contemptui procurantes, quaſi ſcientiâ & poteſtate inſufficientes populum Dei regere & Eccleſiæ lora moderari. Vnde multis diſcretis videbatur ordinem vniuerſalis Eccleſiæ per Sanctos Apoſtolos & Sacros Doctores noſtros Anteceſſores (de quorum Sanctitate toti mundo conſtat) ſanctum nimis enormiter perturbare.* Et aliquantô poſt. *Rogitabant ſingulos, etiam ſæpe viros religioſos, Es-ne confeſſus? quibus ſi reſponſum fuiſſet, etiam; à quo, inquiebant? à Sacerdote meo. Et qui ille Idiota? numquam Theologiam audiuit, numquam in Decretis vigilauit, numquam vnam quæſtionem didicit enodare. Cæci ſunt & duces cæcorum. Ad nos accedite, qui nouimus lepram à lepra diſtinguere; quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei ſecreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta, vt iam videtis & auditis, conceſſa eſt poteſtas. Multi igitur, præcipuè Nobiles & Nobilium Vxores, ſpretis proprijs Sacerdotibus & Prælatis, ipſis Prædicatoribus confitebantur.* Denique ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quadrageſimum nonum ita habet. *Fratres Prædicatores & Minores prædicantes pro negotio Crucis, homines cuiuſcumque ætatis, ſexus, vel conditionis, vel valoris; immò etiam valetudinarios, vel valetudinarias, & ægrotantes, & ſeniò deficientes, Cruce ſignauerunt, & in craſtino, & etiam in continenti pro quantocumque pretio Crucem à Cruce ſignatis deponentes & reaccipientes, quemlibet à voto ſuæ peregrinationis abſoluebant. Quod videbatur multis inconueniens & abſurdum.* Et ſanè, ſi Matthæo Pariſienſi credimus ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quadrageſimum ſeptimum, propter hos & alios nonnullos ſimiles abuſus, quos hîc omnes in Dominicanorum

gratiam consultò prætermittimus, *Cum multi moribus, scientiâ, & genere pollentes, ad eorum Ordinem à sæculo confluerent, neque postea talem formam Religionis, qualem se inuenisse sperabant, reperiebant, sed pro claustro totius mundi latitudinem; præsertim cum in principio Regulæ suæ reprobet Sanctus Benedictus illud genus Monachorum, quod Gyrouagum est; coeperunt dolere & pœnitere quòd ad talem Ordinem intrassent, & quærere suffragia contraria.* Adeò vt, inquit ibidem Matthæus Parisiensis, *Propter hoc in eorum Ordine maiores censebantur, qui medium procurarunt moderatum.*

Sed & alia causa fuit Guillielmo nostro, vel potiùs Magistris Parisiensibus scribendi librum *De periculis Nouissimorum Temporum*; quòd nempe Dominicani Franciscanique Fratres nouas & peregrinas, immò verò falsas & periculosas & erroneas opiniones & doctrinas in Academiam Parisiensem inuehere satagerent. Sanè Matthæus Parisiensis de quibusdam articulis nouis & erroneis tum primùm à Dominicanis Franciscanisque Fratribus in Academia Parisiensi prædicari propalarique cœptis, & ibidem postmodùm à Prælatis Ecclesiarum congregatione Orthodoxorum factâ condemnatis, ita scribit ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quadrageſimum tertium. *Post festum*, inquit, *Sancti Michaëlis, vt moris est, studijs scholarum & Scholarium resplendescentibus, incipiebant Magistri Theologiæ Parisiensis (præcipuè tamen præcipui Prædicatorum & Minorum Lectores) disputare & differere subtiliùs & celsiùs quàm decuit aut expediuit. Qui non verentes tangere montes à gloria Dei opprimendi nitebantur secreta Dei inuestigabilia temerè perscrutari, & iudicia Dei, quæ sunt abyssus multa, nimis præsumptuosè indagare. Deo enim plùs placet firmæ fidei simplicitas, quàm nimis transcendens in Theologia subtilitas; & cùm tutius sit & magis meritorium simpliciter à Patribus tradita accipere & credere, quàm probata & ea, quibus humana ratio præbet experimentum. Sed hæc cum scirent Ecclesiarum Prælati, Ecclesiæ & fidei Christianæ præcauentes, Euangelicis & Propheticis authoritatibus innitentes, præsumptuosos ausus eorum refrænantes, Fidelibus, congregatione Orthodoxorum factâ, fidei veritatem sanius propalarunt.* Primus ex istis omnibus Articulis nouis & erroneis erat, quòd *Diuina essentia in se, nec ab homine, nec ab Angelo videatur, vel videbitur.* Tertius quòd *Spiritus Sanctus, prout est amor*

Digitized by Google

vel nexus, non procedit à Filio, ſed tantùm à Patre. Sed ex vngue Leonem; reliquos enim, qui ad denarium numerum excreſcunt, habes tum apud Matthæum Pariſienſem locô à nobis citatô, tum etiam ad calcem Magiſtri Sententiarum, vbi refertur eos damnatos fuiſſe à Guillielmo Pariſienſi Epiſcopo, *conuocatô omnium Magiſtrorum tunc degentium Pariſius concilio.*

Neque verò tunc temporis nouis iſtis articulis & erroneis opinionibus per totam Academiam diſſeminandis incumbebant tantùm Dominicani Franciſcanique Fratres; ſed etiam inſuper eò vſque prolapſi fuerant præcipites neſcio quô cæcô impetu furoris & amentiæ, vt etiam librum quemdam longè peſtilentiſſimum, quem *Euangelium Æternum* appellabant, à Ioanne quodam de Parma Monacho Italico, & ſecundùm Sanctum Antoninum 3. parte Tit. 24. §. 5. ſeptimo generali Præpoſito Ordinis Fratrum Minorum, ex libris Abbatis Ioachimi impudentiſſimè conſarcinatum, ac multis poſtmodùm partibus auctum & illuſtratum, ad ſuum Inſtitutum ſupra Hierarchicum Ordinem Clericorum extollendum, palam & publicè prædicarent ac ſummis etiam in cœlum laudibus eueherent. Et certè *Fratres*, inquit Matthæus Pariſienſis ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, *quædam noua prædicabant, legebant, & docebant, vt dicebatur, deliramenta, quæ de libro Ioachim Abbatis (cuius ſcripta Gregorius Papa damnauerat) extraxerunt, & quemdam librum compoſuerunt, quem ſic eis intitulare complacuit* INCIPIT EVANGELIVM ÆTERNVM; *& quædam alia, quæ non expedit recitari.* Porrò Directorium Inquiſitorum Romæ impreſſum parte ſecundâ, quæſtione nonâ *De hæreſibus à Romanis Pontificibus damnatis*, paragraphô quartô, de erroribus Ioannis de Parma ita habet. *Alexander Papa quartus condemnauit Romæ quemdam librum*, EVANGELIVM ÆTERNVM *communiter appellatum, cuius author fuit, vt fertur communiter, quidam Frater Ioannes de Parma Italicus Monachus; in quo libro ſequentes hæreſes & errores ſunt reperti.* PRIMVS EST *Quòd doctrina Abbatis Ioachim excellit doctrinam Chriſti, & conſequenter Nouum & Vetus Teſtamentum.* SECVNDVS *Quòd Euangelium Chriſti non eſt Euangelium Regni, & ideò non eſt edificatorium.* TERTIVS *Quòd Nouum Teſtamentum eſt euacuandum, ſicut Vetus eſt euacuatum.* QVARTVS *Quòd Nouum Te-*

ſtamentum non durabit in virtute ſua niſi per ſex annos proximè tunc futuros; videlicet vſque ad annum Chriſti Incarnationis milleſimum ducenteſimum ſexageſimum. DECIMVS *quòd Euangelium Chriſti neminem perducit ad perfectum.* DECIMVS NONVS *Quòd Chriſtus & Apoſtoli eius non fuerunt perfecti in via contemplatiua.* Sed horreſcò referens tantas ac tam peſtilentes blaſphemias, quas etiam ad viginti ſeptem notat expreſsè Directorium; cùm iſtis adimpleri poſſe videatur quod ait Apoſtolus de quibuſdam hominibus. *Quemadmodùm Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem.*

Igitur his de cauſis & aliis ſimilibus rationibus, annò Domini milleſimò ducenteſimò quinquageſimò ſextò, vt colligitur ex capite octauo Libelli *De Periculis*, vbi dicitur iam elapſos eſſe à Chriſto annos mille ducentos & quinquaginta quinque; paulò poſt etiam compoſitionem factam à Prælatis Dominicanos inter & Academicos; Guillielmus noſter vnà cum aliis Magiſtris Pariſienſibus Libellum *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* ad Prælatorum preces in lucem edidit, in eoque profundiſſimè diſputauit *De quibuſdam Signis, alijs infallibilibus, alijs verò probabilibus, per que diſcerni poterant & diſtingui Periculoſi homines à veris Apoſtolis & Prædicatoribus.* At dum iſta cum ſuis Sociis moliretur & egereret Guillielmus noſter, & ad inſtructionem & præparationem ſimplicium Chriſti Fidelium de periculis nouiſſimorum temporum palam & publicæ prædicaret; Dominicanorum Procuratores & Nuntij (qui, etiam dum à ſuis de pace cum Magiſtris in perpetuum ineunda Pariſiis agebatur, Romæ in præiudicium Academiæ ſua negotia vrgere non deſierant) malâ fide, non ſecùs ac ſi Academici nouis calumniis Dominicanorum Ordinem inceſſerent, aut aliis quibuſdam grauioribus vexationibus opprimerent, ab Alexandro quarto Pontifice Maximo (qui ægrè admodum moleſteque tulerat omnes illas publicas expoſtulationes & querimonias, quas Academici de Dominicanisi non ita pridem etiam Romæ ſuis literis habuerant) varias Bullas, aggeſtis etiam in cumulum cenſuris innumeris, aduersus omnes Academicos nihil tale cogitantes extorſerunt. Quippe in prima, quæ incipit *De quibuſdam Magiſtris* & quæ data eſt quintò Nonas Martij annò Domini milleſimò ducenteſimò quinquageſimò ſex-

tô (hoc eſt vnô & alterô die à compoſitione facta cum Magiſtris, vt ſic Dominicani bonâ fide cum Academicis agere crederentur) ita Epiſcopo Pariſienſi mandabatur. *Quatenùs in omnes, qui ſtatuti, vel ordinationis, aut cuiuſcumque alterius cauſæ prætextu impediunt, vel de cætero impedire præſumpſerint, ne prædictis Fratribus Presbyteris fiat à volentibus libera confeſſio peccatorum, ſi* Summi Pontificis, *ſeu Legati Sedis Apoſtolicæ, aut* Epiſcopi Pariſienſis, *vel proprij Sacerdotis ſuper hoc habeatur authoritas; aut, ne ſermones & lectiones ac diſputationes eorum; vel quòd Scholares Magiſtrorum ipſorum Fratrum, & ijdem Fratres lectionis & diſputationis tempore in ſcholis aliorum minimè admittantur; monitione præmiſſâ, excommunicationis ſententiam, ſublatô cuiuslibet appellationis obſtaculô, non differret promulgare.* In ſecunda autem, quæ incipit *Si filialis obedientiæ*, & quæ data eſt ſecundô Nonas Aprilis eiuſdem anni, Magiſtris, & Scholaribus, & Auditoribus Pariſienſibus imperabatur. *Quatenùs noxia Seductorum ſuorum conſilia & erronea veſtigia penitùs declinantes, iuramentô ſeu ſtatutô, vel quacumque obligatione, per quæ præcepti* Sedis Apoſtolicæ *executio impediri valeat vel differri, nequaquam obſtantibus; præfatas ordinationes & ſententias reuerenter & humiliter, omni occaſione poſtpoſitâ, poſt ſuſceptionem præſentium obſeruarent.* Denique in tertia, quæ incipit *Dilecti filij Fratres Prædicatores*, & quæ data eſt eodem die quô ſuperior, adhuc Epiſcopo Pariſienſi diſtrictè iniungebatur. *Quatenùs Clericos* (qui, vt fortè non ſine cauſa coniici poteſt, ad publicas illas Academicorum querimonias, contra Dominicanos etiam excitati fuerant) *vt ijſdem Fratribus ſatisfacerent plenariè* de quibuſdam imaginariis vexationibus, *& ab eorum moleſtatione deſiſterent, monitione præmiſſâ, canonicæ animaduerſionis vigore compelleret; inuocatô ad hoc, ſi opus fuerit, auxiliô brachij ſæcularis.* Atque vt hæc tertia Bulla omninò & ſecundùm ſuum tenorem ab Epiſcopo Pariſienſi ſtatim executioni demandari poſſet, ſecundô Idus Aprilis eiuſdem anni data eſt & alia Bulla quæ incipit *Dilecti filij*, in qua Summus Pontifex Alexander quartus in Dominicanorum gratiam à Sancto Ludouico Francorum Rege Chriſtianiſſimo vehementiſſimè flagitabat. *quatenùs eidem* Pariſienſi *Epiſcopo, cum ab eo requiſitus fuerit, ad cohibendam eiuſmodi Clericorum inſolentiam, pro Dei & ſua reuerentia impenderet fauorem & auxilium opportunum.*

Porrò, dum hæc Romæ gererentur abſentibus Magiſtris Pariſienſibus atque adeò penitùs inſciis; Dominicani Pariſienſes (qui, dum inter paciſcendum cum Academicis omnes Bullas à ſe contra Academiam impetratas & in poſterum impetrandas eiurarent, ſeruire tantùm tempori voluerant & rebus ſuis callidè prouidere) vt ſaltem aliquatenùs ſimularent ſe ſtare velle Concordatis initis, quibus vt anteà vidimus, procurare tenebantur, vt *Sententiæ latæ contra Magiſtros Pariſienſes, qualitercumque latæ fuiſſent, relaxarentur*; ab Alexandro quarto Pontifice Maximo petierunt, vt eam, quam coram Prælatis Franciæ pepigerant, concordiam approbaret. Verùm vt videas eos aliud ſemper in ore, aliud in pectore promptum habuiſſe; Dominicani Fratres eô ipsô tempore, quô magis videbantur apud Summum Pontificem inſtitiſſe, vt ſuis illis fictis ſupplicationibus acquieſceret, illud tandem ab eo clãculùm & per cuniculos obtinuerunt, vt non tantùm compoſitionem factam cum Academicis reprobaret, ſed etiam nouas alias Bullas quamplurimas, & eas quidem acerbiſſimas, aduersùs omnes Magiſtros Pariſienſes, nominatim autem aduersùs Guillielmum de Sancto Amore & eius Socios euulgaret. Placet hîc verba ſubijcere. *Licet igitur* (inquit Alexander quartus Pontifex Maximus in prima Bulla, quæ incipit *Cunctis proceſsibus*, & quæ data eſt Anagniæ decimô quintò Calendas Iulij annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſextô) *ex parte Prædicatorum Fratrum (qui pacem cum omnibus habere cupiunt, & Perſequutores etiam pro diuina reuerentia diligere delectantur) nobis fuerit humiliter ſupplicatum, vt ſententias occaſione ipſorum in eoſdem Magiſtros & Scholares prolatas, & expreſſum ſuperiùs iuramentum (cum pax eſſet inter eos ad inuicem reformata) relaxare miſericorditer dignaremur; quia tamen* PACEM IPSAM NOBIS IRREQVISITIS INITAM SEV PRÆSVMPTAM, *quod nullomodo prouenire debuit,* OMNINO DVXIMVS REPROBANDAM, *cum ſit* INIQVA ET ATTENTATA CONTRA ORDINATIONEM NOSTRAM, *quam illibatam & firmam ſemper volumus obſeruari; preces ipſorum Fratrum ſuper hoc decreuimus nullatenùs admittendas. Quinimò, ne tantæ rebellionis vitium contra Romanam Eccleſiam auſu deteſtabili attentatum (quod diu apud nos ſub nimia diſſolutione præteriit) poſsit eſſe alijs occaſio ſchiſmatis, & contumaciæ perniciosæ fomentum,* GVILLIELMVM DE SANCTO AMORE, ET ODO-

NEM DE DVACO *Doctores Theologiæ, ac Magiſtros* NICOLAVM DE BARRO SVPER ALBAM, ET CHRISTIANVM CANONICVM BELVACENSEM, *tamquam principales huiuſmodi rebellionis & contumaciæ Incentores,* OMNIBVS DIGNITATIBVS ET BENEFICIIS SVIS ECCLESIASTICIS, AC OFFICIO MAGISTRALI, *dictumque Guillielmum* CAPELLANA NOSTRA *priuamus; ſub pœna ſimili diſtrictiùs inhibentes,* NE ALIQVEM IPSORVM QVIS AVDIAT, *ſi forſan contra inhibitionem huiuſmodi docere præſumpſerint, aut cathedram aſcendere Magiſtralem. Ipſos etiam Doctores & Magiſtros iam dictis beneficijs & alijs indignos reddimus, ac* DE TOTO REGNO FRANCIÆ PRÆCIPIMVS AMOVERI. *Alios autem huiuſmodi rebellionis conſortes pari & acriori pœnâ, prout nobis videbitur, puniemus, niſi reuerenter & humiliter infra quindecim dies, poſtquàm præſentes fuerint Pariſiùs publicatæ, reſtitutioni, ordinationi, & literis ac ſententijs memoratis parere ſtuduerint.* Et poſt pauca, Pariſienſem Epiſcopum, ad quem Bulla dirigitur, alloquens ita habet. *Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ, ac etiam* SVB EXCOMMVNICATIONIS POENA *diſtrictè præcipiendo mandamus; quatenùs tenorem præſentium, omni dilatione & occaſione poſtpoſitâ, per te vel per alios ſtudeas Pariſiùs publicare. Si præfati Doctores & Magiſtri, quæ præmiſimus, non duxerint omnimodè adimplenda, ipſos ex tunc excommunicatos denunties & denuntiari facias vbicumque videris expedire; ac illis, ad quos dignitatum & beneficiorum ipſorum collatio dignoſcitur pertinere, per literas tuas ſine mora demandes, vt infra quindecim dies poſt receptionem literarum, omni occaſione ceſſante, dignitates & beneficia ipſa conferant Perſonis idoneis Eccleſiæ Romanæ deuotis. Quod ſi facere forte neglexerint, tu illa conferre authoritate noſtrâ infra dies totidem non poſtponas. Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum* ILLVSTREM REGEM FRANCIÆ, *cui ſuper hoc ſcripta noſtra dirigimus, diligenter moneas & inducas,* VT DICTOS DOCTORES ET MAGISTROS, *tamquam Eccleſiæ Romanæ Rebelles, & Pariſienſis ſtudij Turbatores* DE TOTO REGNO SVO *poſtpoſitâ tarditate* PROPELLAT. *Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Non obſtantibus appellationibus, aut exceptionibus, aut occaſionibus ſupradictis, vel alijs quibuſcumque, ſiue literis, vel indulgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quas præcepti noſtri executio in hac parte impediri valeat vel differri, aut de quibus plenam & expreſſam ſeu de verbo ad ver-*

bum oporteat in præsentibus fieri mentionem; seu etiam quod dicti Fratres OMNIBVS LITERIS APOSTOLICIS IMPETRATIS ET IMPETRANDIS RENVNTIASSE *dicuntur, quando* IN COMPOSITIONE HVIVSMODI NON CONSENSERVNT; *præsertim cùm ipsam nullam esse, ac iam dictas Apostolicas literas in suo robore remanere velimus.* Hæc autem Bul a, quam dicit Alexander se direxisse ad Regem Franciæ, vt Guillielmum nostrum & eius Socios de toto Regno Franciæ expelleret, incipit *Veræ fidei*, & data est Anagniæ eodem die quô superior.

Sed & eodem tempore prodierunt & aliæ duæ Bullæ, quarum vna incipit *Licet olim* & data est Anagniæ quintó Calendas Iulii, altera verò incipit *Cum aduersùs* & data est Viterbij pridie Idus Iulij; in quibus nihil aliud mandabatur Episcopo Parisiensi quàm quod ei suprà mandatum fuerat per Bullam quæ incipit *Cunctis processibus*; exceptô dumtaxat, quòd nullam faciant Guillielmi nostri Sociorumque eius mentionem; sed generaliter tantùm *Omnes Magistros Scholares Seculares & Auditores Parisienses, qui expresè aut publicè non paruerint, omnibus dignitatibus & beneficijs Ecclesiasticis, ac officiô Magistralis prædicationis & doctrinæ priuent & in posterum reddant omninò indignos; decernentes eos ab Ordinum exequutione & susceptione suspensos.* Immò verò Bulla illa posterior, quæ incipit *Cum aduersùs*, adhuc Episcopo Parisiensi excommunicationis sententiam interminatur, nisi *Præceptum, quod* Summus Pontifex *ex toto cordis affectu ei direxerat, totaliter impleret, quòd efficacis obedientiæ gauderet in eo promptitudinem inuenisse*; vt videas Dominicanos (qui dubiô procul, vt etiam ex eorum relatione in Bulla, quæ incipit *Cunctis processibus* exprimitur, *In Compositione*, quam inierant cum Academicis, *non* nisi fictè *consenserant*) suis illis clancularijs delationibus & calumniis Summum Pontificem aduersùs Magistros Parisienses (quòd fortè tam liberè de eis publicas habuissent expostulationes & querimonias, de quibus hîc etiam conqueritur Summus Pontifex) supra quàm dici potest vehementer irritasse.

Dum autem Dominicani omnes istas Bullas à nobis superiùs memoratas ab Apostolica Sede contra Guillielmum nostrum & eius Socios nouis quibusdam artibus & technis insolitis impetrarent; & è contra Magistri Parisienses propter maledictum illud Euangelium, quod *Euangelium Æternum* appellabatur,

Digitized by Google

labatur, de periculis nouiſſimorum temporum contra Pſeudo-Prædicatores hypocritas, & Penetrantes domos, & Otioſos, & Curioſos, & Gyrouagos, quà voce, quà ſcriptis, palam & publicè prædicarent; accenſi ſunt vtrinque mirum in modum omnium animi; Magiſtris quidem Pariſienſibus tot Bullas (quas ſine manifeſta ſubreptione vix obtineri potuiſſe non arbitrabantur) ægrè admodùm ferentibus; Dominicanis verò plurimùm damni ſibi illatum eſſe per Librum *De Periculis Nouiſsimorum Temporum* conquerentibus, vt potè maximâ populi parte grauiſſimorum virorum authoritate commotâ, & eleemoſynas ordinarias denegante *Subſannauit* enim *Populus*, inquit Matthæus Pariſienſis ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, *eleemoſynas conſuetas ſubſtrahendo, vocans eos Hypocritas & Antichriſti Succeſſores, Pſeudo-Prædicatores, Regum & Principum Adulatores & Conſiliatores, Ordinariorum Contemptores, & eorumdem Supplantatores, Thalamorum Regalium Subintratores, Confeſsionum Præuaricatores, qui peragrantes ignotas prouincias peccandi audaciam ſubminiſtrant.* Et quia Dominicani Fratres, etſi omnibus ſuis Bullis ſuperioribus & nonnullis alijs, quas hîc prætermittimus, quàm vehementiſſimè contra Magiſtros Academiæ decertarent, nihilominus tamen efficere non poterant, vt ad libitum ſuum Guillielmus noſter & eius Socij, aut à ſuis abdicarentur beneficijs, aut etiam exularent; ideò, quô poſſent fieri faciliùs voti ſui compotes, nonnullos ex Academicis, nominatim autem Guillielmum noſtrum & eius Socios apud Epiſcopos Senonenſis Prouinciæ, qui cum nonnullis alijs quamplurimis Prouinciæ Remenſis Antiſtibus ad aliquod Prouinciale Concilium Pariſiis conuenerant, *Quod docuiſſent & prædicaſſent publicè multa falſa & erronea contra bonos mores, quorum quædam in derogationem Ordinis Dominicanorum redundarent*, inflammatô nocendi deſideriô detulerunt. Sed rem ſic narrat Guillielmus noſter in ſuis ad Obiecta Reſponſionibus. *Item ſciant* SANCTI PATRES, *quòd cùm Magiſter Ordinis Prædicatorum detuliſſet quoſdam Magiſtros Theologiæ Pariſienſis apud Concilium Epiſcoporum Remenſis & Senonenſis Prouinciarum celebratum Pariſiùs, inter quos erat Pariſienſis Epiſcopus; & cùm dixiſſet eos prædicauiſſe ac dixiſſe errores & falſitates, præcipuè in derogationem Ordinis ſui; & Ego ab illis dictis Epiſcopis cum*

aliis Magiſtris vocatus fuiſſem & interrogatus ab eis, vtrùm talia dixiſſem ac prædicaſſem; cumque conſtanter ea negaſſem offerens me per Scripturas probaturum quæcumque prædicaueram, paratus vel corrigere vel reuocare quæcumque Concilium corrigenda decerneret aut reuocanda; ipſi Epiſcopi, deliberatione habitâ, tam Magiſtro Ordinis ſupradicto, quàm nobis Scholaribus obtulerunt, & parati erant maius celebrare Concilium, in quo decernerentur ea quæ Magiſter prædicti Ordinis duceret arguenda, docenda vel non docenda, prædicanda vel non prædicanda. Ego autem in nomine meo & aliorum Magiſtrorum Concilium acceptaui, & vt celebraretur flexis genibus ſupplicaui; dictus verò Magiſter prædicti Ordinis dictum Concilium recuſauit ſecundùm quod probare poſſum in continenti per literas omnium Epiſcoporum, qui ad prædictum Concilium interfuerunt; quas literas audiuiſtis & vidiſtis. Sed ſic habent literæ, quas hîc ad maiorem fidem ſubijcimus.

H. Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, N. Sueſſionenſis, G. Beluacenſis, V. Nouiomenſis, I. Attrebatenſis, G. Ambianenſis, R. Morinenſis., Prouinciæ Remenſis eadem gratiâ Epiſcopi; R. Carnotenſis, R. Pariſienſis, G. Aurelianenſis, A. Meldenſis, N. Trecenſis, Senonenſis Prouinciæ eadem gratiâ Epiſcopi, & R. de eadem Prouincia electus Neuernenſis; vniuerſis præſentes literas inſpecturis, Salutem in Domino. CVM *Magiſter Ordinis* Prædicatorum *coram nobis Pariſiùs conſtitutis denuntiaſſet nobis, quòd quidam Seculares Magiſtri Theologiæ Pariſienſis docuiſſent & prædicaſſent publicè multa falſa & erronea contra bonos mores, quorum quædam in derogationem Ordinis eorumdem redundabant.* NOS *vocatô* MAGISTRÔ GVILLIELMÔ DE SANCTO AMORE *Regente in Theologia Pariſiùs vnà cum* MAGISTRO LAVRENTIO *in eadem Facultate Regente, ac* QVIBVSDAM ALIIS PROBIS VIRIS SCHOLASTICIS, *quæſiuimus à prædicto* MAGISTRO GVILLIELMO, *ſi quæ contra bonos mores falſa vel erronea prædicaſſet vel docuiſſet, vel Ordinem Fratrum Prædicatorum, qui à Domino Papa erat approbatus, reprobaſſet; prædictus* GVILLIELMVS *prædicta negauit, aſſerens quòd nihil contrarium ſaluti animarum, nec erroneum, vel falſum prædicaſſet, nec Ordinem approbatum à Romana Eccleſia reprobaſſet; offerens quòd paratus erat, vel defendere ſi vera eſſent quæ prædicauerat, vel reuocare vel corrigere ſi reuocanda, vel corrigenda viderentur à nobis.* NOS VERÒ *habitâ deliberatione dicto* MAGISTRO GVILLIELMO *obtulimus, quòd, ſi prædicti Magiſter &*

Fratres Prædicatores acceptarent, celebraremus Concilium, & conuocatis viris peritis & Theologicis, nec non alijs rogatis, qui essent in alijs Prouincijs circumiacentibus in eisdem Facultatibus periti, vt quod per Concilium definiretur obseruaretur; quod dictus MAGISTER GVILLIELMVS *grataner acceptauit, & etiam instanter supplicauit, paratus corrigi super quibus Concilium diceret corrigendum. Et à prædicto Magistro Ordinis prædicti & Fratribus eius secum astantibus requisiuimus, si placeret eis acquiescere definitioni Concily memorati; qui nobis responderunt, quòd eis non placebat, & in Prouincia solummodò Senonensi Concilium haberet authoritatem, nec in alijs Prouincijs fortè obseruaretur quod à Concilio Senonensi esset definitum, & Ordo ipsorum, in cuius derogationem dicebant multa esse prædicata, per omnia Regna erat diffusus. Supplicauit nihilominus dictus* MAGISTER GVILLIELMVS, *tam nomine suo, quàm nomine Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium, vt cùm multa pericula immineren Ecclesiæ Gallicanæ per Pseudo-Prædicatores & Penetrantes domos, de periculis illis inquireremus & ab Ecclesia Dei repellere curaremus, & decerneremus, vtrùm prædicta facienda essent vel non facienda, prædicanda vel non prædicanda; & ad instantiam dicti* MAGISTRI GVILLIELMI, *tam nomine suo, quàm nomine cæterorum Scholarium Parisiensium, præsentibus literis sigilla nostra apposuimus, annò Domini milleſimò ducenteſimò quinquageſimò ſextò, pridie Calendas Auguſti.* Harum literarum publicum inſtrumentum Academiæ conceſſit Radulphus de Cala Morinenſis Epiſcopus, quod ſic incipit *Radulphus Dei gratiâ Morinenſis Eccleſiæ Miniſter humilis*, & datum eſt Pariſiis in craſtino reuelationis Sancti Stephani, annò Domini milleſimò ducenteſimò quinquageſimo ſextò, vt videre licet in Antiquo Pariſienſis Academiæ Tabulario, ex quo prædictæ literæ bonâ fide depromptæ ſunt.

Porrò eodem illò tempore, quò Dominicani Fratres apud omnes illos ſupradictos Epiſcopos ſuâ illâ falsâ atque per calumniam compoſitâ contra Guillielmum & eius Socios accuſatione ceciderant, atque adeò Magiſtri Pariſienſes paulò liberiùs de Dominicanorum malitia ſimul & perfidia palam & publicè querebantur; Sanctus Ludouicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus maturè conſiderans, quòd illa Concordia, quam ſuis ardentiſſimis adhortationibus Dominicani Fratres & Academici coram Prælatis Franciæ nupertimè inierant, ſedandis

eorum animis nihil omninò profuiſſet, ſed potiùs nouam rixandi diſceptandique materiam præbuiſſet, ac proinde Dominicanorum & Magiſtrorum Pariſienſium nouiſſima facta eſſent peiora prioribus; tandem tantorum ac tam feruentium tam iniquorum diſſidiorum nimiùm ac nimiùm quidem pertęſus de conciliandis iterum partibus deuinciendiſque perquàm tenaciter eorum animis iterum atque iterum ſeriò cogitauit. Vnde cùm videret multis habitis hinc inde deliberationibus & conſiliis non poſſe rem totam meliùs confici aut componi, quàm ſi ſuô ductu Sanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ iudicio & prudentiæ crederetur, miſſis Romam Legatis ſuis viris optimis & Eccleſiaſticis, ab Alexandro quarto Pontifice Maximo ſupplex & obnixè poſtulauit, quatenùs omnia damna tam Dominicanis Fratribus quàm Academicis Pariſienſibus nouis iſtis contentionibus & diſſidiis illata ex æquo & bono reſarciret. Teſtis eſt Guillielmus Nangius Monachus Sancti Dionyſij in Francia, qui temporibus illis vixit, & Sancti Ludouici Francorum Regis hiſtoriam ſcripſit, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum quintum; vel certè meliùs, vt exiſtimo corrigendum, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum. *Eodem annô quô ſuprà*, inquit, *diſcordia, quæ fuerat inter Prædicatores & Religioſos, Scholares Pariſius ſtudentes ac Magiſtrum Guillielmum de Sancto Amore recidiuauit; propter quam diſcordiam ſedandam & pacificandam miſit Rex Franciæ Ludouicus ad Curiam Romanam duos Clericos, vt per Dominum Papam debitum finem ſortiretur.* Miſiſſe autem in Dominicanorum gratiam & vt eis faueret aduersùs Academicos ex eo quoquè mihi facilè perſuaderem, quòd ipſe Summus Pontifex Alexander quartus hoc etiam aſſerere videatur in Bulla quæ incipit *Veri Solis radius*, & quæ data eſt Anagniæ tertiô Nonas Octobris annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſextô, vbi ait Sanctum Ludouicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum alloquens *Sanè dilectos Filios Magiſtros Ioannem & Petrum Clericos & Nuntios tuos, quos ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſti, affectuosè recepimus, & in eis, quæ propoſuerunt & petierunt ex parte tua pro eiſdem Fratribus, benignè ipſos audire curauimus & efficaciter exaudire*: niſi viderem aliundè etiam poſt Bullam illam quæ incipit *Cunctis proceſſibus*, & alteram quæ incipit *Veræ fidei* (quibus, vt anteà monuimus,

Digitized by Google

tam Episcopo Parisiensi *etiam sub excommunicationibus pœna*, quàm Sancto Ludouico Francorum Regi Christianissimo *in remissionem peccatorum* iniungebatur, *Quatenùs Guillielmum de Sancto Amore & Odonem de Duaco Doctores Theologiæ, ac Magistros Nicolaum Decanum de Barro super Albam & Christianum Canonicum Beluacensem, tamquam Ecclesiæ Romanæ Rebelles & aliorum Rebellium Incentores ac Turbatores studij Parisiensis, omni dilatione & occasione seu appellatione cessantibus, de toto Regno Franciæ propellere non omitterent*) eumdem Guillielmum de Sancto Amore & eius Socios adhuc Parisiis vidente Rege & Episcopô consentiente remansisse. Vnde cùm ista duo, meô quidem iudiciô, cohærere non possint, *Sanctum Ludouicum Legatos suos ad Sedem Apostolicam destinasse vt faueret Dominicanis aduersùs Academicos*, & è contrà *Guillielmum de Sancto Amore & eius Socios post Bullas illas* (quæ ab Alexandro quarto Pontifice Maximo datæ fuerant, vt Sanctus Ludouicus eos de toto Regno Franciæ expelleret, ac suis curaret priuari beneficijs) *adhuc Parisius remansisse*; non leuem esse coniecturam existimo, Sanctum Ludouicum Francorum Regem Christianissimum non aliô animô Legatos suos ad Sedem Apostolicam destinasse, atque adeò etiam Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum* transmisisse, quàm vt Alexandro quarto Pontifici Maximo ex ista legatione innotesceret, nihil hactenus actum esse aut prædicatum ab Academicis, quod eam, quam tantoperè desiderauerat, concordiam Dominicanos inter & Academicos impediret. Et sanè Academici, quà voce, quà scriptis, illud iterum atque iterum palàm & publicè testabantur *Se nullum Ordinem approbatum ab Ecclesia Libellô illô de Periculis Nouissimorum Temporum designare, multoque minùs impetere; sed tantùm illa pericula, quæ ait Apostolus imminere debere in nouissimis diebus Ecclesiæ Generali per Pseudo-Prædicatores hypocritas, & Penetrantes domos, & Otiosos, & Curiosos, & Gyrouagos, ad instructionem & præparationem simplicium Christi Fidelium enarrare.*

Igitur Academici, vt etiam ostenderent se nullô aliô consiliô post Prælatorum preces ad scribendum de Periculis Nouissimorum Temporum animum appulisse, quàm vt maledicto illi Euangelio (quod *Euangelium Æternum* appellabatur, & quod, licet impium & blasphemum, summis in cœlum laudibus tam à Dominicanis quàm à Franciscanis Fratribus effere-

batur) fidem omninò derogarent, atque adeò omnia illa pecula, quæ ex eo maximè videbantur imminere Ecclesiæ Gallicanæ propellerent; acceptâ famâ perquàm certissimâ, quòd Sanctus Ludouicus Francorum Rex Christianissimus Legatos suos ad Sedem Apostolicam destinasset, atque adeo etiam Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum* ad Romanam Curiam transmisisset, Guillielmum de Sancto Amore & eius Socios ac nonnullos alios Magistros Academiæ præstantissimos ac omnium longè celeberrimos eô consiliô, centuriatis etiam comitijs, elegerunt; vt non tantum Libellum illum, quem ad ad Prælatorum preces *De Periculis Nouissimorum Temporum* ediderant, à Dominicanorum calumniis apud Alexandrum quartum Pontificem Maximum eximerent; sed etiam maledictum illud Euangelium (quod *Euangelium Æternum* appellabatur, & à prædictis Fratribus Dominicanis & Minoribus in opprobrium Legis Euangelicæ prædicabatur) vt potè impium & sacrilegum, pestilentissimum esse demonstrarent. Sed rem sic narrat Matthæus Parisiensis ad annum Domini millesimum ducentesimum quinquagesimum sextum, vbi ait. *Crebrescentibus scandalis & odijs inter Magistros Parisienses & Fratres Prædicatores, electi sunt cum magna deliberatione quidam celeberrimi Magistri Lectores; videlicet Magister Guillielmus de Sancto Amore & Magister Odo de Duaco, qui nobiliter rexerant in Artibus, in Decretis, & tunc in Theologia; Magister Christianus Canonicus Bellouacensis, qui maximus quasi Philosophus emeritus postquàm in Artibus rexerat in Theologia lecturuit; Magister Nicolaus de Barro super Albam, qui rexerat in Artibus, Legibus, & Decretis, ad legendum in Theologia præparatus; Magister Ioannes de Gastauilla Anglicus Rector Vniuersitatis; & Magister Ioannes Belin Gallicus, nominatissimi Philosophi Regentes in Artibus. Omnes isti de Nobilissimis Viris procreati prælecti sunt per magnum (quia fides patiebatur detrimentum) consilium & deliberationem, vt Romam adeant, & Dominum Papam pro tranquillitate Vniuersitatis Parisiensis & fidei redintegratione, maximè cum hoc malum maius generare comminetur; collectaque sunt eis ex Vniuersitate viatica. Fratres namque quædam noua prædicabant legebant & docebant, vt dicebatur, deliramenta, quæ de libro Ioachim Abbatis (cuius scripta Gregorius Papa damnauerat) extraxerunt, & quemdam librum composuerunt, quem sic eis intitulare complacuit.*

Digitized by Google

INCIPIT EVANGELIVM ÆTERNVM, *& quædam alia quæ non expedit recitari.* Atque vt Academici meliùs in Curia Romana exciperentur, & ne turpem aliquam ſordidamque repulſam ab Alexandro quarto Pontifice Maximo paterentur propter omnes illas ſuperiores Bullas, quibus non tantùm omnibus Magiſtris & Scholaribus ſtudij Pariſienſis Excommunicationis ſententiam interminatus fuerat, ſi poſt quindecim dies Dominicanos Fratres in Academiæ conſortium minimè reciperent, quod tamen hactenùs nullomodò fuerat præſtitum; ſed etiam Guillielmum noſtrum & eius Socios omnibus ſuis officiis & dignitatibus Eccleſiaſticis priuari ac de toto Regno Franciæ amoueri præceperat; Omnia Capitula Eccleſiarum Cathedralium Prouinciæ Remenſis, & quorum Epiſcopi non ita pridem in Concilio Senonenſi Pariſiis celebrato Dominicanorum ſimul & Academicorum querelas omnes & expoſtulationes exceperant, atque adeò omnia illa diſſidia, quæ magis ac magis quidem in dies ingraueſcebant, ex æquo & bono reſarcire voluerant, menſe Octobri, eodem annô & tempore quô Magiſtri Pariſienſes Romanum iter aggrediebantur, ſuas ad Alexandrum quartum Pontificem Maximum direxerunt literas; in quibus poſt laudes Academiæ Pariſienſis & expoſitam breuiter illam Concordiam, quam Dominicani Fratres & Academici ad preces Sancti Ludouici Francorum Regis Chriſtianiſſimi menſe Martiô ſuperiori coram nonnullis Franciæ Prælatis inierant, ita tandem Alexandrum quartum Pontificem Maximum in omnium Academicorum gratiam compellarunt. *Sanctitatem veſtram deuotione, quâ poſſumus, humiliter exoramus; Quatenus formam & cauſas* COMPOSITIONIS IPSIVS *pleniùs attendentes, ſcandalis & periculis atque damnis (quæ non ſolum Partibus ipſis, ſed etiam Vniuerſali Eccleſiæ ex tanta diſcertatione imminent) paternâ prouidentia præcauentes, pœnam* MAGISTRIS ET SCHOLARIBVS *inflictam à vobis; & ſpecialiter honorabilibus viris & diſcretis fide firmis* GVILLIELMO DE SANCTO AMORE, ODONI DE DVACO *claris Theologiæ Doctoribus, ac Magiſtris* NICOLAO *Decano de Barro ſuper Albam, &* CHRISTIANO *Canonico Bellouacenſi (præſertim cum tantæ & tam venerandæ multitudinis nimietas ſit in cauſa) dignemini miſericorditer relaxare; ac ipſos & eorum Nuntios, qui parati ſunt mandatis veſtris ſecundùm Deum & iuſtitiam in omnibus obedire, in ſuis iuſtis,*

petitionibus fauorabiliter exaudire. Harum literarum initium eſt *Parens ſcientiarum*; ſuperſcriptio autem *Sanctiſsimo Patri ac Domino, Alexandro Dei gratiâ Summo Pontifici, & Reuerendis Patribus Sacro-ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus Vniuerſis; Omnia Capitula Eccleſiarum Cathedralium Prouinciæ Remenſis, quorum ſigilla præſentibus ſunt appenſa, cum omni reuerentia, obedientia, & honore, pedum oſcula beatorum.*

At dum Guillielmus noſter & eius Socij Romanum iter meditarentur & ad hoc peragendum ſibi neceſſarias colligerent per vniuerſam Academiam pecunias, Fratres *Prædicatores*, vt optimè notat Matthæus Pariſienſis ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, *contra Vniuerſitatem ſuos expeditos Nuntios illicò tranſmiſerunt, vt Magiſtris in faciem contradicerent.* Vnde cùm longè antè quàm Guillielmus noſter & eius Socij ad Romanam Curiam accederent, illorum omnium animos, qui vel tantillùm apud Summum Pontificem gratiâ & ſtudiis valerent, ad ſe ſuaſque partes etiam feruidiſſimis prenſationibus pertraxiſſent, atque adeò iactatis in Guillielmum noſtrum & eius Socios calumniis innumeris etiam putidiſſimis (quas ipſe refellit *In ſuis ad Obiecta Reſponſionibus*) non ſecùs ac ſi Libellò *De Periculis Nouiſsimorum Temporum* totum Dominicanorum Ordinem peculiariter impeteret, ab Alexandro quarto Pontifice Maximo impetraſſent, vt Libellus *De Periculis Nouiſsimorum Temporum* à nonnullis ex Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus examinaretur, apud Othonem de Caſtro Rodulphi Tuſculanum Epiſcopum, Ioannem Tituli Sancti Laurentij in Lucina, Hugonem de Sancto Caro Dominicanum Tituli Sanctæ Sabinæ, & Ioannem Tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum (quos veluti ſibi deditiſſimos ex omnibus Cardinalibus ad hoc negotium deputari procurauerant) illud tandem (quibus artibus neſcio) effecerunt, vt apud Alexandrum quartum Pontificem Maximum de Libello *De Periculis Nouiſsimorum Temporum* talem haberent ex compoſito relationem. *In ipſo quædam peruerſa & reproba contra poteſtatem & authoritatem Romani Pontificis & Coëpiſcoporum ſuorum; & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſsima paupertate mendicant, mundum cum ſuis operibus voluntariâ inopiâ ſuperantes; alia verò contra eos, qui ſalutem animarum zelantes ardenter & ſacris ſtudiis procurantes, multos*

Digitized by Google

tos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum; Quædam autem contra salutarem Pauperum seu Religiosorum statum, sicut sunt dilecti filij Fratres Prædicatores & Minores, qui vigore spiritus sæculo cum suis diuitijs derelicto ad solam cœlestem patriam totâ intentione suspirant, nec non & alia plura inconuenientia digna vtique confutatione & confusione perpetuâ manifestè contineri; Quia etiam idem Libellus magni scandali seminarium & magnæ turbationis materia existebat, & inducebat etiam dispendium animarum, cùm retraheret à deuotione solita & à consueta eleemosynarum largitione, ac à conuersione & Religionis ingressu Fideles. Sicque tandem Alexander quartus Pontifex Maximus, auditâ plenariè istorum quatuor Eminentissimorum Dominorum Cardinalium relatione, tertiò nonas Octobris, annò Domini millesimò ducentesimò quinquagesimò sextò (dum tamen adhuc in itinere essent Guillielmus noster & eius Socij, nec dum etiam Capitula Ecclesiarum Cathedralium Prouinciæ Remensis in eorum gratiam suas misissent ad Sedem Apostolicam literas) obnixè rogantibus, immò verò opportunè importunè procurantibus Dominicanis Fratribus, Bullam illam quæ incipit *Romanus Pontifex* apud Anagniam in Ecclesia Cathedrali condidit, in qua Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum* Authoritate Apostolicâ de Fratrum suorum consilio condemnauit. Placet hîc verba condemnationis exprimere. *Nos*, inquit, *Libellum eumdem, qui sic incipit* ECCE VIDENTES CLAMABVNT FORIS, *quique secundùm ipsius titulum* TRACTATVS BREVIS DE PERICVLIS NOVISSIMORVM TEMPORVM *nuncupatur, tamquam* INIQVVM, SCELESTVM, ET EXECRABILEM, *& instructiones ac documenta in eo tradita, vt pote* PRAVA, FALSA, ET NEFARIA, *de Fratrum nostrorum consilio Authoritate Apostolicâ reprobamus, & in perpetuum condemnamus; districtè præcipientes, vt quicumque Libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem & condemnationem sciuerit, prorsùs & in toto & in qualibet sui parte comburere & abolere procuret. In illos enim, qui huius nostri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, firmiter in virtute obedientiæ prohibendo, ne quisquam prædictum Libellum ore Apostolicò iam damnatum approbare vel quomodolibet defensare præsumat. Si quis verò præsumpserit, tamquam* CONTVMAX, INOBEDIENS, ET REBELLIS *Romanæ Ecclesiæ ab omnibus Fidelibus ha-*

beatur; & nos nihilominùs aliàs contra eum taliter procedemus, quòd pœna condigna temerariùm feriet, & alij eâ perterriti à similibus frænabuntur.

Atque vt hæc condemnatio Libelli *De Periculis Nouißimorum Temporum* firma & fixa haberetur in Galliis, atque adeò Dominicani Fratres (quod primarium intentum erat) in Academiæ consortium admitterentur ab Academicis; Alexander quartus Pontifex Maximus nonnullas alias Bullas etiam plurimas & frequentissimas in lucem edidit, quas hîc omnes, vt rem tōtam meliùs intelligas, in breue compendium & epitomen accuratissimam contraximus. Prima incipit *Veri Solis radius* & data est Anagniæ decimô sextô Calendas Nouembris, eodem mense & annô quô superior; in qua Summus Pontifex Sanctum Ludouicum Francorum Regem Christianissimum alloquens, postquàm asseruit *Se Libellum De Periculis Nouissimorum Temporum ad se per eius Nuntios delatum, tamquam iniquum, scelestum, & execrabilem; & instructiones ac documenta in eo tradita vtpotè praua, falsa, & nefaria, de Fratrum suorum consilio, Authoritate Apostolicâ, præsente magnâ Fidelium multitudine, reprobanda duxisse & in perpetuum condemnanda*, ita tandem eum his verbis in Dominicanorum gratiam compellauit. *Magnificentiam tuam omni quâ possumus affectione rogamus, Quatenùs memoratos Fratres consuetâ benignitate ac gratia prosequens, eos tamquam probatos & acceptos Christi Ministros habeas attentiùs commendatos, & ab iniurijs & molestijs protegas & præserues, ita quòd tuô securi munimine quietam & gratam impendere Domino valeant seruitutem.* Secunda incipit *Non sine multa cordis amaritudine*, & data est Anagniæ decimô quartô Calendas Nouembris eodem mense & annô quo superior; in eaque Summus Pontifex Venerabilibus Fratribus suis Turonensi & Rothomagensi Archiepiscopis ac Episcopo Parisiensi suis literis dedit in mandatis in virtute obedientiæ *Vt omnes Magistros, Doctores & alios, qui siue in scholis, siue in prædicationibus, seu alibi præmissa* (nimirum, vt patet ex ipsa Bulla; *Quòd Fratres* Prædicatores *& Minores in statu & via saluandorum non erant; nec meritoria & salutifera existebat eorum mendicitas & paupertas; cum deberent, valetudine corporali & alijs iustis impedimentis cessantibus, proprijs manibus operari, sub spe alieni subsidij non torpendo, nec pro sustentatione vel pro necessarijs extranea mendicando suffragia, seu ab alijs*

Digitized by Google

vitæ adminicula expectando; Quodquè de licentia vel commissione Romani Pontificis seu Diocesanorum Episcoporum prædicationis exercere officium & confessiones audire liberè non valebant, tamquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus præiudicium inferretur; & nonnulla alia, quæ non omninò ita scripta fuerant in Libello *De Periculis Nouissimorum Temporum*, multoque minùs prædicata ab aliis Academicis) *dicere attentarunt, ex parte sua monere procurarent, vt infra certum terminum ab ipsis Archiepiscopis & Episcopo præfigendum eisdem, dictum suum in ijs publicè reuocarent malè se dixisse fatentes, illaque detestarentur penitus & retractarent, asseuerando constanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quòd si non facerent, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis, & perpetuæ priuationis beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sententias, sublatô cuiuslibet appellationis obstaculô, efficaciter procedere non omitterent; Laicos de hoc culpabiles vel fautores huiusmodi Præsumptorum animaduersione debitâ percellentes.* Atque vt hæc Bulla faciliùs & expeditiùs executioni demandaretur, eodem die data est & tertia, quæ etiam incipit *Non sine multa cordis amaritudine*; in qua Summus Pontifex Alexander quartus Sanctum Ludouicum Francorum Regem Christianissimum ita demum alloquitur. *Celsitudinem tuam affectuosè requirimus & rogamus, Quatenùs prædictis Archiepiscopis & Episcopo, cùm ab eis requisitus fueris, tuum fauorem & auxilium magnificè largiaris; ita quòd tuâ eis fauente potentiâ mandatum Apostolicum sibi directum efficaciter exequi valeant, & nos magnificentiam tuam exinde dignis in Domino laudibus commendare possimus.* Quarta incipit adhuc *Non sine multa cordis amaritudine*, & data est Anagniæ duodecimô Calendas Nouembris eodem mense & annô quô tres aliæ præcedentes; in qua Summus Pontifex Vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, & alijs Ecclesiarum Prælatis, cuiuscumque Ordinis vel Professionis, per Franciam, Burgundiam, Picardiam, Britanniam, & Normaniam constitutis, ita præcipit dicens. *Vniuersitatem vestram rogamus & & hortamur attentè per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, Quatenùs memoratos Fratres omni benevolentiâ & gratiâ prosequentes, eos tamquam probatos & acceptos Christi Ministros habeatis pro diuina & nostra reuerentia propensiùs commendatos, ipsos ab iniurijs & molestijs opportunis præsidijs defendentes,*

Digitized by Google

ita quòd ex hoc Vobis & Vestris Ecclesiis fortiùs obligemur. Porrò quinta incipit *Quidam Scripturæ Sacræ*, & data est adhuc Anagniæ eodem planè die quô superior, in eaque Summus Pontifex Alexanderquartus, posteaquàm asseruit *Se Libellum De Periculis Nouissimorum Temporum, tamquam iniquum, scelestum, & execrabilem, & instructiones ac documenta in eo tradita Vt potè praua, falsa, & nefaria, de Fratrum suorum consilio, Authoritate Apostolicâ, præsente magnâ Fidelium multitudine, duxisse reprobanda & in perpetuum condemnanda*, & cætera omnia, quæ in Bulla ipsius condemnationis plenariè continentur; ita tandem mentem suam aperit, Turonensem & Rothomagensem Archiepiscopos, ac ipsum etiam Parisiensem Episcopum alloquens. *Fraternitati Vestræ per Apostolica scripta in Virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, Quatenùs huiusmodi nostram reprobationem, condemnationem, præceptum, & prohibitionem, ac præmissa, Parisiis solemniter publicetis, & faciatis per alios in omnibus locis, in quibus expedire Videritis, publicari; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo.* Sexta incipit *Parisius peritiæ summæ finus*, & data est Anagniæ decimô septimô Calendas Decembris eodem annô quô superior; in qua Summus Pontifex Alexander quartus, postquàm Summis in cœlum laudibus Parisiensem Academiam extulit; postquàm etiam eam ob causam asseruit *Conuenire quidem & expedire, Vt Summus Pontifex totius diligentiæ studium impendat, Quatenùs Academia Parisiensis, Apostolicâ sollicitudine continuô sibi procuratô munimine contra noxia quælibet & aduersa, solida permaneat & secura, Vt sua non quatiatur firmitas, integritas non frangatur, aut corrumpatur synceritas, nec Vnitas diuidatur*; postquàm dixit *Quosdam esse in Academia Parisiensi, qui Academicos friuolis occasionibus adinuentis impedire conantur, eorumque laudabilem in studij exercitatione processum immissione dissidij & scandali concitatione turbare, adducentes in eos commotionis turbinem & inferentes discordiæ tempestatem, crebras faciendo conuocationes, praua conuenticula ordinando, & eos ad has iniquas & callidas suggestiones pertrahendo; ita quòd, cùm debebant in silentio & quiete inuminere libris & lectioni, oportebat eos propter ista intermissô studiô clamoribus & strepitibus interesse, ac pro Vanis & minimè congruis tractatibus inutiliter euagari*: ac proinde *Si Summus Pontifex Viros tempestuantes corripit; si Ecclesiasticâ districtione*

Digitized by Google

talium temeritatem arcet; Si horum maliloqua molimina Apoſtolicâ poteſtate conterit, impias colligationes & reproba conſilia diſſipans; Academicos de hoc vehementer gaudere debere, & tamquam de magni beneficij dono communiter exultare. Vnò verbò, poſtquàm multis aperuit *Se turbari plurimùm, & Academicu etiam debere non modicùm diſplicere, cùm aliqui æmuli Fratrum Predicatorum & Minorum* (per quos aſſerit Pariſienſe ſtudium grande augmentum recipere, & eximium Vniuerſitatem ornamentum) *ſtatum ipſorum humilem & quietum moliuntur ſubuertere, & Academicos aduersùs eorum innocentiam commouere*; Ac demum *Se contra omnes, qui aduersùs prædictos Fratres ſtultè & improuidè ſunt loquuti, efficaciter procedi mandauiſſe, grauesque ipſis pœnas infligi, niſi per ſufficientem ſatisfactionem ſibi duxerint celeriter conſulendum; Libellumque de Periculis Nouiſsimorum Temporum poſt plenariam examinationem ipſius, tamquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem, de Fratrum ſuorum conſilio, Authoritate Apoſtolicâ reprobandum duxiſſe & in perpetuum condemnandum*; ita tandem vniuerſos Magiſtros & Scholares Pariſienſes, ad quos ſuas literas dirigit, alloquitur. *Vniuerſitatem veſtram (quam affectione paternâ proſequimur) requirimus & hortamur per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, Quatenùs ſicut viri prudentes cogitantes diſcretè, quòd dignè ac iuſtè proceſsimus in præmiſsis, & quòd veſtram in hoc vtilitatem operati ſumus, deprimendo Vniuerſitatis eiuſdem tam noxios Turbatores; ac exinde pariter congaudentes, virtutum & ſcientiæ ſtudio principaliter intendatis, veſtros ad hoc affectus conuertentes totaliter & firmantes, à detractionibus, obloquutionibus, & doloſis perſuaſionibus aures & animos auertendo, & euitando ac repellendo longiùs ſeditioſos & perniciosos viros, quibus amœnum & delitioſum eſſe videtur adinuenire diſſentiones & diſcordias procurare; ac ſupradictos Fratres, tamquam acceptos Chriſti Miniſtros & Interceſſores ad Deum pro populo efficaces, habentes attentius commendatos, nullis eos vexetis aut inquietetis moleſtus; ſed pro diuina & noſtra reuerentia ſuæque Sacræ Religionis intuitu fraternâ ipſos proſequamini charitate, ac eos beneuolentiæ veſtræ ſuffragijs foueatis.* Et quia fortè Magiſtri Pariſienſes tot & tantis ac tam diuturnis Dominicanorum oppreſſionibus fatigati, vel etiam nimium ac nimium quidem pertæſi, de diſſoluendo Pariſienſi ſtudio & in aliud Regnum transferendo cogitabant (quod etiam in ſuis ad Alexandrum quartum Pontificem Maximum literis &

expoſtulationibus anteà comminati fuerant, ſi tam acriter ad admittendos in Academię conſortium Dominicanos vrgerentur) ideò ſtatim ſubiungit eos iterùm ſic alloquens. *Ad hæc, quia ſtudium in Ciuitate prædicta proſperis ſemper excreuit augmentis, & optimos produxit effectus, vnde nullatenùs expediret ipſum exinde remoueri, ſed valde damnoſum exiſteret, ſi forſan alibi transferretur; de veſtra & ipſius translatione ſtudij ad locum alium nihil, his penſatis, ſtatuatis penitùs neo firmetis; Nos enim parati ſumus in omnibus, quæ ipſius Vniuerſitatis honorem & bonum reſpiciunt, vobis Apoſtolicæ gratiæ ianuam liberaliter aperire.* Sed ſatis de Bullis anni Domini milleſimi ducenteſimi quinquageſimi ſexti; ad alias properandum, vt è veſtigio rem totam intelligas.

Igitur annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſeptimô ſecundùm ſupputationem Romanam; vel certè adhuc milleſimô ducenteſimo quinquageſimô ſextô ſecundùm Gallicanam; Alexander quartus Pontifex Maximus attentè conſiderans, quòd Magiſtri Pariſienſes omnibus illis Bullis ſuperioribus, & quas in Dominicanorum gratiam aduersùs Academicos ediderat, nequaquam adduci potuerant vt Dominicanos Fratres in Academiæ conſortium admitterent, ac etiam Libellum *De Periculis Nouiſſimorum Temporum*, multoque minùs omnes illas propoſitiones, quas inter prædicandum & coram Prælatis Franciç nuperrimè contra Pſeudo-Prædicatores hypocritas, & Penetrantes domos, & Otioſos, & Curioſos, & Gyrouagos aſſeruerant, eiurarent; tandem exiſtimans ſe ſuaſque Bullas & conſtitutiones à Magiſtris Pariſienſibus propter varias, quas interponebant, appellationes omninò negligi & haberi contemptui; nonnullas alias Bullas, eaſque longè acerbiſſimas, in eumdem finem, quô ſex ſuperiores euulgauerat, in lucem edidit, quibus ſi non omninò omnium Academicorum animos compeſceret, ſaltem eos aliquantulùm ab vrgendo ſuo propoſito retardaret. Sed placet hîc breuem omnium iſtarum Bullarum enumerationem attexere. Prima incipit *Licet nos olim*, & data eſt Laterani ſeptimô Idus Ianuarij annô tertiô Pontificatus Alexandri quarti Pontificis Maximi ineunte, & reparatæ ſalutis humanæ milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſeptimô ſecundùm ſupputationem Romanam; milleſimô autem & ducenteſimô quinquageſimô ſexto ſecundùm

Digitized by Google

Gallicanam, in qua Summus Pontifex Alexander quartus, volens vt constitutio, quam pro conseruando Parisiensis Academiæ studio ediderat, & quæ Bullâ *quasi lignum vitæ* pleniùs continebatur, ab omnibus Magistris & Scholaribus Parisiensibus reuerenter & simpliciter obseruaretur, Parisiensis Academiæ Cancellario præcepit, vt regendi Parisiis in aliqua Facultate nemini licentiam tribueret, nisi priùs bonâ fide promitteret, se prædictam Sedis Apostolicæ constitutionem ac omnia mandata in ea contenta firmiter & inuiolabiliter seruaturum. Attende ad verba quæ tibi subiicimus. *Discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, Quatenùs regendi Parisiis in aliqua Facultate nemini licentiam tribuas, nisi priùs tibi bonâ fide promiserit prædictam Ordinationem nostram & mandata in ea contenta se firmiter & inuiolabiliter seruaturum.* Secunda incipit *Non sine multa cordis amaritudine*, & data est est Laterani tertiô Calendas Aprilis eodem annô quô superior; in qua Summus ille Pontifex Alexander quartus omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos literæ istæ peruenirent, eadem omninò mandat & præcipit, quæ anteà expressè mandauerat vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis cuiuscumque Ordinis vel Professionis, per Franciam, Burgundiam, Picardiam, Britanniam, & Normaniam constitutis, in Bulla illa quæ incipit *Non sine multa cordis amaritudine*, & data est Anagniæ duodecimô Calendas Nouembris, annô Domini millesimô ducentesimô quinquagesimô sextô; sic enim habet eos alloquens. *Volumus & per Apostolicâ vobis scripta districtè præcipiendo mandamus, Quatenus singuli vestrum in Ciuitatibus & Diocesibus suis, ad requisitionem Fratrum Prædicatorum & Minorum earumdem Ciuitatum & Dioceseon, per se vel per alios inquirentes de plano & sine strepitu iudicij super assertione & præsumptione huiusmodi diligentiùs veritatem, omnes Magistros, Doctores & alios, qui sine in scholis, sine in prædicationibus, seu alibi præmissa* (nempè *Quòd Fratres Prædicatores & Minores in statu & via Saluandorum non erant; Quòd nec meritoria, nec salutifera existebat eorum mendicitas & paupertas, cùm deberent* (*valetudine corporali & alys iustis impedimentis cessantibus*) *proprijs manibus operari, sub spe alieni subsidij non torpendo, nec pro sustentatione vel necessarijs extranea*

mendicando ſuffragia, ſeu ab alijs vitæ adminicula expectando; Quodquè de licentia vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu Dioceſanorum Epiſcoporum, prædicationis exercere officium & confeſsiones audire liberè non valebant, tamquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus præiudicium inferretur; & alia nonnulla, quæ hîc quidem Bulla inſinuat, ſed omninò prætermittit) *vel aliquod ipſorum dicere attentarunt, vel in poſterum attentabunt, ex parte noſtra monere ſtudeant, vt infra certum terminum ab ipſis præfigendum eiſdem, dictum ſuum in ijs publicè reuocent male ſe dixiſſe fatentes, illaque deteſtentur penitus & retractent, aſſerendo conſtanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod ſi forte ipſi monitis eorumdem in hac parte acquieſcere non curauerint, ex tunc contra eos ad ſuſpenſionis, excommunicationis, & perpetuæ priuationis beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum ſententias ſublatô cuiuſlibet appellationis impedimentô procedant, Laicos de hoc culpabiles vel fautores huiuſmodi Præſumptorum animaduerſione debitâ percellentes, ſæcularis brachij ad hoc ſi neceſſe fuerit auxiliô inuocatô.* Et ne quiſquam excuſationes aliquas prætexere poſſet, quominùs dicto obediens mandatis obtemperaret Apoſtolicis, ita ſtatim ſubiungit dicens. *Ne autem aliquis ex ignorantia velamen excuſationis aſſumat, vobis vniuerſis & ſingulis diſtrictè præcipimus, vt ad requiſitionem Fratrum eorumdem Ordinum in Ciuitatibus & Dioceſibus veſtris manentium præſentes literas & earum tenorem in Eccleſiis & Synodis veſtris publicetis & faciatis ſolemniter publicari, non obſtantibus aliquibus literis vel indulgentijs alicui vel aliquibus Perſonis ab Apoſtolica ſede conceſſis; quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra ſuas Ciuitates & Dioceſes ſeu loca in cauſam trahi non poſsint.* Demum Bullam iſtam in Dominicanorum Franciſcanorumque gratiam concludens ita tandem omnes illos Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ad quos Bulla illa dirigitur, iterùm ac tertiò compellat & alloquitur. *Vos autem memoratos Fratres omni beneuolentiâ & gratiâ proſequentes, eos tamquam probatos & acceptos Chriſti Miniſtros, habeatis pro diuina & noſtra reuerentia propenſiùs commendatos, ipſos ab iniurijs & moleſtijs optimis præſidijs defendentes; ita quòd ex hoc vobis & veſtris Eccleſiis fortiùs obligemur.* Hactenùs ſecunda Bulla. Tertia incipit *Circa frequens* & data eſt adhuc Laterani quartô Idus Maij eodem planè annô quô ſuperior, niſi quòd tunc temporis tantùm recenter inceperat,

annus

annus Domini milleſimus ducenteſimus quinquageſimus ſeptimus ſecundùm ſupputationem Gallicanam, cum iam ſecundùm Romanam ad dimidiam ferè ſui partem annus ille effluxiſſet; in eaque Summus ille Pontifex Alexander quartus attentè iterùm conſiderans, quòd Magiſtri Pariſienſes non tantùm omnes illas exceptiones, quas paulò liberiùs in ſuis ad Alexandrum quartum Pontificem Maximum literis & expoſtulationibus aduersùs Dominicanos, ne in Academiæ conſortium admitterentur, obtulerant, ſed etiam compoſitionem illam, quam non ita pridem apud illuſtriſſimos Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtites cum ijſdem Dominicanis inierant, & quâ expreſsè cautum fuerat, vt anteà vidimus, *Vt Fratres omnibus Bullis à ſe contra Academiam impetratis, aut in poſterum impetrandis abrenuntiarent*, veluti clypeum ſeptemplicem ac murum pluſquàm aheneum obijcerent; ne deinceps Academici tale quidpiam in ſui defenſionem obtenderent, omnes iſtas Academicorum noſtrorum exceptiones tamquam eluſorias, ineptas, & friuolas declarauit, ac memoratam compoſitionem etiam annô ſuperiore per Bullas (quarum vna incipit *Cunctis proceſsibus*, altera *Licet olim*, tertia *Cùm aduersùs*) expreſſiſſimè reuocatam iterum ac denuò reuocauit. Placet hîc verba ſubijcere. *Nos igitur omnibus (quæ ſuper præmiſsis* exceptionibus & compoſitione per Academiæ Nuntios & Procuratores *coram nobis fuere propoſita) pleniùs intellectis*, EXCVSATIONES, *&* ALLEGATIONES *præmiſſas, ac* APPELLATIONES *quaſcumque Magiſtrorum & Scholarium prædictorum, tamquam* ELVSORIAS, INEPTAS, ET FRIVOLAS *de Fratrum noſtrorum conſilio repellentes, ſententialiter decernimus Ordinationem ſæpedictam* (quæ nempe Bullâ *Quaſi lignum Vitæ* continebatur) *& omnia, quæ continentur in ipſa,* COMPOSITIONE ET ALIIS IN CONTRARIVM ALLEGATIS NEQVAQVAM OBSTANTIBVS, *ab omnibus Magiſtris & Scholaribus Pariſius exiſtentibus, ceſſante contradictione qualibet, integrè & inuiolabiliter obſeruari, & Apoſtolica reſcripta, quæ ſuper ipſius Ordinationis executione, vel obſeruatione proceſsiſſe noſcuntur, habere ſuiroboris firmitatem. Inſuper adijciendo ſtatuimus, vt Scholares omnes, tam Religioſi de Prælatorum ſuorum licentia Pariſiùs gratiâ ſtudij quomodolibet commorantes, quàm etiam Sæculares, vbicumque voluerint, lectionibus vel prædicationibus audiendis, ſiue quæſtionibus diſputandis, libere valeant intereſſe; vtque tam Prædica-*

catorum quàm Minorum Ordinum Fratres & Religiosi alij, qui pro tempore Parisiùs Doctores fuerunt in Theologica Facultate, ac Scholares ipsorum, in societatem, consortium, & Collegium aliorum Magistrorum & Scholarium Parisiensium recipiantur plenariè, semperque in eis efficaciter habeantur.

Et quia maxima pars hominum cordatorum, qui omnium istorum grauissimorum dissidiorum, quæ inter Academiam Parisiensem & Fratrum Dominicanorum Ordinem intercesserant, initia, causas, & incrementa viderant, audierant, & testes oculati perquàm diligenter examinauerant, Dominicanos Fratres incusabant, & eos veluti curiosos litium Amatores ac Academici Parisiensis studij Perturbatores importunos (vt potè qui, vt anteà vidimus, per fas & nefas in alienas possessiones inuitis earum Dominis inuaserant) increpabant; ideò, ne quis posset in posterum tale quidpiam contra Dominicanos obloqui, quasi per eorum culpam illa discordia, quæ inter Academicos & eorum Ordinem mota fuerat, emersisset; Viterbij decimô Calendas Iunij, eodem planè mense quô superior, quarta quædam Bulla edita est cuius initium *Cœlestis ille Agricola*; in qua Summus ille Pontifex Alexander quartus, postquàm summis in cœlum laudibus Dominicanorum Ordinem extulit, & eorum discordiam cum Magistris Parisiensibus apud se coràm diligentissimè discussam fuisse perhibuit, ita tandem vniuersos, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Decanos, Archidiaconos, & alios Ecclesiarum Prælatos, ad quos literæ istæ peruenirent, alloquitur. *Vniuersitatem vestram rogamus & hortamur, attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, Quatenùs dictos Fratres Prædicatores habentes de hoc penitùs excusatos, & eorum in his innocentiam vestris Subditis exponentes, ipsos ad reuerentiam Sedis Apostolicæ & nostram, tamquam speciales & amabiles Ecclesiæ Romanæ filios, ac salutis animarum feruidos zelatores, cum omni charitate ac benignitate tractetis & optimis consilijs & subsidijs foueatis; ita quòd affectum (quem ad nos & eamdem habetis Ecclesiam) ex hoc plenius agnoscentes, reddamur exinde ad vestra & Ecclesiarum vestrarum commoda promptiores.* Immò, ne Academici moras aliquas necterent subscribendæ isti tertiæ Bullæ quæ incipit *Circa frequens*, atque adeò diuerticula quædam noua quærerent aut effugia, quominùs mandatum Sedis Apostolicæ executioni demanda-

rent; eodem annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſeptimô, Viterbij, ſecundô Idus Iulij data eſt, vel potiùs ex anno ſuperiori ad verbum ferè repetita Bulla illa quæ incipit *Cùm aduersùs*; in qua breuiter adhuc enumeratis omnibus illis quæ in tertia Bulla quæ incipit *Circa frequens* continebantur, ita demum Pariſienſi Epiſcopo mandabatur. *Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ ac etiam ſub excommunicationis pœna diſtrictè præcipiendo mandamus, Quatenùs præſentium & literarum ipſarum tenores, omni dilatione & occaſione poſtpoſitis, per te vel per alios Pariſiùs ſolemniter publicans, Ordinationem, literas, & ſtatuta prædicta, & quæ continentur in eis, facias integrè & inuiolabiliter obſeruari; chariſſimi in Chriſto Filij noſtri Illuſtris Regis Franciæ ad hoc, ſi opus fuerit, auxiliô inuocatô.* Atque vt Summus Pontifex eos omnes, qui ſuis contrairent mandatis, omninò compeſceret, ita ſtatim in Dominicanorum gratiam ſubiunxit dicens. *Ne verò tantæ rebellionis vitium vlteriùs poſſit eſſe alijs occaſio ſchiſmatis & contumaciæ perniciosæ fomentum, omnes Magiſtros & Scholares Sæculares & Auditores Pariſienſes, qui expreſsè ac publicè non paruerint reſtitutioni dictorum Fratrum Prædicatorum per fœlicis recordationis Innocentium Papam quartum Prædeceſſorem noſtrum, & poſtmodùm per nos factæ Ordinationi, literis, ſententijs, ſtatutis, ac mandatis noſtris infra vnum menſem, poſtquàm tenor præſentium, vt prædictum eſt, fuerit Pariſiùs publicatus, omnibus dignitatibus & beneficijs Eccleſiaſticis, ac officiô Magiſtrali, prædicatione & doctrinâ priuamus, & in poſterum reddimus omninò indignos; decernentes eſſe ab Ordinum executione & ſuſceptione ſuſpenſos. Eos quoque, qui occaſione præſentium aut aliarum literarum Sedis Apoſtolicæ pro dictis reſtitutione & ordinatione ſeruandis, ſiue occaſione ſtudij Pariſienſis directarum, ipſum ſtudium diſſipare, aut turbare, ſeu alibi abſque Sedis eiuſdem ſpeciali licentia contra Ordinationis prædictæ transferre præſumpſerint, excommunicationis vinculô innodamus.* Et poſt pauca. *Si qui verò (quod abſit) prædicta non curauerint adimplere, aut aliàs in his contumaces fuerint vel rebelles, ſeu quietis Scholarium & ſtudij turbatores; tu eorum nomina (vt nominatim grauiori pœnâ mulctentur) nobis intimare procures, hoc ipſi ſupradicto Regi denuntians, vt ad bonorum pacem malorumque terrorem, eos, vt expedire viderit, coerceat traditâ ſibi diuinitùs poteſtate.* Bulla autem,

quam Summus ille Pontifex ad Sanctum Ludouicum Francorum Regem Christianissimum, vt Episcopo Parisiensi promptum præstare curaret auxilium, transmisit, incipit *Bona meritoria*, & data est Viterbij secundò Calendas Augusti, eodem adhuc anno & mense quo superior; in qua Summus Pontifex Sanctum Ludouicum compellans, ac ei Dominicanorum Franciscanorumque Ordines commendans, aduersus Magistros Parisienses ita tandem eum alloquitur. *Sublimitatem tuam rogamus & hortamur in Domino, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenùs venerabili Fratri nostro Episcopo Parisiensi (cui prædictorum sententiæ & statutorum, præsertim verò Quasi lignum vitæ, & Circa frequens, executionem commisimus) promptum & fauorabile super hoc contra Inobedientes & Rebelles ac quietis studij Turbatores, & præfatorum Fratrum Vexatores præstare brachij tui cures auxilium, quò pax muniatur humilium & insolentiorum ceruicosa peruicacia confringatur; excludendo à Regno Franciæ, vel aliàs coercendo, prout videris expedire.*

Sed quid Guillielmus noster & eius Socij, dum hæc à Dominicanis contra Magistros Parisienses, absentibus adhuc eorum Nuntiis & Procuratoribus, in Italia gererentur? Putas forsitan eos adeò turpiter animum abiecisse, vt postquàm accepissent Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum* ab Apostolica Sede damnatum fuisse & in Ecclesia Cathedrali apud Anagniam publicè combustum, ad lares proprios indictâ causâ remeauerint? Erras, si credis; aliter se res habet. Quamuis enim multi, ex omnibus istis selectis Academicis dum adhuc essent in itinere propter omnes illas Bullas acerbissimas, quas Alexander quartus Pontifex Maximus post damnatum à se Libellum *De Periculis Nouissimorum* etiam de repente & ex improuiso contra Magistros Parisienses in cumulum aggesserat, fortè penitùs animô ceciderint, atque adeò paulò post Anagniæ Magister Odo de Duaco Doctor Theologus, & Christianus Canonicus Bellouacensis, minis forsitan à Dominicanorum Fautoribus exterriti, etiam Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum*, ac omnes illas, quas olim contra Dominicanos attulerant, exceptiones eiurauerint; nihilominùs tamen Guillielmus noster, qui semper intrepidus veluti virtutis veræ Cultor rigidusque Satelles ab Academicorum

partibus ſteterat, animô forti & inconcuſsô ad Romanam Curiam accedens, poſtquàm cauſæ dicendæ conſtitutus eſſet dies, adeò fortiter & generosè dicitur pro veritate pugnauiſſe, & ita clarè de doctrina & innocentia ſua rationem reddidiſſe, vt ſedentibus pro tribunali quatuor illis Cardinalibus, qui non ita pridem in Dominicanorum gratiam Libellum *De Periculis Nouiſsimorum Temporum* examinauerant, præſentibus etiam & impugnantibus Aduerſariis & Obtrectatoribus, ab omnibus Fratrum calumniis & impetitionibus immunis tandem pronuntiatus fuerit & abſolutus. Audi Chronica Normaniæ ab Andræa Ducheſnio viro cuiuſuis hiſtoriæ longè peritiſſimo collecta & compacta, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quadrageſimum quartum; vel certè potiùs, vt corigendum eſſe exiſtimo, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, vbi habent. *Magiſtri Theologiæ Vniuerſitatis Pariſienſis (præcipuè Magiſter Guillielmus de Sancto Amore) prædicare cœperunt quædam Signa Scripturarum ad cognoſcendum Pſeudo-Religioſos Prædicatores, qui vltimis temporibus ad debellandum fidem Catholicam ſunt venturi, vnde & quemdam de hoc librum compoſuerunt quem intitulauerunt* DE PERICVLIS NOVISSIMORVM TEMPORVM. *De quô prædicti Religioſi (ſcilicet Mendicantes) ſupra modum dolentes ad Papam Alexandrum Librum prædictum detulerunt, quem condemnauit ipſum dicens compoſitum* IN ODIVM ET SCANDALVM RELIGIOSORVM. *Vnde præmiſſam pacem diſſoluit, & quatuor de Maioribus Vniuerſitatis Pariſienſis à Regno, niſi eos ſine mora reciperent, priuauit. Qui ad Papæ Curiam accedentes, tres eorum voluntati fauentes reſtituti & cum in nominia ſunt reuerſi (ſcilicet Magiſter Odo de Duaco, & Magiſter Chriſtianus, ac Decanus de Barro ſuper Albam) Quartus verò (ſcilicet Magiſter Guillielmus de Sancto Amore fortiter in Curia ſtetit, & in pluribus à prædictis Religioſis accuſatus, de ſua innocentia & doctrina coram quatuor Cardinalibus competenter ſatisfecit; à quibus ab omni impetitione Fratrum pronuntiatus eſt immunis.* Lege, ſi placet, Guillielmum noſtrum in ſuis ad Obiecta Reſponſionibus, & videbis eum nullum calumniæ locum reliquiſſe.

Verùm dùm obtentâ, etiam ab Alexandro quarto Pontifice Maximo, quando placeret abſcedendi licentiâ, propter

aduerſam valetudinem, quæ eum grauiter inuaſerat, infirmus admodùm reuerteretur in Galliam; Dominicani, qui dubio procul optimè ſenſerant ſe nihil hactenùs profeciſſe, ſed potiùs causâ ſuâ cecidiſſe, quandoquidem Guillielmus noſter, in cuius caput vnicè coniurauerant, non modò liber & abſolutus ab omnibus ſuis calumniis & accuſationibus, ſed etiam victor & ouabundus, vindicatis omnibus illis propoſitionibus quæ in Libellô *De Periculis Noniſsimorum Temporum* continebantur, Lutetiam Pariſiorum repeteret; ab Alexandro quarto Pontifice Maximo (qui, quamuis aliàs & virtute & eruditione vir eſſet ſummus, nimiùm tamen erat, vt ſcribit Auentinus lib. 7. *Sibilis adulantium ſeducibilis & praui ſuggeſtionibus inclinatiuus*) quà vi, quà precibus, quà clancularijs artibus & technis extorſerunt, vt Guillielmum noſtrum (quem modò liberum auditis hinc inde partibus ex Italia diſcedere conceſſerat) non tantùm ab aditu Regni Franciæ (quod tamen Iuris eſt Politici Principis, non Eccleſiaſtici) prohiberet, ſed etiam omnem legendi, docendi, ac prædicandi facultatem in perpetuum interdiceret, & ab omnibus ſuis beneficiis & dignitatibus Eccleſiaſticis (ita quòd nec docere alicubi, nec vmquam alicui clero vel populo ſine Sedis Apoſtolicæ permiſſione de cætero auderet prædicare) abdicaret. Audi iterùm Chronica Normaniæ ab Andræa Ducheſnio collecta & compacta, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quadrageſimum quintum; vel certè, vt iterùm corrigendum exiſtimo, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſeptimum, vbi habent. *Magiſter Guillielmus de Sancto Amore, dum obtentâ à Papa Alexandro licentiâ redeundi propter grauiſsimam infirmitatem quæ eum inuaſerat, ad terram ſuam reuerteretur infirmus; Papa Alexander eidem literas miſit, in quibus eum priuabat ab ingreſſu Regni Franciæ, & ab omnibus ſuis beneficijs, ab actuque pariter legendi, prædicandi, atque docendi.* Sed præſtat Bullam Alexandri ſubijcere.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Guillielmo de Sancto Amore, in bonum dirigere greſſus ſuos. CVM *propter multiplices culpas & grandes offenſas quas temerariè commiſiſti, & ſpecialiter propter Libellum pernicioſum & deteſtabilem à te compoſitum & per nos olim de Fratrum noſtrorum conſilio repro-*

Digitized by Google

batum & in perpetuum condemnatum merueris graues pœnas, VOLVMVS *& per Apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ sub debito Iuramenti quod præstitisti de te stando præcisè mandatis nostris; nec-non & sub excommunicationis ac priuationis perpetuæ ab officio & beneficijs pœnis (quas eô ipsô te incurrere volumus, si contra huiusmodi præceptum nostrum venire tentaueris) saluis alijs mandatis tibi faciendis à nobis, districtè præcipiendo* MANDAMVS *Quatenùs nullô vmquam tempore Regnum Franciæ absque Sedis Apostolicæ speciali licentia intrare præsumas; & nihilominùs omnem docendi ac prædicandi Authoritate Apostolicâ perpetuò interdicimus facultatem; ita quòd nec docere alicubi, nec vmquam alicui clero vel populo sine ipsius Sedis permissione de cætero audeas prædicare. Datum Viterby quintô Idus Augusti, Pontificatus nostri annô tertiô.*

Atque vt hæc prohibitio, quæ, vt anteà monuimus, leges Ecclesiasticæ potestatis omninò transuertebat, optatum finem & exitum consequeretur; duobus post diebus, tertiô videlicet Idus Augusti, data est alia Bulla, quæ etiam incipit *Cùm propter multiplices*; in qua Summus Pontifex Alexander quartus, recensitis omnibus quæ Bullâ superiori continebantur, ita tandem Sanctum Ludouicum Francorum Regem Christianissimum (non secùs ac si Sedem Apostolicam rogauisset, vt omnem Regni Franciæ aditum Guillielmo nostro prohiberet; cùm tamen è contrario etiam post multas alias Bullas, quas nos suprà exhibuimus, & quibus Summus ille Pontifex Guillielmum nostrum de toto Regno Franciæ præcipiebat amoueri, eum adhuc liberè Parisiis degere permitteret) alloquitur. *Cùm igitur nos Celsitudo Regia rogauerit, sicut à tua credimus memoria non elapsum, vt eidem Guillielmo prædicti Regni interdiceremus ingressum, & nos hoc prout superiùs expressum est faciendum duxerimus; Serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, Quatenùs præfatum Guillielmum Regnum ipsum intrare nullatenùs patiaris.* Et quia timebat ne propter istam prohibitionem, quâ Regni Franciæ aditum Guillielmo nostro interdixerat, malè forsitan Dominicani Fratres exciperentur ab Academicis; iterum subiungit in eorum gratiam quod sequitur. *Magnificentiam tuam omni quâ possumus affectione rogamus, Quatenùs eosdem Fratres pro Christi reuerentia (cuius sunt deputati obsequijs) habens benignitate solidâ commen-*

datos, eos à quorumlibet iniurijs & moleſtijs protegas & defendas; ita quòd tua potentiâ communiti, pace quietâ & quiete pacificâ, pacis Authori valeant famulari. Atque vt ingentem illum dolorem, quem omnes Academicos ex illa tam repentina Guillielmi noſtri relegatione concepturos eſſe præſagiebat, aliquomodò delinire videretur; in tertia illa Bulla quæ adhuc incipit *Cùm propter multiplices*, & data eſt Viterbij decimô Calendas Septembris eodem menſe & annô quo ſuperior; poſtquàm Pariſienſem Epiſcopum (ad quem Bulla illa dirigitur) aduersùs Guillielmum noſtrum his verbis compellauit *Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, Quatenùs in Eccleſia Pariſienſi, & alibi etiam vbi videris expedire, per te vel per alium prædicta* (nimirum quæ Bullâ *Cùm propter multiplices* ad Guillielmum noſtrum directà continebantur) *publicare procures; & ſi tibi conſtiterit quòd dictus Guillielmus contra tale præceptum noſtrum in aliquo venire præſumpſerit, Tu denuncies ipſum excommunicatum, periurum, ac perpetuò ab officio beneficijſque priuatum; iniungas illis, ad quos beneficiorum ſuorum collatio pertinet, vt eadem beneficia (ſi qua habere contingit) Perſonis idoneis & Eccleſiæ Romanæ deuotis liberè conferant & aſſignent*; ita demum ſubiungit in Academicorum gratiam. *Denuncies etiam publicè dilectis Filijs, Vniuerſitati Magiſtrorum & Scholarium Pariſienſium, quòd non pro eo quòd idem Guillelmus Vniuerſitatem ipſam defendit, aut quòd pro ea forſitan in Francia, vel apud Sedem Apoſtolicam laborauit (cùm Magiſtros & Scholares prædictos tamquam nobilia Eccleſiæ membra ſynceritatis præcipuæ affectibus proſequamur) ſed pro præfatis exceſſibus, & præcipuè pro prædicto deteſtabili & à nobis damnato Libello ſic contra eum proceſſimus; & ſi adhuc id exegerit proteruia contumacis, grauiùs authore Dominô procedemus.* Et ne quidquam prætermittere videretur quod ad demulcendos Academicorum animos, aut ad eos cum Dominicanis in concordiam aliquam reuocandos aliquomodò pertineret; Viterbij, alterô menſe, quintô Calendas Octobris aliam Bullam edidit quæ incipit *Dilecti filij*; in qua poſtquàm aſſeruit *Fratres Prædicatores Pariſienſes ſibi humiliter ſupplicauiſſe, vt (cùm nonnulli Magiſtri & Scholares Pariſienſes prætextu diſcordiæ vſque nunc Pariſijs habitæ, & occaſione detentionis cuiuſdam Libelli olim à ſe damnati, cuius principium erat* ECCE VIDENTES CLAMABVNT FORIS, *dicantur ſententiam*

Digitized by Google

tentiam excommunicationis incurriſſe) prouidere ſuper hoc ſalubriter curaret; ita tandem Epiſcopum Pariſienſem, ad quem Bulla illa dirigitur, in Academicorum gratiam compellauit. *Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, Quatenùs omnibus Magiſtris & Scholaribus, qui occaſione dictæ diſcordiæ ac præfati Libelli, Interdicti, Suſpenſionis, aut Excommunicationis ſententias noſtrâ vel quauis authoritate prolatas hactenùs incurrerunt, poſtquàm tibi plenè conſtiterit quòd ipſi ordinationem noſtram (quam pro conſeruatione ſtudij Pariſienſis de conſilio Fratrum noſtrorum edidimus) & quæ continentur in ipſa, ſententiam quoque ac ſtatuta in ea per nos expreſſa, diligenter & efficaciter ac ſine aliqua fictione obſeruant & obſeruabunt, ac dictum Libellum prorsùs in toto & in qualibet ſui parte combuſſerint, ac omninò curauerint abolere, authoritate noſtrâ iuxta formam Eccleſiæ beneficium abſolutionis impendas, & diſpenſes cum eis ſuper irregularitatibus, ſi quas forſitan occaſione huiuſmodi contraxerunt.* Atque vt faciliùs Academicos, non tantùm ad ineundam illam, quam tantoperè flagitauerat, cum Dominicanis ſocietatem, ſed etiam ad eſtirandas omnes illas exceptiones, quas nuper aduersùs Dominicanos in ſuis literis & expoſtulationibus etiam apud Summum Pontificem protulerant, atque adeò omnes alias propoſitiones & maximas, quæ Libello *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* continebantur, alliceret; poſt dies quinque, videlicet ſextò Nonas Octobris, adhuc Viterbij Bullam aliam edidit quæ incipit *Cum olim*; in qua (quoniam Magiſter Odo de Duaco Doctor Theologicæ Facultatis & Magiſter Chriſtianus Canonicus Bellouacenſis, qui non ita pridem in Dominicanorum gratiam palinodiam cecinerant, apud Eminentiſſimos Dominos Cardinales, Hugonem Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum, & Ioannem Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum, iuraverant ſe ſtare præcisè mandatis quæ ſibi ex parte Sedis Apoſtolicæ à prædictis duobus Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus in virtute iuramenti præſtiti facta fuerant) Epiſcopo Pariſienſi, ad quem Bulla illa dirigebatur, expreſsè mandabatur, vt hoc in publicam veniret notitiam, *Quatenùs præcepta huiuſmodi ſine mora diſpendio publicaret per ſe vel per alium, Pariſiùs & alibi, ſicut videret expedire. Si verò dicti Magiſtri* (Odo de Duaco videlicet, & Chriſtianus Canonicus Bellouacenſis) *præcepta ipſa infra ſpatium trium men-*

sis à publicatione huiusmodi adimplere non curauerint, Parisiùs efficaciter & simpliiter ac sine aliqua fictione eos ibidem publicè denuntiaret esse periuros. Sed præstat Instrumentum illud publicum, quod inde à Bernardo Delfa Notario Anagniæ confectum est, integrum subiicere.

In nomine Christi, Amen. Annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſextô, vigeſimâ tertiâ die menſis Octobris, decimâ quintâ indictione, Anagniæ in Palatio Domini Papæ, venerabiles Patres Domini Hugo Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter & Ioannes Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliacenſi Diaconus Cardinales, præſentibus & audientibus me Bernardo Delfa Notariô & teſtibus infrà ſcriptis (ſcilicet prouidis viris Ioanne Archipresbyterô Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Caſtro Cerneteris, Thomaſiô de Riuofrigido Casletenſi, Ioanne Presbyterô Canonicô Capuanenſi, & quamplurimis alijs) ex parte Sanctiſſimi Patris Domini Alexandri Papæ quarti, prouidis viris Magiſtro Odoni de Duaco Theologicæ Facultatis Doctori, & Chriſtiano Canonico Bellouacenſi, in eorum præſentia conſtitutis (qui etiam octauo decimo die menſis eiuſdem iurauerant corporaliter coram eiſdem Dominis Cardinalibus & me prædicto Bernardo Notario ſtare præciſè mandatis dicti Domini Papæ in virtute præſtiti iuramenti) mandauerunt. PRIMÒ *ſcilicet, Quòd ſaluis alijs mandatis, quæ eidem Domino Papæ ſemel vel pluries ipſis Magiſtris mandare placuerit; & ſaluo, ſi circa infrà ſcripta idem Dominus aliter ordinaret; ipſi Magiſtri, quantum in eis eſſet, ex tunc reciperent, & publicè Pariſius recipiant, cùm ibi fuerint; ex tunc obedirent & obediant in poſterum ordinationi Domini Papæ quæ incipit* QVASI LIGNVM VITÆ; *& quòd contra eam ſcienter non veniant, nec contradicentibus ordinationi prædictæ in contradicendo auxilium vel conſilium præſtarent publicè vel priuatè.* SECVNDÒ *Quòd Fratres Prædicatores & Minores Pariſius degentes, Magiſtros & Auditores eorum, & ſpecialiter ac nominatim Fratres* THOMAM DE AQVINO *de Ordine Prædicatorum, &* BONAVENTVRAM *de Ordine Minorum, Doctores Theologiæ, ex tunc, quantum in eis eſſet, in Societatem Scholaſticam & ad Vniuerſitatem Pariſienſem reciperent; & expreſsè Doctores ipſos reciperent vt Magiſtros; & quòd cùm Pariſiùs fuerint facient publicè illud idem, ipſoſque iuxta Ordinationem prædictam ab Vniuerſitate ſeu Magiſtris & Scholaribus Pariſiùs commorantibus procurent recipi bonâ fide; & contra prædicta num-*

Digitized by Google

quam præstent consilium vel assensum. TERTIÒ Quòd scienter iuramenta, statuta, vel obligationes non faciant, seu à Religiosis vel alijs exigant, vel quantum in eis fuerit permittant, per quæ vel quos infringatur Ordinatio supradicta, seu contra eam modò quolibet veniatur. QVARTÒ quòd non procurent, nec quantum in eis est fieri permittant, quòd Parisiense studium absque licentia Domini Papæ occasione cuiuscumque præteritæ turbationis seu facti dissoluatur, seu aliò transferatur. QVINTÒ Quòd tam in Romana Curia quàm Parisiùs bonâ fide & sine fraude, non adijciendo scienter aliquid principaliter vel consequenter; sed ista, quæ eis in hoc iniunguntur, prædicent publicè, & in Ciuitate Parisiensi pluries & in diuersis locis asseuerent fideliter in ipsis prædicationibus infrà scripta. Scilicet QVOD reprobent Libellum in ipsis prædicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontificem condemnatus, & errores in ipso contentos, qui sunt contra infrà scripta; videlicet de potestate Romani Pontificis. QVOD possit Prædicatores & Confessores mittere vbique per mundum iuxta suæ beneplacitum voluntatis sine consensu Inferiorum Prælatorum quorumcumque, seu Parochialium Sacerdotum. Item QVOD Archiepiscopi & Episcopi in suis Diocesibus licentiam dare possunt prædicandi & confessiones audiendi sine consensu Inferiorum Sacerdotum vel Rectorum Ecclesiarum, cùm viderint expedire; quodque Prædicatores & Confessores sic missi possunt liberè prædicare, & licitè confessiones audire, & absoluere pœnitentes. Item de mendicitate QVOD statum mendicitatis propter Christum est status salutis & perfectionis. Item QVOD Religiosi pauperes, qui omnia reliquerunt propter Christum, mendicando possunt acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore; maximè qui student verbo Dei, legendo, disputando, prædicando. Item QVOD ea, quæ continebantur in Libro prædicto & quibusdam Articulis à Magistro Christiano præfato confectis, quæ explicitè vel implicitè videbantur seu poterant in prædictorum Ordinum infamiam redundare (sicut de Pseudo-Prophetis & Apostolis, & de Nuntijs Antichristi, de Penetrantibus domos, & Periculis Nouissimorum Temporum) non intelligunt, nec intellexerunt de Fratribus Ordinum prædictorum, quòd tales ipsi sint, vel fuerint, vel etiam sint futuri; sed fateantur ipsos Ordines esse bonos & ab Ecclesia approbatos; & inter cætera asserant & affirmant QVOD Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobauit; nonnulla miracula scilicet, quæ

per Sanctos vtriusque Ordinis Sanctorum catalogo per Romanam Eccl. siam, canonicè, legitimè, fideliter, acritè adscriptos, est misericorditer operari dignatus. In cuius rei testimonium Ego præfatus Bernardus Apostolicæ Sedis authoritate Notarius (qui præmissis rogatus interfui) de mandato dictorum Dominorum Cardinalium, hoc præsens publicum Instrumentum propriâ manu scripsi, ac in publicam formam redegi, & signum meum apposui.

Tandem Alexander quartus Pontifex Maximus videns se non potuisse hactenùs consequi apud Academicos, vt communi quodam consensu Dominicanos in Academiæ consortium Societatemque Scholasticam admitterent; sed potiùs eos absentiam Magistri Guillielmi de Sancto Amore (qui, postquam sibi innotuit Alexandrum quartum Pontificem Maximum literas sibi transmisisse, quibus expressè prohibebatur, *Ne vllò vmquam tempore Regnum Franciæ absque Sedis Apostolicæ licentia speciali repetere præsumeret*, ad Lares proprios apud Sequanos in oppido illo quod à Sancto Amore nomen habet, sese illicò receperat) adeò grauiter molesteque tulisse, vt non tantùm sese à Dominicanorum consortio separarent, sed etiam forsitan paulò vehementiùs in eos inueherentur, atque adeò limites iustæ & moderatæ defensionis excederent; iterùm alias Bullas edidit, quibus omnium Academicorum animos ita fregit, vt tandem Dominicani Fratres optatissimum triumphum de tota Parisiensium Academia reportarent. Et quidem in prima Bulla, quæ incipit *Indignanter accepimus*, & quæ data est Anagniæ Nonis Aprilis annô Domini millesimô ducentesimô quinquagesimô nonô, ita Parisiensem Episcopum, ad quem Bulla illa dirigebatur, compellauit. *Fraternitati tuæ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus; Quatenùs conuocatis omnibus Magistris & Scholaribus Parisiùs studentibus sub excommunicationis pœna eis districtè præcipias, vt nullos Religiosos, seu quoscumque alios occasione huiusmodi* (quòd nempe, vt etiam in ipsamet Bulla legitur, *Guillielmi de Sancto Amore relevationi seu reuocationi consentire renuunt*) *molestare præsumant, se ab eorum, siue ipsos à suo consortio separando, qui præfati Guillielmi relevationi vel reuocationi non præstant assensum, cùm illum præstare non debeant, nec hominis iurgiosi & in sua obstinati procacia relevationem seu reuocationem saluâ possint conscientiâ postulare. Denuntiaturus nihilominùs Magistris & Scho-*

laribus memoratis, quòd omnes pœnas & priuationes in ordinatione, ſententijs, literis, vel ſtatutis à nobis dudum emiſsis contentas incurrunt, qui Religioſos & quoſcumque alios moleſtare præſumunt ſeparationem huiuſmodi procurantes; cùm ſeparare alios à ſe, & ſubducere vel ſubtrahere taliter ſe ab alijs idem penitùs reputemus. Non obſtantibus iuramentis vel promiſſionibus aut obligationibus ſeu quibuſcumque ſtatutis, quibus dicti Magiſtri & Scholares ſe adſtrinxiſſe pro releuatione vel reuocatione cuiuslibet pro cauſis Vniuerſitatis afflicti dicuntur; maximè cùm idem Guillielmus non pro factis Vniuerſitatis eiuſdem, ſed pro ſuæ malignitatis offenſa fuerit Sedis Apoſtolicæ iudiciô, iuſtitiâ exigente, punitus. Et quia Dominicani Fratres apud Sedem Apoſtolicam aſſeruerant, omnes illas turbas (quæ paulò frequentiùs inter ſe & Academicos in Academia Pariſienſi excitabantur) exinde tantùm ſuboriri, quòd Magiſtri Pariſienſes ſæpe ſæpiùs ad Guillielmum de Sancto Amore ſcriberent, & ab eo viciſſim literas acciperent; ideò Summus Pontifex Alexander quartus in ſecunda Bulla quæ incipit *Multorum relatione*, & data eſt Anagniæ duodecimô Calendas Iulij eodem annô quô ſuperior, ita Pariſienſem Epiſcopum, ad quem Bullam ſuam dirigit, alloquitur. *Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus. Quatenùs eidem Vniuerſitati & ſingulis deùpſa ex parte noſtra præcipere ac diſtrictiùs inhibere procures, ne de cætero dicto Guillielmo aliquas literas vel Nuntios (quibus poſſet bonus ſtatus Pariſienſis ſtudij, & Religioſorum, ac aliorum quomodolibet perturbari) mittere, vel ab eodem Guillielmo recipere aliquomodò præſumant communiter vel diuiſim. Et ſi quis contrarium fecerit, ipsô factô ſententiam excommunicationis incurrat, nec ab ea poſſit abſolui, niſi de mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali.* Atque vt rem totam faciliùs adhuc conficere poſſet, in tertia Bulla, quæ incipit *Ex alto*, & data eſt Anagniæ ſextô Calendas Iulij eodem adhuc menſe & annô quô ſuperior Epiſcopo Pariſienſi expreſsè dedit in mandatis. Primô *Vt Rectoribus, Artiſtis, ac alijs Magiſtris & Scholaribus Pariſijs commorantibus ex parte* Sedis Apoſtolicæ *diſtrictè præciperet, vt infra quindecim dies poſt huiuſmodi præceptum Fratres* Prædicatores & Minores *ac alios in ſuum conſortium ſeu ſocietatem iuxta eorumdem ſtatutorum tenorem admittere ſtuderent & efficaciter retinere; nihilominus inhibendo, ne ſimilia de cætero attentarentur. Alioquin tam Rectores & Artiſtæ*

prædicti, ac alij quì memoratos Fratres & eis ſuper hoc adhærentes ad huiuſmodi ſocietatem ſeu conſortium iuxta præceptum Sedis Apoſtolicæ *taliter admittere ac retinere non curauerint; quàm etiam omnes illi, qui contra inhibitionem huiuſmodi publicè vel occultè ſeu quouis alio modo venire præſumpſerint, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, à qua nullatenùs abſolui valeant niſi perſonaliter ad Sedem Apoſtolicam acceſſerint abſolutionem huiuſmodi petituri.* Secundò *vt Libellum De Periculis Nouiſſimorum Temporum, nec-non & quoſdam alios libellos famoſos in infamiam & detractionem eorumdem Fratrum* Prædicatorum & Minorum *ab eorum Æmulis in literali & vulgari ſermone, nec-non rythmus & cantilenis indecentibus de nouo, vt dicebatur, editos (quos ſibi exhiberi faceret, Detentores ad exhibitionem ipſorum per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compellendo) conuocatis Magiſtris & Scholaribus Pariſius exiſtentibus, faceret publicè coram omnibus igne cremari.* Tertiò *Vt Guillotum Bedellum Scholarium nationis Picardorum, pro eo quòd ſuæ ſalutis immemor in Dominica de Ramis-Palmarum proximè præteritâ, prædicante dilecto filio Fratre Thoma de Aquino eiuſdem Ordinis Prædicatorum, quemdam Libellum famoſum contra eoſdem Fratres editum* (quem, vt ibidem dicitur, anteà Pariſienſis Epiſcopus publicè reprobauerat, latâ etiam excommunicationis ſententiâ in eos omnes, qui aut Authores, aut Detentores, aut etiam Publicatores iſtius Libelli exiſtebant) *in conſpectu cleri & populi tunc ibidem exiſtentium in Pariſienſis Epiſcopi & ipſorum Fratrum iniuriam publicare præſumpſit, excommunicatum præſentibus Magiſtris & Scholaribus ſupradictis ſtuderet nuntiare; priuando ipſum nihilominùs perpetuò Bedellionatus officio, ita quòd illud nec per ſe neque per alium de cætero exercere præſumeret, nec etiam ſalarium aliquod ei* (quem, vt ibidem dicitur, ita Summus Pontifex de Ciuitate Pariſienſi iubebat amoueri, vt qui eum Pariſios reducere præſumerent ipſò factò ſententiam excommunicationis incurrerent) *petere vel recipere liceret ratione officij ſupradicti.* Sicque tandem proſtrati ſunt Academicorum animi, adeò vt etiam pacatis aliquatenùs Academiæ rebus Alexander quartus Pontifex Maximus in Bulla illa quæ incipit *Tua nobis Fraternitas*, & quæ data eſt Laterani tertiò Nonas Decembris annò Domini milleſimò ducenteſimò ſexageſimò, Epiſcopo Pariſienſi, à quo monitum ſe eſſe aſſerit *Nonnullos Clericos Ciui-*

Digitized by Google

tatis & Dioceſis Pariſienſis incurriſſe excommunicationis ſententiam latam authoritate Apoſtolicâ in omnes illos, qui libellos famoſos contra Prædicatorum & Minorum Ordinũ Fratres à Magiſtro Guillielmo de Sancto Amore ſeu alijs editos publicare præſumerent ſeu etiam retinere; atque adeò eumdem Pariſienſem Epiſcopum ſibi humiliter ſupplicauiſſe, *Vt cùm multitudo eſſet in cauſa, ſuper hoc eorum ſaluti prouidere miſericorditer curaret*) ita demum expreſſiſſimè mandauerit. *De tua itaque circumſpectione confiſi præſentium tibi autoritate concedimus, vt ab eiſdem excommunicatis ſufficienti cautione præſtitâ (quòd libellos huiuſmodi, quos comburi facias, de cætero non tenebunt) iſos ab huiuſmodi ſententia abſoluas hac vice iuxta formam Eccleſiæ vice noſtrâ; ac faciens eos ab executione ſuorum Ordinum vſque ad certum tempus, prout expedire videris, manere ſuſpenſos; tandem cum ipſis ſuper irregularitate (ſi quam medio tempore celebrando diuina officia, ſeu immiſcendo ſe illis contraxerint) diſpenſare procures, prout ſecundùm Deum animarum ſuarum ſaluti videris expedire.* Sed de his ſatis, ad inſtitutum noſtrum redeamus.

Mortuô Alexandrô quartô Pontifice Maximô, qui poſtquàm, vt anteà monuimus, quadraginta ferè Bullis iiſque longè acerbiſſimis Academiam Pariſienſem ſub Dominicanorum iugum miſerimè coegiſſet, octauô Calendas Iunij annô Domini milleſimô ducenteſimô ſexageſimô primô animi tædiô tandem confectus animam Deo exhalauit; ſuffectoque in eius locum Vrbanô quartô, & paulò poſt (tribus nempe poſt annis) Clemente quartô ad Sedem Apoſtolicam euectô, Pontificibus longè mitioribus & Academiæ Pariſienſi benignioribus; Guillielmus noſter, qui ſuperioribus temporibus Dominicanorum furoribus cedere coactus fuerat & in Sequanorum partes ſecedere, ne ſui cauſâ Academia Pariſienſis ab Alexandro quarto Pontifice Maximo peiùs adhuc excipereretur; acceptâ famâ perquam certiſſimâ pacatos eſſe quodammodò Dominicanorum animos & cum Magiſtris Pariſienſibus aliquatenùs conciliatos, relictô patriô ſolô (cuius dulcedine cuncti rapiuntur) Lutetiam Pariſiorum iterùm rediit, Fratres, ſi adhuc ſoſpites eſſent, viſitaturus. Ibi autem, quia diu vehementiſſimè deſiderabatur (vt potè quô veluti fideliſſimô Pariſienſis Academiæ Patronô vix ac ne vix quidem carere poterant Academici) adeò benignô & hilari vultu om-

nique prætereà genere humanitatis exceptus est, vt debacchantibus summa in lætitia omnibus Magistris Parisiensibus omnes euidenter intellexerint, oportuisse summum fuisse ac propemodum incredibilem, dùm Guillielmus noster ad patrios Lares secederet, omnium Academicorum dolorem; cum iam in tantam, dùm primum iterùm rediret ad Academiam Parisiensem, omnes sese effunderent lætitiam. Sed quid interim Guillielmus noster? Vrget propositum suum acriter, & quam cum nonnullis aliis Magistris Parisiensibus aduersùs maledictum illud Euangelium (quod Euangelium Æternum appellabatur, & à Fratribus Dominicanis & Minoribus palàm & publicè, vt etiam anteà monuimus, summis in cœlum laudibus efferebatur) ad Prælatorum preces temporibus Alexandri quarti Pontificis Maximi susceperat elucubrationem *De Periculis Nouissimorum Temporum*; eamdem nunc (quia fortè tantùm, vt ipsemet loquitur in suis ad Obiecta Responsionibus; *Modus & forma compilationis Domino Papæ displicuerat, cùm authoritates in ea contentas nec reprobare voluerit, nec intenderit*) multô accuratiùs quàm anteà per simplicem Scripturarum collationem aggreditur, eique Titulum facit. *Collectiones Catholicæ & Canonicæ Scripturæ, Ad institutionem & præparationem Simplicium Christi Fidelium Contra pericula imminentia Ecclesiæ Generali per Hypocritas, Pseudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, & Otiosos, & Curiosos, & Gyrouagos.* Incipit autem *Sapientiam Antiquorum omnium exquiret Sapiens.* Et ne quidquam inconsultô Summô Pontifice moliretur in posterum aut ageret, atque adeò in eas iterùm redigeretur angustias, ad quas non ita pridem propter Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum* etiam de repentè & ex improuiso redactus fuerat; hanc suam postremam elucubrationem (quam tamen vsque ad temporo Martini quarti Pontificis Maximi multis semper partibus auxit & in dies magis ac magis quidem illustrauit) ad Clementem quartum Pontificem Maximum (cuius ingenium pacatissimum agnouerat) per Magistrum Thomam Virum probum & Academicum transmittens, ab eo suppliciter & obnixè postulauit, vt post exactam disquisitionem maturamque rei totius discussionem, quid sibi tandem de doctrina *De Periculis Nouissimorum Temporum* videretur, aperiret. Sed vt intelligas quanto in pretio Guillielmus noster à Clemente

quarto

Digitized by Google

quarto Pontifice Maximo habitus fuerit, præstat hîc integrum tanti ac tam Sapientis Pontificis responsum ex eius Epistolis manuscriptis (quarum copiam Andræas Ducheſnius Historiographus Regius longè meritissimè humanissimè mihi fecit) ad perpetuam Sæculorum memoriam Guillielmique nostri celebrationem fideliter exprimere, quod sic habet. *Dilecto Filio Magistro Guillielmo de Sancto Amore. Si circa veritatis elaboras indaginem; si cautelas etiam colligis ex Scripturis; dum tamen sobrius Inquisitor existas, & acumen euites scandali; non te credimus arguendum. Sed cauendum est tibi, vel præteritorum tuo hæreat animo nimis tenax memoria; & ne sub doctrinæ specie Detractorum colores insidias, vel illam obiurgationem merearis audire quâ Paulum tetigit Festus dicens.* TE MVLTÆ LITERÆ FACIVNT INSANIRE. *Sanè Libellum nouum euoluere cepimus quem misisti; qui, licet interdum alias oras circumeat, veterem tamen multum sapit; & cùm excussus & discussus coloratus in aliquo videatur, totam primi substantiam comprobabitur retinere. Verùm quia totum non legimus, nihil tibi possumus respondere; nisi quòd prouidâ diligentiâ cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se, vt lateat, in lucis Angelum transfigurat. Nos autem, cùm legerimus hoc Opusculum, & alijs Amatoribus veritatis & eamdem intelligentibus communicauerimus, tunc quod nobis videbitur tibi dabimus intimare. Sed quia res forsitan abibit in longum propter negotiorum instantiam quæ de mundi diuersis partibus nos solitò acriùs inquietant, dilectum Filium Magistrum Thomam supradicti Præsentatorem Operis vltrà nolumus detinere. Datum Viterbij decimô quintô Calendas Nouembris annô secundô nostri Pontificatus.* Hoc est annô Domini milleſimô ducenteſimô ſexageſimô ſextô.

Etsi autem ex illorum temporum historia non constet quodnam responsum postmodùm dederit Clemens quartus Pontifex Maximus, postquàm vltimam istam Guillielmi nostri elucubrationem penitiùs examinauisset; nihilominùs tamen facilè coniicere possumus eum nullatenùs doctrinam *De Periculis Nouissimorum Temporum* damnauisse; quod tamen facere debuisset, si fuisset, vt vulgò dicitur à quibusdam Recentioribus, iniqua, scelesta, falsa, & erronea; multoque magis, si planè detestabilis & hæretica. Cum enim Clemens quartus Pontifex Maximus ab omnibus semper habitus fue-

rit, non tantùm vir optimus atque ſanctiſſimus, ſed etiam eruditiſſimus & omni ſcientiarum genere cumulatiſſimus; atque adeò *Vita eius* (vt Platinæ verbis vtar) *omni ex parte laudanda ſit, doctrinâ, pietate, & religione*; quis (quæſo) ſibi perſuadere poterit aut in animum inducere, eum aliàs vigilantiſſimum adeò turpiter ab Officio Paſtorali receſsiſſe, aut ita ſuimetipſius oblitum fuiſſe, vt à Magiſtro Guillielmo de Sancto Amore ad ferendum poſt exactum examen circa doctrinam *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* in cauſæ ſummam decretorium Iudicium aduocatus, doctrinam falſam, prauam, iniquam, ſceleſtam, nefariam, & erroneam minimè condemnaret; aut etiam Hominem Hæreticum publicô ſalutationis elogiô *Dilectum Filium* nuncuparet?

Ergo tantum abeſt, AMICE MI COLENDISSIME, vt poſt damnatum combuſtumque publicè ab Alexandro quarto Pontifice Maximo Libellum *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* Guillielmus noſter velut Hæreticus audire debeat; quin potiùs, vt anteà proloquuti ſumus in huius Orationis initio, communi quodam Bonorum omnium ſuffragiò ſummis venit in cœlum laudibus euehendus; eô quòd ſuis temporibus ad defenſionem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & ad inſtructionem & præparationem Simplicium Chriſti Fidelium, tam ſanctam ac tam vtilem (ne dicam planè neceſſariam) Eccleſiæ Catholicæ *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* doctrinam contra Pſeudo-Prædicatores Hypocritas, & Penetrantes domos, & Otioſos, & Curioſos, & Gyrouagos, ex Scripturis Sacris Conciliorum Sanctionibus, & Sanctorum Patrum Authoritatibus & Placitis, ardentiſsimô quidem zelô, ſed ſecundùm ſcientiam propalarit. Neque enim mouere nos debet quòd omnes ferè Recentiores (etiam ex illis qui noſtris temporibus ſibi Literarum Imperium ſatis impudenter arrogare conati ſunt) inſcitè penitùs & contra rei veritatem, ex anticipatis tantummodò quorumdam Hominum opinionibus, aut affictis aliorum rumoribus & calumniis, eum quotidie ſcriptis ſuis virulentiſſimis miſerrimè lanient ac diſcerpãt; maximè cùm Dominicani Franciſcanique Fratres (qui vt ſibi malè conſcij ſe ſuumq; Ordinem Libellô *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* punctos eſſe non ita pridem apud Alexandrum quartum Pontificem Maximum acerrimè criminati fuerant) omni ſtudiô & contentione

adhibitâ ſemper iure vel iniuriâ certauerint; non tantùm vt Libellum iſtum veteribus Hæreticorum Hominum farraginibus accenſerent; ſed etiam & eius Authorem innumeris calamitatibus & calumniis opprimerent. Probent igitur quod aiunt, ſi ſibi credi velint; aut ſileant ſi non poſſint, & nobis non obganniant.

Atque vt oſtendam (quod eſt articulus, vt aiunt, in totius huiuſce cauſæ ſummam decretorius) omnes iſtos Recentiores, qui ſuis ſcriptis petulantiſſimis Guillielmi noſtri famam ita miſerè laniant ac diſcerpunt, ex anticipatis tantummodò quorumdam Dominicanorum Minorumque Fratrum opinionibus, aut affictis aliorum eorum Ordinum Sequacium rumoribus & calumniis, incognitâ causâ de re tota contra veritatem hiſtoriæ iudicauiſſe; atque adeò Guillielmum noſtrum etiam poſt damnatum combuſtumque publicè ab Alexandro quarto Pontifice Maximo, Libellum *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* nullatenùs inter Hæreticos numerandum eſſe; nonnulla mihi diſcutienda veniunt & attentè perpendenda. Si enim quæram ab iſtis Guillielmi noſtri Obtrectatoribus & Aduerſariis, vnde habeant Guillielmum noſtrum, Hæreticum eſſe, aut hæreſim aliquam docuiſſe; quid (quæſo) mihi reſpondere poterunt? Obtendent forſitan (nec enim aliud cauſari poſſunt) Libellum *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* in Eccleſia Cathedrali apud Anagniam ab Alexandro quarto Pontifice Maximo damnatum fuiſſe, & præſente magnâ populi multitudine combuſtum. Sed quid ad rem? An tanti putant eſſe debere condemnationem Libelli *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* ab Alexandro quarto Pontifice Maximo factam, vt Guillielmus noſter velut Hæreticus apud æquos rerum Æſtimatores audire debeat? Iure forſitan quis ambigere poſſet, etſi non definiam. Quis enim (obſecro) facilè ſibi perſuadere poſſet aut in animum inducere, fidem aliquam habendam eſſe Bullæ, quæ, ſi propiùs & attentiùs examinetur, omnes illicò Bullæ Subreptitiæ notas exhibebit? Siquidem damnatur abſens, indictâ causâ, nullis præuiis monitionibus, multis calumniis impoſitis; qui tamen præſens, vt anteà vidimus ex Chronicis Normaniæ, ſedentibus pro tribunali quatuor Cardinalibus ab omnibus Fratrum impetitionibus pronuntiatus eſt immunis & abſolutus.

At (inquies) discussus est Liber *De Periculis Nouissimorum Temporum* antequam damnaretur. Sed à quibus ? A quatuor nempe Cardinalibus ; quorum vnus Hugo de Sancto Caro Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Dominicanus ; alter Ioannes Caietanus Vrsinus Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus (etiam secundùm Ciaconium Dominicanus *In Innocentio quarto* vbi de prima creatione Cardinalium) Ordinis Minorum Protector ab Alexandro quarto Pontifice Maximo constitutus ; alij vt etiam, coniecturâ facilè possumus assequi, Mendicantium omnium Fautores acerrimi. Ordo hic iuris aut Iustitiæ ? Etiam Inimici nostri sint Iudices. Sed esto, fuerint Domini illi Cardinales eminentissimi ex æquo & iusto legitimè deputati ad examinandum Libellum *De Periculis Nouissimorum Temporum* ; an ideò debebant Guillielmo nostro, quô damnaretur, imponere? Quis asserat? Et tamen ad Dominicanorum preces (Deus bone vbi fides !) multa per calumniam imposuerunt, aut saltem falsis Dominicanorum delationib⁹ nimis facilè crediderunt. Addubitas forsitan dictis nostris fidem addicere ? Lege Bullam condemnationis quæ incipit *Romanus Pontifex* ; Libellum etiam *De Periculis Nouissimorum Temporum* diligenter euolue ; & videbis me nihil tantis ac tam illustribus Cardinalibus imponere. Probationem forsitan efflagitas ? Arrige aures, ad eam sic aggredior. Asserit Summus Pontifex Alexander quartus *Se ex istorum quatuor Cardinalium plenaria relatione manifestè comperisse, in Libello De Periculis Nouissimorum Temporum* (*quem*, vt ipsemet loquitur, *eis examinandum commiserat, vt plenè ipsum inspicerent & vniuersa in eo contenta perfectè attenderent & discuterent*) *quædam peruersa & reproba contra potestatem & authoritatem Romani Pontificis & Coëpiscoporum suorum contineri.* Sed si quæram quonam in loco peruersa ista & reproba contineantur in Libello *De Periculis Nouissimorum Temporum* ; illicò reperies meram putam esse calumniam. Tantum enim abest vt in Libello *De Periculis Nouissimorum Temporum* Guillielmus noster authoritati Summi Pontificis aut Coëpiscoporum suorum quicquam detractum velit ; quin potiùs apertè dicit cap. 2. istius Libelli circa medium *Se nolle de potestate Domini Papæ aut Episcoporum disputare.* Immò cùm ibidem vrgeretur ab iis qui se Priuilegiatos esse dicunt, & inuitis Ordinariis prædicare volunt,

Digitized by Google

Omnes prædicare posse qui habent authoritatem Domini Papæ aut Episcoporum Diocesanorum; post præfatam protestationem nihil aliud ferè respondet quàm *Non esse verisimile quòd Dominus Papa contra doctrinam Apostoli Pauli infinitis vel pluribus licentiam concedat prædicandi plebibus alienis, nisi à Plebanis fuerint inuitati*; in eoque demonstrando totus est vsque ad finem capituli. Quod autem asserit idem Alexander quartus Pontifex Maximus *In eodem Libello De Periculis Nouissimorum Temporum quædam contra salutarem Pauperum seu Mendicantium Religiosorum statum contineri*; non potest omninò nisi gratis Guillielmo nostro exprobari. Neque enim Guillielmus noster in Libello *De Periculis Nouissimorum Temporum* cap. 12. vbi de validis Mendicantibus solidissimè disputat, aliter statum Mendicantium Religiosorum impugnat, quàm quia nonnulli contra præceptum Apostoli *Operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis vt nullius aliquid desideretis*, sine labore manuum viuere volunt Otiosi de Euangelio, cùm tamen missi non sint ab Ordinariis aut inuitati, atque adeò prædicandi potestatem non habeant. Vnô verbo. Solos illos Religiosos Mendicantes validos insectatur, qui perpetuæ mendicitatis prætextu domos inuerecundè penetrant, secreta familiarum perrimantur, & vt facilius excipiantur ac meliùs procurentur, alios laudant, alios vituperant. Et quidem tot & tantis rationibus & argumentis, vt etiam Sanctus Thomas in Opusculo illo, quod ad perterrefaciendos homines imperitos absolutè placuit inscribere *Contra Impugnantes Dei Cultum & Religionem*, fateri tandem cap. 5. coactus fuerit *In casu omnes Religiosos teneri ad manibus laborandum, quando imminet periculum ne Religiosi se exponant periculo furti, concupiscentiæ, aut turpis curæ, aut satagentiæ rerum alienarum*. Sed quid pluribus immoror? Vna erit instar omnium Dominicanorum calumnia, quam pluribus Magistris Parisiensibns, vt sic ad libitum Bullas innumeras easque longè acerbissimas aduersùs Academiam Parisiensem impetrarent, impegerunt. Nimirum (vt ex tribus illis Bullis quæ incipiunt *Non sine multa cordis amaritudine* colligi potest) Alexandro quarto Pontifici Maximo persuaserunt *Nonnullos Doctores ac alios Magistros Parisienses in suis scholis & prædicationibus asseruisse, quòd de licentia vel commissione Romani Pontificis seu Diocesanorum Episcoporum Dominicani Franciscanique*

Fratres prædicationis exercere officium & confessiones audire libere non valebant, tamquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus præiudicium inferretur; cùm tamen eodem illò tempore consulti à nonnullis Magistri Parisienses etiam publicô scriptô contrarium assererent. Sed hîc præstat ad maiorem fidem integrum eorum responsum ex veteri manuscripto Codice, quem celeberrimus atque sanctissimus Robertus de Sorbona Bibliothecæ suæ Sorbonicæ esse voluit, exscribere. Sic autem habet.

Omnibus præsentes literas inspecturis Magister H. Cancellarius Parisiensis, Cæterique Sacræ Scripturæ Parisiensis Doctores, quorum sigilla præsentibus literis sunt appensa, Salutem in Domino. Vniuersitati vestræ volumus esse notum, quòd consulti fuimus à quibusdam, Vtrùm Sacerdote Parochiali contradicente vel inuitô, Parochianus eius Domino Papæ seu Pœnitentiarijs suis, vel suo Episcopo aut Pœnitentiarijs ipsius, cum voluerint, peccata sua vniuersaliter valeant confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis recipere salutarem. Cui consultationi respondentes diximus & dicimus in hoc vnanimiter consentientes, prædicta licitè posse fieri & debere. Si qui autem dicant aut dixerint contrarium, quantum in nobis est, reprobamus erroneum reputantes. Actum annô Domini milleſimô ducenteſimô quinquageſimô ſecundô, menſe Ianuariô.

Ergo vides AMICE MI COLENDISSIME, Dominicanos Fratres, aut saltem eos qui ab eorum partibus erant in Curia Romana, nonnullis Magistris Parisiensibus, ac præsertim Magistro Guillielmo de Sancto Amore, criminationes & calumnias apud Sũmum Pontificem Alexandrum quartum vt sic facilius & obtentu pietatis & Religionis intuitu Libelli *De Periculis Nouissimorum Temporum* condemnationem extorquerent impegisse. Sed quid mirum; cùm omnes Religiosi Mendicantes hoc semper in more positum habeant, vt quotiescumque volunt aliquid in destructionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ obtinere, toties variis quibusdam technis ac nonnullis aliis clancularijs artibus incautos Summorum Pontificum animos ac nihil tale cogitantes intercipiant? Sanè cùm apud Thomam Cantipratanum Dominicanum lib. 2. cap. 57. Vbi de augmento Priuilegiorum Prædicatoribus concessorum agitur, legimus Gregorium nonum Honorij tertij Successorem Fratri Ioanni de Argentina quondam Episcopo Bosnienſi & Ordinis Fratrum Prædicatorum Præfecto Generali ac Magistro cum

Digitized by Google

magna deuotione dixisse *Me tibi*, CHARISSIME, *quasi pro incude Papam Orbis constituo, linguam autem tuam pono pro malleo; vt secundum omnia priuilegia, quæ Ordini tuo expediunt, vel etiam quæ alijs Religiosis, quibuscumque vsque in præsens concessa sunt, scribi facias; & bullabo*; atque adeò tunc temporis Dominicanos omnia priuilegia, quæ pro confirmatione sui Ordinis commoda essent aut esse possent & vtilia consensu Dominorum Cardinalium impetrasse; quid aliud (obsecro) colligere possumus, quam Dominicanos ita suis veluti fascinationibus & præstigiis omnes Summi Pontificis animi sensus auertisse, vt in eum absolutum ac veluti Tyrannicum exercerent Imperium. Refert Hieronymus corduba Franciscanus *In suis annotationibus ad Compendium Priuilegiorum* Verbô *Priuilegia Fratrum* Leonem decimum Pontificem Maximum (*vt habetur*, inquit, *in Registro Ordinis facto tempore Reuerendissimi Ministri Generalis Franciscisci de Licheto*) annô Domini millesimô quingentesimô decimô nono, in Vigilia Visitationis Beatæ Mariæ, viuæ vocis oraculô concessisse Minoribus, vt eis omnibus priuilegijs & indultis & concessionibus in vtroque foro per Fratrem Ioannem de Costa Commissarium quondam vltramontanum impetratis vti securè liceret *Quamuis fuerint impetrata indebitè, absque causa legitima, vel quouis alio modo indebito etiam malitioso, & mendaciter, & dolosè*; & mirum adhuc tibi videbitur, si dixerimus Fratres Minores & Dominicanos (qui rerum suarum summam in condemnatione Libelli *De Periculis Nouissimorum Temporum* constituerant) suis calumniis & falsis delationibus Summi Pontificis animum intercepisse, vt eam faciliùs obtinerent? Quis non videat, quidnam faciliùs procliuiusque credatur? Maximè cùm dicat Sanctus Antoninus 3. P. Tit. 24. §. 5. *Alexandrum quartum Pontificem Maximum* statim atque Summus Pontifex renuntiatus est, *regimen Ordinis & protectionem* (*quod vt Episcopus Hostiensis, priùs existens habuerat*) *noluisse dimittere, sed sibi retinere ex maxima affectione ad Ordinem.* Et certè Vincentius Bellouacensis Dominicanus lib. 31. *Speculi* cap. 5. de Alexandro quarto Pontifice Maximo agens ita habet. *Magni certè animi & consilij vir, beneficus, maximè erga Pauperes Christi & benè de Religione meritus.* Et post pauca loquens de Augusti-

nensibus Eremitis. *Quibus etiam vnà cum Ordinibus Prædicatorum & Minorum multa priuilegia, exemptiones, & indulgentias contulit. Quos certè mira beneuolentia ſummaque deuotione ſemper proſequi non deſtitit; & earumdem Religiorum viris doctis admodùm fauit & ad Cardinalatus Epiſcopatuſque dignitates multos prouexit.* Quæ cum ita ſe habeant; quis non videt facilè fieri potuiſſe, vt Dominicani Franciſcanique Fratres iſti Summo Pontifici, viro ſibi deditiſſimo, & aliàs vt etiam ſuperiùs ex Auentino notauimus, *ſibilis adulantium ſeducibili & prauis ſuggeſtionibus inclinatiuo*, in Pariſienſis Academiæ præiudicium obtentâ Religionis ſpecie obreperent? Atque adeò quis mihi Iure ſuccenſere potuiſſet ſi dixiſſem Bullam illam quæ incipit *Romanus Pontifex* & quâ Libellus *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* damnatus eſt, obreptitiam eſſe & ſubreptitiam cùm etiam Summi Pontifices Innocentius tertius & Alexander tertius, Extrà *Vt lite non conteſtata* cap. Accedens, & iterùm *de cohabitatione Clericorum* cap. *Super*, Apertiſsimè dicant *Literas Apoſtolicas per veri ſuppreſsionem obtentas, & quæ facti ſeriem non contineant, non valere.*

Sed eſto (quod vix tamen ac ne vix quidem probare poterunt Aduerſarij propter omnes iſtas ſuperiores fraudes & calumnias) Bulla illa legitima fuerit, & non ſubreptitia; anputas ideò Guillielmum noſtrum cenſendum eſſe *Hæreticum*? *Quis hoc ferat*? Certè Bulla ſic habet. *Nos eumdem Libellum qui ſic incipit Ecce videntes clamabunt foris, quique ſecundùm ipſium Titulum* TRACTATVS BREVIS DE PERICVLIS NOVISSIMORVM TEMPORVM *nuncupatur*, TAMQVAM INIQVVM, SCELESTVM ET EXECRABILEM, *& inſtructiones & documenta in eo tradita vt potè* PRAVA, FALSA, ET NEFARIA, *de Fratrum noſtrum conſilio Authoritate Apoſtolica reprobamus, & in perpetuum condemnamus.* Et poſt pauca. *Si quis verò prædictum Libellum ore Apoſtolicô iam damnatum approbare vel quomodolibet defenſare* præſumpſerit TAMQVAM CONTVMAX, INOBEDIENS, ET REBELLIS ROMANÆ ECCLESIÆ *ab omnibus habeatur.* An ibi mentio crimini Hæreſeos? Ne quidem ſubolfecit Sanctus Antoninus, aut Vincentius Bellouacenſis. Ergo placet quod ait Guillielmus Nangius Monachus Sancti Dionyſij in Francia Scriptor illorum Temporum accuratiſſimus *In Vita Sancti Ludouici Francorum Regis Chriſtianiſſimi* ad annum Domini milleſimum

milleſimum ducenteſimum quinquageſimum quintum, vbi habet. *Tandem hinc inde multis propoſitis damnatus fuit & combuſtus Liber à Magiſtro Guillielmo de Sancto Amore prædicto editus & intitulatus* DE PERICVLIS MVNDI *in Eccleſia Cathedrali apud Anagniam, non propter hæreſim quam contineret, ſed quia contra præfatos Religioſos ſeditionem & ſcandalum concitabat.* Et hanc eſſe veram & genuinam cauſam condemnationis Libelli *De Periculis Nouiſſimorum Temporum* vel ex eo pluſquàm euidentiſſimè colligere poſſumus quod Clemens quartus Pontifex Maximus in illa ſua verè paterna commonitione & Epiſtola, quam ex eius epiſtolis manuſcriptis integram ſuprà retulimus, Guillielmum ita perhumaniter excipiat & alloquatur. *Sed cauendum eſt tibi, vel præteritorum tuo hæreat animo nimis tenax memoria; & ne ſub doctrinæ ſpecie detractorum colores inſidias.* Atque ita ridend⁹ eſt, vel certè potiùs explodendus Imperitiſſimus ille Nebulo, qui non ita pridem Superciliô pluſquàm Phariſaicô Venerãdam Chriſti Domini Crucem cum hac inſcriptione *in hoc ſigno vinces*, ſuis prefigens Imaginariis Triumphis; *Guillielmum noſtrum velut Hominem Hæreticum & Charactere Sacerdotali penitùs indignum patriâ ſuâ propter ſuas hæreſes & blaſphemias expulſum, poſtquàm diu & honori ſuo & pietati ſuper vixiſſet, in exilio tandem animum exhalaſſe* auſus eſt impudentiſſimè comminiſci. Quis enim credet Robertum de Sorbona totô orbe Inclitæ Domus Fundatorem, virum certè Sapientiſſimum atque prudentiſſimum, ſic etiam longè religioſiſſimum atque ſanctiſſimum ita turpiter à tramite recto deflexiſſe, vt dum primùm nouellam illam plantationem Eccleſiæ Dei inſereret, Hominem Hæreticum (quem *poſt vnam & ſecundam correptionem* vitandum eſſe præcipit Apoſtolus) in ſui conſortium & ſocietatem admitteret? Aut Sorbonicos Pariſienſes adeò fuiſſe negligentes & priſtinæ ſuæ ſynceritatis oblitos, vt Hominis Hæretici & Charactere Sacerdotali indigni ac propter ſuas hæreſes in exilio miſerrimè fatô functi effigiem perquàm honorificentiſsimè iuxta Roberti Sorbonęi Fundatoris ſui longè meritiſſimi imaginem aſſeruarent? Aut omnia Eccleſiarum Cathedralium Capitula Prouinciæ Remenſis ita veterem ſuam erga Religionem Catholicam eiuraſſe deuotionem, aut omnes exuiſſe pietatem, vt in ſuis ad Alexandrum quartum Pontificem Maxi-

ximum literis Hominem illum Hæreticum *Virum Venerabilem & discretum fide firmum* nuncuparent? Aut denique Summum Pontificem Clementem quartum ita penitùs ab illa, quæ vulgo à Religiosis tribuitur Summis Pontificibus, infallibilitate excidisse, vt in limine suæ Epistolæ Hæreticum Hominem alloquens, eum *Filium dilectum* publico salutationis elogio vocitaret? Habes igitur AMICE MI COLENDISSIME quo Guillielmum nostrum à tantis tamque putidis calumniis atque criminationibus expedias. Certior factus si quæ sint alia quæ ad tanti viri famam hoc infeliciſſimo sæculo resarciendam pertineant, forsitan nostro sonitu veluti classico expergefactos Magistros Parisienses (ad quos propiùs res ista spectat) tibi libentissimè concessuros. Vale interim & fruere.

BVLLA
INNOCENTII QVARTI
QVA RELIGIOSOS ARCET à functione Hierarchicarum actionum

Hæc Bulla desumpta est è codice MS. cui titulus est. Chronica temporum Richardi Monachi Cluniacensis.

Ex Bibliotheca V. CL. P. Petavij Senatoris Paris.

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs vniuersis Religiosis cuiuscumque professionis vel ordinis præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi animarum affectantes salutem vniuersis & singulis qui Christiana professione censentur, vt suas Deo lucrifaciant animas, cupiamus charitate & pietate duce sub moderamine iuris ad iustitiæ regulam & lineam æquitatis norma seruata modestiæ dirigere actus suos; potiori

Digitized by Google

tamen desiderio peroptamus, vt vos, qui mundo & pompis eius contemptis per gradus altiores ducatus specie procedentes religionis apicem conscendistis, omnem in vobis iustitiam impleatis indictæ vobis modestiæ seruando tenorem, & ab omnibus, per quæ à religionis videatur rectitudine deuiari, vel vobis rationabiliter detrahi valeat, abstinendo: ita quod recti per vos diligenter vestræ perfectionis pulchritudinem & delectabiliter intuentes glorificent Patrem nostrum, & iniquis os maliloquum obstruatur. Cum enim mundo Angelis & hominibus facti sitis spectaculum, vix in vobis potest esse ruga tam tenuis, vel macula tam latens quin latiùs & conspectiùs quàm in aliis appareret; vnde si qua de vestris actibus nostro Apostolatui referantur, quæ sanctitatis vestræ obnubilent claritatem, eo nimirum grauiori dolore confodimur, quod nos vestram gloriam totius Ecclesiæ generaliter iubar præcipuum reputantes, ipsius splendorem vestri obnubilatione nitoris non ambigimus notabiliter inhonorari. Sanè grauis & clamosa querela nostris assiduè auribus inculcatur, quod nonnulli vestrùm suis iuribus & finibus non contenti Parochianos alienos præsumunt temerè ad diuina officia recipere contra canonicas sanctiones; & licet dictorum Parochianorum iudices non existant, nec ligandi aut soluendi eos acceperint potestatem, se tamen ipsorum iudices facientes ipsos in foro pœnitentiali periculosè absoluunt & ligant pro suæ libitò voluntatis: sicque ipsis, qui proprios spernunt presbyteros, minimè absolutis, illud salutiferum nostræ peregrinationis viaticum, quod non proficit nisi à criminis labe mundis, in animarum suarum, & eorum, qui illud non diiudicantes indebitè recipiunt, periculum conferre non verentur. Sicque eorum prædicti Sacerdotes, qui curam suscipiendo ipsorum suam pro eis animam obligant, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes eorum non possunt quod in eis est ægrotum sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum; & sic dum curâ commissâ necessaria non adhibentur remedia, inualescentibus morbis vsque ad interemptionem læsio debacchatur, ijdem Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus supremo iudici reddere rationem. Alij quoque vestrum diebus Dominicis & festiuis dum in Parochialibus Ecclesijs Missarum solemnia celebrantur, solemniter verbum

prædicationis proponunt, populo, qui ad audienda diuina officia in Eccleſijs ipſis diebus prædictis conuenire conſueuerat vt tenetur, ad prædicationem huiuſmodi conuocato, ab ipſis ſub ſpecie ſanctioris actionis abſtracto, & ſic ab eiſdem parochianis diuina omittuntur officia, & Sacerdos in domo, quaſi paſſer vnicus in ædificio remanens, derelictus, ſuorum parochianorum ſolatio & conſuetis oblationibus defraudatur. Alij vero diœceſano Epiſcopo minimè deferentes eadem die & frequenter hora ipſa, qua idem Epiſcopus commiſſo ſibi populo ſolemniter prædicat, ſuas prædicationes inculcant, & faciunt vt verbum Dei quod deſideranter & auidè ſuſcipi conſueuit, ex prædicationis concurſu contemptibile reddatur in auribus auditorum. Illud etiam ſatis notabile videtur & indecens, quod nonnulli veſtrum mox vt aliquos ægritudinis langore detentos intelligunt, ad ipſos feſtini concurrunt, & eos illectiuis verborum blanditijs demulcentes præcipuum ipſis ſalutis remedium pollicentur, ſi apud eorum Eccleſias elegerint ſepulturam; ac tandem ad ſuum propoſitum talibus perſuaſionibus pertrahentes ad teſtamenta eorum ordinanda ſe ingerunt, & lætantur cùm canonica iuſtitia defraudantur Eccleſiæ, de quorum parochiis aſſumuntur corpora defunctorum. Et nonnulli, qui, vt nudi nudum Chriſtum liberè ſequi poſſent, religionis ſe vinculo aſtringendo ſpecioſa & magna contempſiſſe noſcuntur, ſe in alienis iuribus contra Deum & iuſtitiam vſurpandis exhibent pertinaces. Multa quidem & alia grauamina tam Prælatis quàm Clericis frequenter à vobis illata, & inferri quotidie proponuntur, quæ pro Religionis honore honeſtiùs reputamus ſub ſilentio præterire; ex quibus profectò proximorum ius læditur, Eccleſiarum iuſtitiæ derogatur, blaſphematur Religio, Deus ipſe offenditur quodque periculoſius eſt, fidelium animæ in laqueum mortis & in puteum interitus pertrahuntur. Nos igitur, qui ex ſuſcepti Apoſtolatus officio ſumus omnibus in iuſtitia debitores, vt condecet attendentes quod ex vſurpatione huiuſmodi, non tantum indeuotio & contemptus in populo prodeunt contra proprios ſacerdotes, verùm etiam erubeſcentia, quæ eſt magna pars pœnitentię, tollitur, dum quis non proprio Sacerdoti, quem habet continuum & præſentem, ſed alieno & aliquando tranſeunti, ad quem difficilis & quandoque im-

Digitized by Google

poſſibilis eſt recurſus, ſua crimina confitetur. Ne tamen abuſiuos exceſſus videamur per tolerantiam comprobare, volentes in poſterum fræno iuris prædictarum tranſgreſſionum iniurias cohibere, ac ſingulis Eccleſiis & earum miniſtris ſua iura illæſa omnimodè conſeruari, nec-non Parochianorum ſaluti & famæ veſtræ conſulere, circa præmiſſa nihil nouum in veſtrum inducendo grauamen, ſed antiqua & moderna iura in medium deducendo, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo, mandamus, quatenus Parochianos alienos diebus Dominicis & feſtiuis non recipiatis de cætero in veſtris Eccleſiis ſeu oratoriis temerè ad diuina: nec ipſos ſine Sacerdotis ſui licentia ad pœnitentiam vllatenus admittatis, cùm ſi quis alieno Sacerdoti iuſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundum ſtatuta Generalis Concilij licentiam priùs poſtulare ac obtinere debeat à proprio Sacerdote, vel ſaltem primo ſibi confiteri, & recipere abſolutionis beneficium ab eodem: aliter namque ab ipſo ſolui non poterit cùm duplex in iudicando funiculus, ſcilicet poteſtatis & ſcientiæ, requiratur, quorum alterum conſtat in alieno deficere Sacerdote. Et ne Parochialibus Eccleſiis deuotio debita ſubtrahatur, ante Miſſarum ſolemnia, ad quæ audienda Parochiani prima diei parte in ſuis conſueuerunt & debent Eccleſiis conuenire, nequaquam in veſtris Eccleſiis prædictis, nec hora illa ſolemnes in eis faciatis ſermones, ne propter hos audiendos ad vos populus confluens Parochiales Eccleſias derelinquat: ſed nec ad prædicandum ſolemniter ad alias Parochias accedatis niſi à Sacerdote Parochiarum ipſarum fueritis inuitati, vel ſaltem niſi ad illud humiliter petieritis & obtinueritis vos admitti. Et vt debitus honor Epiſcopis deferatur, eadem die, qua diœceſanus Epiſcopus, vel alius loco eius ſolemniter prædicat, maximè in Eccleſia Cathedrali, nullus veſtrùm in eadem ciuitate vel loco prædicare præſumat, ne ſalubris prædicationis doctrina ex frequenti conculcatione huiuſmodi quaſi tædium generans contemnatur. Si verò in caſu licito Parochianos alterius ad ſepulturam, quam nemo ſine iuſta & rationabili cauſa temerè debet eligere antiquis ſuorum parentum dimiſſis ſepulchris, in veſtris Eccleſiis recipere vos contingat, omnium, quæ obtentu ſepulturæ huius fueritis conſequuti, medietatem, vel

MAGISTRI

GVILLIELMI

DE SANCTO AMORE

SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGIÆ

Parisiensis Doctoris, ac Socij Sorbonici

AD PSALMORVM LIBRVM, CVM PRIMVM EVM PRÆLEGERE INCIPERET.

PRÆFATIO.

EGREDIMINI Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quô coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Verbum est Salomonis Filij Dauid *In Cant. Cantic.* cap. 3. & dirigitur *Ad omnes Catholicos*, magis *Ad Theologos*, maximè *Ad Religiosos.* Ipsi enim dicuntur Filiæ Sion, *ob amoris priuilegium, & contemplationis fastigium.* Et quamuis *non filij, sed filiæ dicantur* genere fœmininô; non *propter sexus infirmitatẽ*, sed *propter prolis fœcunditatem*, quam debent habere *In doctrinæ vera, In operatione bona, In conuersatione sancta*; debent nihilominùs insistere *Speculationi* (sic enim interpretatur *Sion*, id est, *speculatio*) quæ in tribus consistit; scilicet, *In labore inquisitionis; In deuotione orationis*; & *In silentio contemplationis.* In primo *quæritur sponsus*; in secundo *rogatur*; in tertio *tenetur inuentus.* In primo loco *quæritur sponsus Sponsæ*; in secundo, *sponsa sponso*; in tertio *dantur oscula, & iunguntur amplexus.* Sicut dicitur, *Paululùm cum pertrãsissem eos, inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittã.*

Sed quia Sponsus adhuc *stat post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*; antequam oscula dentur, vel iungantur amplexus, necesse est egredi. Quod attendens Filius Dauid exclamat, & dicit, *Egredimini Filiæ Sion*; & *Egredimini sapienter*; est enim *egressus malus*, & *egressus bonus.*

EGRESSVS MALVS tripartitus est. Primus est *de veris ad erroneas*, secũdus *de permanentibus ad caduca*; tertius *de honestis ad turpia*. Primô egressu *egreditur quis à Deo*; secundô *à proximo*; tertiô *à seipso*. *A DEO*, *per Superbiam*; *A PROXIMO*, *per Auaritiam*; *A SEIPSO*, *per Luxuriam*. Primus est *Hæreticorum*; secundus *Cupidorum*; tertius *Voluptuosorum*. De primo dicitur in Cantico Cantic. cap. 1. *Si ignoras te, O pulcherima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula Pastorum*; id est, *subditos tuos erroneos iuxta dogmata Hæreticorum*. Secundô egressu *egressus est Iudas*, Ioan. 13. qui cupiditate ductus abijt & vendidit Dominum suum. Tertiô egressu *egressa est Dina*, Genes. 34. quæ inuenta corrupta est à Sichem filio Emor. Huiusmodi egressus ducunt in Babylonem, in regionem dissimilitudinis, vbi non possunt hymni Dauidici decantari, sicut scriptum est; *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena*? Vos igitur Filiæ Sion, quæ vultis hymnos, seu Psalmos Dauidicos decantare; quærite alium egressum, qui ducit in Ierusalem, vbi licet & decet hymnos Dauidicos decantare.

HVIVSMODI est *Egressus bonus*, qui tripartitus est, sicut & *malus*. Primus est *egressus de carne ad spiritum*; secundus, *de natura ad ea quæ sunt supra naturam*; tertius, *de mundo ad cœlum*. De carne ad spiritum fit egressus *per cordis contritionem*; de natura ad ea quæ sunt supra naturam, *per diuinæ legis meditationem*; de mundo ad cœlum, *per corporis & animæ dissolutionem*; seu etiam *per contemplationem*. In primo egressu est *dolor & labor*; in secundo, *decor & sapor*; in tertio, *gloria & honor*. In primo reducimur *de inuio ad viam*; in secundo, *de tenebris ad lucem*; in tertio, *de virtute in virtutem*. In primo deducimur *de mansione in mansionem*; in secundo, *de labore ad requiem*; in tertio, *de exilio ad patriam*. In primo siquidem egressu, *egredimur de Ægypto*; in secundo, *progredimur per desertum*; in tertio, *egredimur de deserto, & ingredimur terram promissionis*. Hæc enim est triplex dieta, de qua dicit Moyses Exod. 5. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum*. Primus egressus & prima dieta ducit *in statum pœnitentiæ*; secundus egressus & secunda dieta ducit *in statum iustitiæ*; tertius egressus & tertia dieta ducit *in statum gloriæ*, vel ad minus, *contemplationis diuinæ*. Primus est status *Incipientium*; secundus *Proficientium*; tertius *Perfectorum*, seu *Peruenientium*.

In hoc

Digitized by Google

In hoc triplici ſtatu *decantantur* P*ſalmi Dauidici*, vtiliter, & decenter. *Primam quinquagenam* decantant *Incipientes* in primo ſtatu ; *ſecundam* cantant *Proficientes* in ſecundo ſtatu; *tertiam* cantant *Perfecti* , ſeu *Perueni entes* in tertio ſtatu. Vnde PRIMA *quinquagena terminatur in Pſalmo pœnitentiæ*, ſcilicet, *Miſerere mei Deus*, cuius verſus vltimus *in iuſtitiam terminatur*; vnde dicit, *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ*; videmus ſiquidem, quod *ſtatum pœnitentiæ ſequitur ſtatus iuſtitiæ*. Incipit autem *à Beatitudine*, quia *Beatitudo finis eſt pœnitentiæ*, *medium iuſtitia*. SECVNDA *quinquagena* terminatur *in* P*ſalmo pœnitentiæ pariter*, *& rigoris*, ſcilicet, *Miſericordiam & iudicium*, per quæ deletur omnis iniquitas, ſicut dicitur Prouerb. 16. *Miſericordiâ & Veritate redimitur iniquitas* ; vnde & *Vltimus Verſus ſecundæ quinquagenæ* dicit. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* TERTIA *quinquagena terminatur in laudem ſpiritualem*; vnde dicit, *Omnis ſpiritus laudet Dominum*. Sic ergo, PRIMA QVINQVAGENA *inchoat* ; SECVNDA *promouet* ; TERTIA *conſummat*. Præterea, PRIMA *ponit fundamentum* ; SECVNDA *erigit parietes* ; TERTIA *ſuperponit tectum*, & ſic conſummatur ædificium ſpirituale.

In *primo egreſſu*, & in prima dicta, *Videtur Rex Salomon*, id eſt, *Chriſtus*; in *ſecundo rogatur*, vt diximus; ſed in *tertio Videtur & tenetur*. Igitur, *Egredimini Filiæ Sion*, primo, ſecundo, & tertio egreſſu: *& Videte Regem Salomonem in diademate ſuo*, ſicut promiſit Iſa. cap. 30. *Regem in decore ſuo videbunt*. Videtur autem Salomon *in mundo*, videbitur *in iudicio*, videbitur & *in regno*. Prima viſio eſt *miſericordiæ*, ſecunda *iuſtitiæ*, tertia *gloriæ*. Vnde B. Hier. dicit. *Ieſus in exilio viſus eſt paruus & amabilis, in iudicio magnus & terribilis, in regno videbitur magnus & laudabilis*. Et in qualibet viſione ipſe eſt *Dauid*. In *prima* ſiquidem fuit *Dauid*, id eſt, *manu fortis*; quia tunc debellauit aëreas poteſtates; In *vltima* erit *Dauid*, id eſt, *vultu deſiderabilis*; quia *ipſe eſt, in quem Angeli deſiderant proſpicere*, vt dicitur 1. Petri 1. In *media* erit *vtrumque*, id eſt, *manu fortis*, *& aſpectu deſiderabilis*; MANV FORTIS *ad reprobos*; VVLTV DESIDERABILIS *ad electos*; illis ſiquidem terribiliter intonans dicet. *Ite maledicti in ignem æternum*; iſtis ſuauiter loquens dicet. *Venite benedicti patris mei percipite regnum.*

EGREDIMINI ergo *Filiæ Sion* primo egreſſu; & *Videte Regem*

Digitized by Google

Dauid in mundo *paruum & amabilem*; & amate, *in prima quinquagena*. *EGREDIMINI Filiæ Sion* secundo egressu; *& videte Regem Dauid*, in iudicio, *iratum & terribilem*; *&* timete, *in secunda quinquagena*. *EGREDIMINI* tertiò, *& videte Regem*, in regno *magnũ & laudabilem*; & laudate *in tertia quinquagena*. De primo visu dicitur Baruch 3. *In terris visus est*. De secundo Zac. 12. *Aspicient ad me, quem transfixerunt*. De tertio in psal. 101. *Ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua*. Primo visu visus est *in diademate, quô coronauit eum mater sua*; primò *in conceptione*, quando *B. Virgo coronauit eum coronâ carneâ*; secundò *in passione*, quando *Nouerca eius Synagoga coronauit eum coronâ spineâ*; tertiò *in resurrectione*, quando *Deus Pater coronauit eum coronâ gloriæ*. Dies autem *primæ coronationis* dicitur *dies desponsationis & lætitiæ*; quia in eo tam gloriosè nupsit humana natura, quod glorioſiùs nubere non potuit; siquidem *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*; Et Hester facta est Regina; propter quod dicit Dauid, *Domine canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decacordo psallam tibi*. *CANTICVM nouum* dicitur; quia *de re noua*, id est, de Verbi incarnatione, de nati Verbi conuersatione, de eiusdem passione, de eiusdem sepultura, & ad inferos descensu, & captiuorum liberatione, de illius resurrectione, de eiusdem ascensione, de Spiritus Sancti missione, & de eiusdem aduentu ad iudicium; *Quæ sunt decem cordæ*, de quibus agit Dauid in hoc lib. propter quod dicitur *Psalterium decacordum*; Et etiam, quia in eo tractatur doctrina decem præceptorum; quorum intelligentia & operatio suauem faciunt melodiam, sicut dicitur Eccl. 40. *Tibiæ & psalterium suauem faciunt melodiam, & super vtraque lingua suauis*.

Ex iam dictis patet, *Quis sit Author huius libri*, scilicet *Dauid, manu fortis & aspectu desiderabilis*; secundùm quod inuitamur *ad studium lectionis simul & operationis*. *MATERIA LIBRI* est *Christus integer*, Id est, caput & membra, sponsus & sponsa, Christus & Ecclesia cum suis conditionibus siue proprietatibus. *INTENTIO PROPHETÆ* est *in Adam deformatos ostendere reformatos in Christo*; per fidem decem priorum cordarum, & per operationem posteriorum. *MODVS AGENDI* talis est; *Paucus est in verbis, multus in sententia*. Quandoque *loquitur de capite per se*, & hoc tribus modis; modò *secundùm Diuinitatem*, modò *secundùm humanitatem*, modò *secundùm transumptionem*, at-

Digitized by Google

tribuens capiti, quod est membrorum. Quandoque *loquitur de membris per se*; nunc *de Apostolis*; nunc de *Martyribus*; nunc *de Confessoribus*; nunc *de Anachoretis*; nunc de *Prælatis*; nunc *de coniugatis*; nunc *de bonis*; nunc *de malis*.

Partitus est liber iste *in tres partes*, id est, *in tres quinquagenas*, secundùm *triplicem statum hominum*; omne enim genus hominum hîc pascitur, & docetur. *IN PRIMA quinquagena* pascuntur, INCIPIENTES, *pane hordeaceô*; *IN SECVNDA* pascuntur *PROFICIENTES pane triticeô*; *IN TERTIA* pascuntur *PERFECTI*, siue *PERVENIENTES*, *pane similagineô*. Primus *panis* est *Iumentorum*; secundus *Hominũ*; tertius *Angelorum*. Diuiditur etiam in quinque distinctiones, sed tamen vnus est liber propter finis, & intentionis, & materiæ, vnitatem. Vnde Augustin. *In triplicato quinquagenario triplicis peccati remissio*, id est, *cordis, oris, & operis; & ipsa Trinitatis vnitas designatur, quæ totum hoc operatur.*

Sunt autem versus bis mille ducenti & sex, in quo numero *triplex perfectio* designatur; *Prima est Senarij*, quæ pertinet *AD POENITENTES*; *Secunda Centenarij*, quæ pertinet *AD PROFICIENTES*; *Tertia est Millenarij*, quæ pertinet *AD PERVENIENTES*; Et *Binarius GEMINAM* significat *CHARITATEM*, quæ totum informat. Vnde dicitur in versu.

Versus bis mille, bis centum, sex, canit ille;
Vt sis perfectus, geminô formatus amore;
Incipiendo, progrediendo, perueniendo.

Titulus talis est. *Incipit liber Hymnorum*, siue *Psalmorum*, siue *Soliloquiorum*; cuius compositionem & rationem diximus in proœmio. Vnde notandũ est, quod sicut in Tabernaculo Moysis *duplex fuit tentorium*; *VNVM in introitu atrij*, per quod *erat ingressus ad Tabernaculum*; *ALIVD in introitu Tabernaculi*, per quod *erat ingressus in Tabernaculum*; *& VTRVMQVE quatuor coloribus textum*, vt dicitur Exod. 38. Ita ad hunc modum compositor huius libri, id est Dauid, fecit proœmium, id est, *duplicem ingressum*; *VNVM ad librum*, & *ALIVM in librum*: *& VTERQVE continet* in se *quatuor*, quia *quatuor coloribus distinguitur*. INGRESSVS *ad librum* continet *causam nominis*; id est, *cur liber iste Psalterium*, vel *Soliloquium dicatur*; Et *rationem quantitatis*; id est, *quare tot Psalmos, nimirũ, 150. contineat*; Et *causam distinctionis*;

id est, *quare in tres quinquagenas distinguatur*; Et *causam frequentationis*; id est, *quare plus cæteris Prophetijs Prophetia Dauid in Ecclesia frequentetur*. Et dicitur proœmium illud *Ingressus ad librum*, non *in librum*; quia his cognitis parùm de sensu & de continentia libri nobis aperitur. *SECVNDVM proœmium*, quod est, *INGRESSVS in librum*; similiter *continet quatuor*, scilicet, *titulum, materiam, intentionem, & modum agendi*. Et hoc dicitur *Ingressus in librum*; quia his cognitis, ea quæ in libro sunt, aliquatenùs elucescunt.

Sed oritur Quæstio, *cùm Dauid dicatur, & sit eximius Prophetarum*; quare apud *Hebræos non inter Prophetas*, sed *inter Hagiographa* computetur? *Hebræi* siquidem *Bibliothecam diuidũt in tres partes*, scilicet, *in Legem, Prophetas, & Hagiographa*; Et dicunt *LIBROS legis esse quinque*, scilicet, *Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium*; *PROPHETAS octo*, scil. *Iosue, Iudicum, Samuel*, id est, duos primos Regum, *Melachim*, id est, duos vltimos Regum, *Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, duodecim Prophetas*; *HAGIOGRAPHA decem*, scilicet, *Iob, Paralipomenon, Psalterium, Esdram, Hester, tres libros Salomonis, Danielem*. Qmnes alios libros vocant *Apocrypha*; nimirum, *Tobiam, Iudith, Ecclesiasticum, Sapientiam, Maccabæos*.

Ad hoc sciendum est, quod *Propheta pluribus modis dicitur*, scil. *inspiratione, officiô, consuetudine*. *INSPIRATIONE Propheta* dicitur, *cui Deus inspirando reuelat secreta, seu futura*; sic Daniel, sic Dauid, sic Isaias, sic Ieremias fuerunt Prophetæ. *OFFICIO Propheta* est, *cui sit reuelatio futurorum, & mittitur ad prædicandum illa futura diuinitùs reuelata*; hoc modô non fuit Dauid, aut Daniel Propheta; quia neuter missus fuit ad prædicandum propter futurã. *CONSVETVDINE Propheta* dicitur, *qui habet vsũ & cõsuetudinem*, secundùm quod Amos excusando se dicit cap. 7. cap. *Non sum Propheta*, id est, *non habeo vsum, & consuetudinem prophetandi*; licet haberet *officium & inspirationem*. Quia igitur Dauid & Daniel non habuerunt officium prophetandi; ideo apud Hebræos non ponuntur inter Prophetas.

His visis, quia *triplex genus hominum hîc reficiendum est*, & ideo *triplex panis necessarius est*; vtamur consiliô Saluatoris, & eamus ad amicum, & dicamus ei, *Amice commoda mihi tres panes, quia amicus meus venit de via, & non habeo, quod ponam ante illum*. Luc. 11. quia certè *ducentorum denariorum panes non*

ſufficiunt ijs, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat, Ioan. 6. Sed ipſe, *qui in fractione panis cognitus eſt*, Luc. vlt. *qui de quinque panibus & duobus piſcibus*, id eſt, *LEGE, ET PROPHETIÆ, ET PSALMIS, quinque millia Hominum ſatiauit*, Ioan. 6. frangat vobis panem iſtum Dauidicum, & cognoſcatur à vobis, & multiplicetur, vt ſatiemur ab eo; & ſic *ſplendidum in panibus benedicent labia multorum*, vt dicitur Eccl. 31. id eſt, *ipſum Dei filium, qui doctrinam quaſi Prophetiam effundit.* Eccl. 24. Cui eſt omnis laus & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

IN PSALMVM PRIMVM
COMMENTARIVS
IMPERFECTVS.

BEATVS vir, qui non abiit &c. Pſalmus iſte titulum non habet, quia titulus eius non ponitur in prologo; ſcilicet, *Liber Soliloquiorum*, nec eſt, nec inuenitur in Hebraica veritate. Pſalmus iſte titulus eſt huius libri, & ideo dicitur infrà. *In capite libri ſcriptum eſt de me &c.* LECTIO Prophetæ eſt vt informet nos Deo; hoc autem per virtutes, quarum finis eſt *Beatitudo*; Ideo à Beatitudine incipiens dicit, *Beatus vir &c.* Beatitudo autem *conſiſtit in ſex.* Primùm *in IMMVNITATE à peccato triplici*, ſcil. operis, *qui non abiit* (operando) *in conſilio impiorũ*; Cordis, *& in via Peccatorum nõ ſtetit*; Oris, *& in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Secundum eſt *BONA VOLVNTAS*; *ſed in lege Domini voluntas eius.* Tertium eſt *MEDITATIO LEGIS DIVINÆ, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Quartum eſt *BONA OPERATIO, & erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum*; Sed quia nihil valet opus ſine diſcretione, addit, *quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Quintum eſt *BONA LOCVTIO, & folium eius non defluet*; id eſt *verbum non deorſum fluet.* Sextum eſt *PERSEVERANTIA, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur*, per perſeuerantiam & profectum.

Est Beatitudo SINISTRÆ, *temporalium affluentia*; Psal. 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt; beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* DEXTERÆ, *scilicet, gratuita*; Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* PATRIÆ; Luc. 14. *Beatus qui comederit panem in regno Dei.*

Ad hanc autem Beatitudinem exiguntur decem, quæ hîc habentur in ordine; VITARÆ *peccatum futurum*, ibi, *Qui non abiit in consilio Impiorum.* PLANGERE *peccatum præteritum*; ibi, *in via Peccatorum non stetit*; NON PVBLICARE, *peccatum præsens*; ibi *in cathedra pestilentiæ non sedit.* VELLE BONVM; ibi, *In Lege Domini voluntas eius*; SCIRE BONVM; ibi, *Meditabitur die ac nocte.* POSSE; ibi, *& erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* OPERE EXEQVI; ibi, *Quod fructum suum dabit.* DISCRETIO; ibi, *in tempore suo.* MODESTIA VERBORVM; ibi, *& folium eius non defluet.* PATIENTIA; ibi, *Omnia quæcumque faciet prosperabuntur*, quia per patientiam etiam aduersa reputantur prospera.

Item, quia psalmus iste est titulus huius libri totius, ideo hîc *Ostenduntur tria*, de quibus agitur in hoc libro; STATVS Pœnitentium; STATVS *Proficientium*; Et STATVS *Perfectorum*. STATVS Pœnitentium notatur ibi, *Beatus vir qui non abiit* &c. Et quia, vt dicit Greg. *In pœnitentia sunt duo necessaria*, scilicet, *committenda relinquere, & commissa deflere* (Pœnitentia enim, vt ait Greg. *est commissa deflere, & flenda non amplius committere*) ideo dicit, BEATVS VIR QVI NON ABIIT, *à Domino in regionem dissimilitudinis, peccata peccatis addendo.* Ierem. 2. *Quàm vilis facta es iterans vias tuas.* IN CONSILIO, id est, *ad consilium*; IMPIORVM, *hoc suggerentium*; de quibus Iob 21. *Consilium impiorum longè sit à me.* Hoc quantùm ad illud Gregorij, *flenda non amplius committere.* Sed hoc non sufficit, si in ijs, quæ commisit, remaneat. Vnde hoc remouet subdens, *Et in via peccatorum*, quam iam intrauerat, *non stetit*, sed per pœnitentiam reuersus est. Et hoc est illud Gregorij, *commissa flere*, quod manifestat conformando voluntatem suam voluntati diuinæ; Vnde sequitur, *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* SECVNDVS STATVS est *Proficientium*, quod notatur ibi, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* &c. *quod*, scilicet, *semper crescit, dum est in vigore iuuentutis.* TERTIVS STATVS est *Perfectorum*, quod notatur ibi. *Et folium*

Digitized by Google

eius non defluet, quia, vt dicitur Iac. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*

Agit etiam in hoc libro de *pœna malorum, & gloria bonorum; & remouet à malis statum* Pœnitentium; Et ideò dicit, *non sic impij, non sic*; quia mali non fugiunt consortium malorum, nec conformant voluntatem suam voluntati diuinæ. Item *remouet à malis statum* Proficientium, cum dicit, *Sed tanquam puluis*, qui sterilis est, *quem proijcit ventus à facie terræ*. Ecce inconstantia contra perseuerantiam. Item *remouet à malis statum* Perfectorum, ibi, *Ideo non resurgent impij in iudicio*. Sap. 3. *Iudicabunt sancti nationes terræ*; supple, *non impij*. 1. Corinth. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.*

Ad vltimum *ponit causam glorificationis bonorum*, ibi, *Quoniam nouit Dominus*, id est, approbauit, *viam iustorum*; ibid. *causam damnationis malorum* statim subiungens, *& iter impiorum peribit*; scilicet, *quia viam eorum non nouit*, id est, *non approbauit Dominus.*

Notandum est autem quod *tripliciter* exponitur Psalmus iste; *Ad literam de Iudæis*, qui contra voluntatem Dei descenderunt in Ægyptum Isa. 43. *ALLEGORICE de Christo*; *MORALTER, de iusto viro.*

Reliqua desunt.

DE PHARISÆO ET PVBLICANO CONCIO.

DEVS, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti, adulteri, vel vt etiam hic Publicanus, Luc. 18. In hodierno Euangelio ponit nobis Dominus in parabola *duas personas, quasi duo specula*, vel exempla *vnum superbiæ*, videlicet *Pharisæum*; & *alterum humilitatis*, videlicet *Publicanum*. In qua parabola possumus ad præsens *considerare quatuor* ad nostram instructionem. Primò qui significentur per Pharisæum, & qui per Publicanum. Ibi duo homines con-

siderandi. *Secundò* comparationem Phariſæi ad Publicanum, & eorum diſſimilitudinem. *Phariſæus ſtans*, &c. *Tertiò* Domini ſententiam ſuper meritis amborum. *Amen dico vobis*, &c. *Quartò* fructum parabolæ, ſiue ad quid inducatur parabola. *Quia qui ſe exaltat, humiliabitur.*

Circa primum notandum eſt, quod *Phariſæi erant quidam Religioſi apud Iudæos, ſicut ſunt apud nos Regulares*; quorum quidam *in habitu, in auſteritate vitæ, in obſeruantijs ſpiritualibus, & traditionibus ſuis prætendebant ſanctitatis ſpeciem, quam non habebant in corde*; Et iſti erant hypocritæ. IN *HABITV prætendebant ſanctitatem*, quia *membranulas, in quibus ſcriptus erat decalogus, geſtabant in frontibus, quaſi ſemper meditantes legem Dei.* Et etiam *geſtabant eas in manibus, quaſi ſemper operantes ſecundùm legem.* Item, *habebant quadrata pallia, in quibus fimbriæ dependebant.* *AVSTERITATEM vitæ prætendebant in hoc*, quoniam *in fimbrijs illis ligabant ſpinas acutas, quibus ſiue ambulando, ſiue ſedendo, pungerentur; quaſi ſic commoti retraherentur ad ſeruitium Dei.* Ex quo apparet, quod ambulabant diſcalceati; aliter enim ambulando non pungerentur à ſpinis. Hoc dicit Gloſſa Matth. 23. ſuper illud *Dilatant Phylacteria &c.* Iſti autem, vt per hoc humanam gloriam aſſequerentur; non in clauſtris, non in ſolitudinibus habitare volebant, ſed cœtus & turbas hominum frequentabant. Vnde Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro*; quod videtur eſſe contrarium Religioni; *Sicut enim piſcis ſine aqua vitâ caret, ita ſine Monaſterio Monachus*, vt dicit Eugenius Papa 16. q. 1. cap. *Placuit.* Vnde Hieronymus ad Paulin. Monach. *Si cupis eſſe quod diceris Monachus*, id eſt ſolus, *quid facis in vrbibus, quæ ſolorum non ſunt habitacula, ſed multorum?* Iſti etiam, vt maiorem gloriam apud homines obtinerent, præferebant traditiones ſuas legi diuinæ, vt dicit Dominus Matth. 15. *Quare tranſgredimini mandata Dei propter traditiones veſtras?* Et ideo *Phariſæi*, id eſt, *diuiſi à populo dicebantur*, vt dicit Gloſſ. Matth. 3. ſuper illud; *Videns Ioannes multos Phariſæorum venientes ad baptiſmum.* Propter gloriam etiam maiorem humanam, faciebant quidam eorum ſe Scribas, id eſt, *Legis Doctores*, vt in maiori reuerentia haberentur tanquam magiſtri. Vnde Matth. 23. *Amant vocari ab hominibus Rabbi*, id eſt, *Magiſtri*, dicitur de Phariſæis. Vnde ibidem ſuprà, *Super cathedram Moyſi ſederunt*

Digitized by Google

runt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſer-vate & facite. Ex quo patet, quod *aliqui Phariſæi erant ſimul & Scribæ*, quia non ſedebant in cathedris, *niſi Scribæ*, id eſt, *Legis Doctores; & illi peiores erant alijs Phariſæis*; Vnde in vno eodemque ſermone grauiùs inuehitur Dominus contra eos comminans eis, & comminans mortem æternam, dicens octies Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ.* Iſti Phariſæi hypocritæ præcipuè procurauerunt mortem Domini Saluatoris, exhibentes etiam Miniſtros Iudæ proditori ad capiendum Dominum, Ioan. 18. *Iudas, cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis Miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.*

Per prædictum *Phariſæum, qui erat hypocrita*, vt oſtendetur inferiùs, *ſignificantur Hypocritæ noſtri temporis*; & præcipuè *illi, qui in habitu & geſtu exteriori, & oſtentatione vitæ auſterioris, & ſpiritualibus obſeruantijs per ſuas traditiones inuentis, ſpeciem ſanctitatis & religionis prætendunt, vt ab hominibus laudentur & honorentur*, videlicet, *Falſi Religioſi*; quod ex eorum operibus cognoſci poteſt, Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Non dico ab illis operibus, quæ ipſi oſtentant, vt ſanctiores videantur; illa enim bona eſſe apparent hominibus; vnde Gloſſa ibidem, *In conſpectu hominum ſimiles ſunt Miniſtris iuſtitiæ, dum ieiunant, orant, eleemoſynas dant; ſed non ſunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputantur*; videlicet, propter vanam gloriam, ad quam tendunt. Sed ab illis operibus cognoſcuntur, quæ ipſi non oſtentant; ſed tamen ea faciunt, vt mundi gloriam, vel delicias aſſequantur; *Sunt enim quidam illorum voluptatis amatores magis, quàm Dei*, vt dicit Apoſtolus 2. Timoth. 3.

Ad cognoſcendum autem *Phariſæos & Scribas hypocritas* per ipſorum opera, quæ ſub pietatis ſpecie machinantur, *poſuit Deus quatuor ſigna infallibilia*, quoniam menteri non poteſt, dicens Matt. 23. *Amant primos accubitus in cœnis; primas cathedras in ſynagogis; ſalutationes in foro; & vocari ab hominibus RABBI.*

Circa *primum ſignum* notandum eſt, quod *illi primos recubitus in cœnis videntur amare, qui cœnas publicas Regum, & Principum, & Prælatorum ſectantur, ſedentes in capitibus menſarum, vt ab hominibus honorificè & delicatè paſcantur.* Quod in viris *Regularibus*, & præcipuè in *Prædicatoribus* non benè ſedet; vnde ſuper illud Matth. 12. *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, dicit Gloſ. *Rigida vita & prædicatio*, id eſt, REGVLARES ET

siderandi. *Secundò* comparationem Phariſæi ad Publicanum, & eorum diſſimilitudinem. *Phariſæus ſtans*, &c. *Tertiò* Domini ſententiam ſuper meritis amborum. *Amen dico vobis*, &c. *Quartò* fructum parabolæ, ſiue ad quid inducatur parabola. *Quia qui ſe exaltat, humiliabitur.*

Circa primum notandum eſt, quod *Phariſæi erant quidam Religioſi apud Iudæos, ſicut ſunt apud nos Regulares*; quorum quidam *in habitu, in auſteritate vitæ, in obſeruantijs ſpiritualibus, & traditionibus ſuis prætendebant ſanctitatis ſpeciem, quam non habebant in corde*; Et iſti erant hypocritæ. IN HABITV *prætendebant ſanctitatem*, quia *membranulas, in quibus ſcriptus erat decalogus, geſtabant in frontibus, quaſi ſemper meditantes legem Dei.* Et etiam *geſtabant eas in manibus, quaſi ſemper operantes ſecundùm legem.* Item, *habebant quadrata pallia, in quibus fimbriæ dependebant.* AVSTERITATEM *vitæ prætendebant in hoc*, quoniam *in fimbrijs illis ligabant ſpinas acutas, quibus ſiue ambulando, ſiue ſedendo, pungerentur; quaſi ſic commoti retraherentur ad ſeruitium Dei.* Ex quo apparet, quod ambulabant diſcalceati; aliter enim ambulando non pungerentur à ſpinis. Hoc dicit Gloſſa Matth. 23. ſuper illud *Dilatant Phylacteria &c.* Iſti autem, vt per hoc humanam gloriam aſſequerentur; non in clauſtris, non in ſolitudinibus habitare volebant, ſed cœtus & turbas hominum frequentabant. Vnde Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro*; quod videtur eſſe contrarium Religioni; *Sicut enim piſcis ſine aqua vitâ caret, ita ſine Monaſterio Monachus*, vt dicit Eugenius Papa 16. q. 1. cap. *Placuit.* Vnde Hieronymus ad Paulin. Monach. *Si cupis eſſe quod diceris Monachus*, id eſt ſolus, *quid facis in vrbibus, quæ ſolorum non ſunt habitacula, ſed multorum?* Iſti etiam, vt maiorem gloriam apud homines obtinerent, præferebant traditiones ſuas legi diuinæ, vt dicit Dominus Matth. 15. *Quare tranſgredimini mandata Dei propter traditiones veſtras?* Et ideo Phariſæi, id eſt, *diuiſi à populo dicebantur*, vt dicit Gloſſ. Matth. 3. ſuper illud; *Videns Ioannes multos Phariſæorum venientes ad baptiſmum.* Propter gloriam etiam maiorem humanam, faciebant quidam eorum ſe Scribas, id eſt, *Legis Doctores*, vt in maiori reuerentia haberentur tanquam magiſtri. Vnde Matth. 23. *Amant vocari ab hominibus Rabbi*, id eſt, *Magiſtri*, dicitur de Phariſæis. Vnde ibidem ſuprà, *Super cathedram Moyſi ſederunt*

Digitized by Google

*runt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſer-
vate & facite.* Ex quo patet, quod *aliqui Phariſæi erant ſimul & Scribæ*, quia non ſedebant in cathedris, *niſi Scribæ*, id eſt, *Legis Doctores; & illi peiores erant alijs Phariſæis*; Vnde in vno eodemque ſermone grauiùs inuehitur Dominus contra eos comminans eis, & comminans mortem æternam, dicens octies Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ.* Iſti Phariſæi hypocritæ præcipuè procurauerunt mortem Domini Saluatoris, exhibentes etiam Miniſtros Iudæ proditori ad capiendum Dominum, Ioan. 18. *Iudas, cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis Miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.*

Per prædictum *Phariſæum, qui erat hypocrita*, vt oſtendetur inferiùs, *ſignificantur Hypocritæ noſtri temporis*; & præcipuè *illi, qui in habitu & geſtu exteriori, & oſtentatione vitæ auſterioris, & ſpiritualibus obſeruantijs per ſuas traditiones inuentis, ſpeciem ſanctitatis & religionis prætendunt, vt ab hominibus laudentur & honorentur*, videlicet, *Falſi Religioſi*; quod ex eorum operibus cognoſci poteſt, Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Non dico ab illis operibus, quæ ipſi oſtentant, vt ſanctiores videantur; illa enim bona eſſe apparent hominibus; vnde Gloſſa ibidem, *In conſpectu hominum ſimiles ſunt Miniſtris iuſtitiæ, dum ieiunant, orant, eleemoſynas dant; ſed non ſunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputantur*; videlicet, propter vanam gloriam, ad quam tendunt. Sed ab illis operibus cognoſcuntur, quæ ipſi non oſtentant; ſed tamen ea faciunt, vt mundi gloriam, vel delicias aſſequantur; *Sunt enim quidam illorum voluptatis amatores magis, quàm Dei*, vt dicit Apoſtolus 2. Timoth. 3.

Ad cognoſcendum autem *Phariſæos & Scribas hypocritas* per ipſorum opera, quæ ſub pietatis ſpecie machinantur, *ponit Deus quatuor ſigna infallibilia*, quoniam menteri non poteſt, dicens Matt. 23. *Amant primos accubitus in cœnis; primas cathedras in ſynagogis; ſalutationes in foro; & vocari ab hominibus RABBI.*

Circa *primum ſignum* notandum eſt, quod *illi primos recubitus in cœnis videntur amare, qui cœnas publicas Regum, & Principum, & Prælatorum ſectantur, ſedentes in capitibus menſarum, vt ab hominibus honorificè & delicatè paſcantur.* Quod in viris *Regularibus*, & præcipuè in *Prædicatoribus* non benè ſedet; vnde ſuper illud Matth. 12. *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, dicit Gloſ. *Rigida vita & prædicatio*, id eſt, REGVLARES ET

PRÆDICATORES, *declinare debent mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti adulantes.* Nisi enim adulatores essent, non diutiùs amarentur in Curijs, cum sint manibus otiosi, vt dicit Glos. super illud 2. Thessal. 3. *Non quasi habuerimus potestatem, &c.* Glos. *Qui ad alienam mensam frequenter conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se; cum tamen religio nostra ad libertatem homines aduocet*; videlicet, *vt liberè dicant veritatem, & non adulentur.* Ideo, licet Apostolus potestatem haberet viuendi de Euangelio, tanquam missus à Domino, vt ipse probat 1. Corinth. 9. dicens, *Non sum liber? non sum Apostolus? &c.* volebat tamen potiùs viuere de labore manuum suarum, *ne cuiquam onerosus esset, vel adulari necesse haberet.* Illi ergo, qui potestatem Apostolicam non habent, vt potè qui non præsunt regimini animarum, non de Euangelio debent viuere; sed potiùs de labore manuum suarum, 2. Thessal. 3. *Neque enim gratis manducauimus panem ab aliquo; sed in labore & fatigatione*, id est, labore fatigante, *scilicet*, labore manuum, *nocte & die operantes*; Glos. Id est, *multo magis isti Pseudo debent viuere de labore suo, quoniam non habent potestatem hanc, quam nos habemus*; videlicet, *potestatem Apostolicam.* Hanc enim habent *soli Episcopi, & aly Rectores Ecclesiarum, vel eorum Vicarij*, vt dicit Glos. super illud Psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*; & habetur Dist. 68. Can. *Quorum vices.* Et ad Heb. cap. 5. *Nec quisquam sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* Glos. *A Deo vocatur, qui ab Ecclesia rectè eligitur.*

Item, *Illi videntur amare primos recubitus in cœnis, qui vt splendidè pascantur in domibus diuitum & potentum, curiosi existunt de negotijs eorum; & propter illa tractanda huc & illuc discurrunt*; Contra quos Apostolus 2. Thessal. 3. *Ipsi scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos*; Glos. Id est, *curiosi, vt illi qui aliena negotia curant vagantes hac & illac.* Et infrà. *Audiuimus enim quosdam inter vos ambulare inquietè, non operantes, sed curiosè agentes*, Glos. *de negotijs alienis; & hoc modò pasci merentur; quod factum abhorret disciplina Dominica. Eorum enim Deus venter est, qui hac fœdâ curâ necessaria sibi prouident*; videlicet, *procurando negotia aliena.*

Secundum signum datum à Domino *ad cognoscendum Scribas & Pharisæos hypocritas* est, quoniam *amant primas cathedras in Synagogis.* Primas autem Cathedras amare videntur in Synagogis, *Qui in congregationibus, quæ fiunt in Ecclesiis propter aliquas solemnitates, procurant, vt vocentur ad cathedram Præ-*

Digitized by Google

dicantis plærumque à Principe Sæculari, qui poteſtatem ad hoc vocandi non habet; non deferentes in hac parte Epiſcopis & aliis Prælatis, qui præſentes exiſtunt; nec expectant quod ab iis vocenturs ſed per tales vocationes minùs canonicas ſe ingerunt ad prædicandum plebibus alienæ, contra illud Apoſtoli Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Nec enim Epiſcopus prædicare poteſt publicè plebi alterius Epiſcopi, 9. q. 2. cap. *Epiſcopum*, niſi ab eo, vel Plebano illius plebis fuerit ad hoc inuitatus, 7. q. 1. cap. *Epiſcopi, vel Presbyteri.* Qui enim ſe ingerit ad prædicandum populo, ſuper quem non habet à Domino poteſtatem, non Dei gloriam, ſed ſuam propriam quærit; & tamen 2. Cor. 10. dicitur, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Gloſſ. *Quod non poteſt ille, qui non habet à Domino poteſtatem; talis enim, ſi prædicet, gloriam ſuam quærit.* Et Philipp. 2. ſuper illud, *Siue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur*, &c. Gloſſa. *Pſeudo ex occaſione Euangelizant quærentes commoda ſua, vel pecuniaria, vel honorum, vel laudis humanæ.* Tales Prædicatores plùs volunt in ſua prædicatione commendari ſapientiâ, aut eloquentiâ ſuâ, quàm ipſam rem prædicatam; ſicut faciebant Pſeudo. Vnde 1. Theſ. 2. dicit Apoſtolus, *Neque quærentes ab hominibus gloriam.* Gloſſa. *Tangit Pſeudo, qui ſe potius, quàm Dei doctrinam commendari volebant; Apoſtolus autem, qui non ad præſens, ſed in futuro gloriam quærebat, ſe humilem faciebat, vt Dei prædicatio exaltaretur.* Vnde 1. Cor. 1. *Non in ſapientia verbi*, &c. Gloſſ. *Qui Chriſti doctrinam verbis exornare vult, obſcurat illam ſplendore verborum; vt non illa, ſed vt ipſe laudetur.*

Sed, *Quare ita oſtentant ſapientiã, vel eloquentiã ſuam?* Hoc ideo, *vt eorum doctrina præferatur doctrinæ ſæcularium, & ſimplicium Prælatorum*, ſicuti faciebant Pſeudo. 2. Cor. 11. *Nam ſi imperitus ſermone;* Gloſſ. *Corinthy præferebant Pſeudo veris Apoſtolis causã accurati ſermonis.* Et quod ſolà *oſtẽtatione ſapiẽtiæ, & eloquẽtia hoc faciant, & vt libentiùs audiantur*, ex eo apparet, quoniam non aliud prædicant, quàm Prælati, licet magis ornatè, ſicut dicit Glo. ſuper illud 2. Cor. 11. *Exiſtimo me nihil minùs feciſſe à magnis Apoſtolis*; Gloſſ. *Quidam fauebant Pſeudo-Apoſtolis, à quibus compoſitis verbis eadem audiebant, quæ ab Apoſtolo incompoſitis;* NON ENIM *erant Apoſtoli eloquentes, ſed Pſeudo componebant verba*, vt dicit Gloſſa in eodem cap. ſuper illud, *Nam ſi imperitus ſermone.* Tales autem, quia periculoſi ſunt, iubet Dominus euitari, Luc. 20. *Attendite à Scribis, qui amant primas cathedras in*

Digitized by Google

Synagogis. Gloss. *Duplici ratione iubemur attendere à vanæ gloriæ cupidis; ne vel eorum simulatione decipiamur, vel eorum exemplo ad amorem temporalis gloriæ inflammemur.*

Tertium signum datum à Domino *Ad cognoscendos Scribas & Pharisæos hypocritas* est, quoniam *amant salutationes in foro.* Forus, vt dicit Isidorus, est exercendarum litium locus. Illi ergo *Pharisæi*, id est *Regulares, qui procurant & amant, vt vocentur ad consistoria Principum & Prælatorum, & eadem frequentant sedentes ibi pro tribunali ad iudicandum, vel assessores existentes, vt eis litigantes reuerentiam iudicialem exhibeant, & salutent eos capite inclinato; salutationes in foro amare videntur;* Cum secundùm Apostolum hoc eis non liceat, 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotijs, vt ei placeat, cui se probauit.* De antiquis & veris Sanctis cantat Ecclesia, *Contemnentes aulas regias peruenerunt ad regna cœlestia*; Igitur ab oppositis, *Amantes aulas regias peruenient ad ignominiam infernalem*, vnde dolendum.

Quartum signum *Scribarum & Pharisæorum hypocritarum* est, quoniam *amant vocari ab hominibus RABBI.* Hoc signum videtur esse *in illis Pharisæis*, siue *Regularibus*, qui cum sint in statu perfectionis, & eis dictum sit à Domino *Nolite vocari Rabbi*, Matth. 23. & paulo post, *Nec vocemini Magistri* (In quorum primo *prohibetur eis nominis* MAGISTRI *desiderium*; In secundoverò, *ipsum* MAGISTRI *vocabulũ*) Ipsi tamẽ *per multorum excommunicationẽ*, & alia scandala *procurant, vt* MAGISTRI *vocentur.*

Sed dicet quis. *Non appetunt Magisterij nomen propter ipsum nomen, sed propter animarum vtilitatem*; videlicet, quia *plùs creditur de salute animarum Magistris, quàm non Magistris.* Sed quæro *cur hoc?* Respondebunt *quod præsumitur in eis maior sapientia, & melius & disertius sciunt prædicare, & docere.* Sed vide, *quàm hoc sit longè à veritate.* Magisterium enim & profunditas literarum indifferens est ad bonum & malum; magni enim Magistri fuerunt Arius & Sabellius, Eutyches & Nestorius in diuinis literis; & tamen Hæresiarchæ fuerunt. Item, cum Apostolus sciret, quid esset vtile animabus; si sciuisset eminentiam sapientiæ & eloquentiæ, quæ in Magisterio attenditur, vtilem esse profectui animarum; eis vtique in prædicando vsus fuisset, cuius tamen contrarium dicit 1. Cor. 2. *Et ego, cum venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians testimonium Iesu Christi; non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* NONE-

NIM IN SERMONE EST REGNVM DEI SED IN VIRTVTE 1. Cor. 4. Sed vide qualiter Apoſtolus confirmabat prædicationem ſuam. Non vtique per Magiſterium, non per oſtentationem ſapientiæ aut eloquentiæ; ſed per humilitatem patientiæ, per miracula, per opera virtutũ. 2. Cor. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus*; Gloſſ. *Caſtitate, cæteriſque operibus.* Miracula tamen hodie ſuſpecta eſſent, cum iam ſimus in nouiſſimis diebus, aut propè nouiſſimos dies, de quibus dicitur Matth. 24. *Exurgent Pſeudo-prophetæ, & ſeducent multos.* Et Marc. 13. *Exurgent Pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna, & prodigia ad ſeducendum, ſi fieri poteſt, etiam electos.* Item, ſi non ſufficit tibi exemplum Apoſtoli *ad oſtendendum, quod Prædicator propter Magiſterium ſuum non pluſquàm alius proficit animabus*, do tibi *exemplum Chriſti*, qui cum inter Diſcipulos haberet quoſdam Magiſtros bonos & ſanctos, videlicet *Nathanael*, de quo dixit Ioan. 1. *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt*; & *Nicodemum*, cui dixit Ioan. 3. *Tu es Magiſter in Iſrael, &c.* Neutrum tamen legitur miſiſſe ad prædicandum; ſed alios Diſcipulos ſimplices & imperitos miſit, & ex Diſcipulis Apoſtolos, ſiue miſſos fecit. Matth. 10. *Ecce ego mitto vos*; Gloſ. *De Diſcipulis miſſos vos facio.* Sic ergo habemus quatuor ſigna prædicta, per quæ cognoſci poſſunt *Scribæ & Phariſæi hypocritæ*; id eſt, *Falsò ſimulantes Religionem exteriùs, quàm non habent in corde.*

Nunc reſtat videre *Cuiuſmodi homines ſignificentur per Publicanum.* Publicani VNÔ MODÔ *dicebantur publica vectigalia exigentes*; ALIÔ MODÔ *homines communi modô viuentes, non ſe à communi vita hominum diſtinguentes.* Per Publicanum igitur *ſignificantur homines ſæculares*, qui, etſi ſint peccatores, *tamen ſanctitatem non ſimulant, ſed ſe peccatores agnoſcunt*; & exinde tam apud Deum, quàm apud homines humiliantur, & ſibi ipſis indignantur; quod eis prodeſt, Iſa. 63. *Indignatio mea auxiliata eſt mihi.* Nec erubeſcunt confiteri peccata ſua, iuxta conſilium Eccl. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua*; Et ideo tales de facili veniã aſſequuntur; Pſ. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiã meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Viſô *Cuiuſmodi homines ſignificentur per Phariſæum, & cuiuſmodi per Publicanum*, quod erat prima pars ſermonis noſtri; *Secundò videndum eſt de comparatione vtriuſque.* Et primò videamus *ſuperbiam Phariſæi*; ſecundò *humilitatem Publicani.*

Digitized by Google

Pharisæus superbus *ostentans se iustum*, primò *iactat se de prima parte iustitiæ, quæ est declinare à malo*, dicens *se immunem tam à peccatis spiritualibus, quàm carnalibus*. Primò quidem *à peccatis spiritualibus*, quia asserit *se immunem ab iniusta rerum alienarum ablatione, seu detentione*, cum dicit, *Non sum sicut cæteri hominum raptores*; deinde *ab auara rerum suarum retentione*, cum dicit, *Iniusti*; iniusti enim sunt, qui res proprias auarè retinent, quas debent pauperibus communicare. Eccl. 4. *Declina aurem pauperi sine tristitia, & redde ei debitum tuum.* Postea verò *à peccatis carnalibus*; quia ponit *adulterium*, cum dicit, *Adulteri.* Secundò iactat *se habere secundam partem iustitiæ, quæ est facere bonum*; & primò asserit *se corpus suum sacrificare Deo per abstinentiam*, cum dicit, *Ieiuno bis in Sabbato*; deinde iactat *se bona sua dedicare Deo*, cum dicit, *Decimas do omnium, quæ possideo.*

Circa *superbiam & iactantiam Pharisæi* nota quinque. Primò *nota*, quod ille, cum deberet missam suam incipere *à Confiteor*; id est, orationem suam *ab accusatione sui*, Prouerb. 18. *Iustus prior est accusator sui*; missam suam reuersat, incipiens *à Deo gratias*, dicens in principio orationis suæ, *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.* Secundò *nota*, quod, cùm ab alijs peccatis se iactet immunem, *non tamen de hypocrisi*; quoniam fortè non agnoscebat se esse hypocritam. Talis enim est natura huius morbi, quod cum fuerit radicatus, ignorat eum morbosus, quia credit se sanctum apud Deum, sicut apud homines sanctus reputatur. Vnde lib. 15. Moral. super illud Iob 20. *Velut somnium auolans non inuenietur*, dicit Greg. *Hypocritæ, dum ab omnibus immoderatè laudantur, tales se apud Deum existimant, quales se gaudent hominibus innotuisse: Vnde fit, vt qui de humanis fauoribus hîc exultant, in futuro se habituros requiem omninò non dubitent.* Tertiò *nota*, quod, cum ipse Publicanum de nullo peccato arguat, hoc solô reputat eum peccatorem, quoniam est Publicanus, & non Pharisæus, sicut ipse dicit, *Velut etiam hic Publicanus.* Hic est enim mos hypocritarum, quod omnes illos, qui non sunt hypocritæ, reputant peccatores; vnde & alios ad simulationem inuitant; Vnde lib. 8. Moral. super illud Iob 8. *Si absorbuerit de loco suo, &c.* dicit Greg. *Vtinam hypocritis sua prædictio sola sufficeret, & nequaquam alios ad viam duplicitatis instigarent; Hoc namque vniuscuiusque proprium esse solet, vt qualis ipse fuerit, tales sibi coniungi & alios velit, simplicitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat, quod*

Digitized by Google

amat; Vnde apud hypocritarum populum, ſimplicitas omnis in crimine eſt; apertas quippe mentes dyudicant, & puritatem cordis hebetudinem appellant. QVARTÒ *nota*, quod *in omnibus*, de quibus ſe iactat ille Phariſæus, *mentitur*. Primò *mentitur in hoc, quod ſe aſſerit non raptorem*; Immò certè raptor eſt vſurpando ſibi titulum bonitatis, qui ſoli Deo conuenit. Matth. 10. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Secundò *mentitur aſſerens ſe non eſſe iniuſtum*; Immò certè iniuſtus eſt, proximum, ſcilicet, Publicanum temerè iudicando; Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Tertiò *mentitur dicens ſe non eſſe adulterum*; Immò adulter eſt, propriã ſponſam Domini ſui, quam ſibi ſoli retinuit, ſibi vſurpando, ſcilicet, gloriam, quæ ſoli Deo debetur. Iſa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quartò *mentitur dicens*, IEIVNO *bis in Sabbato*; Immò certè ſoluit ieiunium ſuum viliſſimo pane, videlicet, pane ſerpentis infernalis; ſcilicet, pane vanæ gloriæ, de quo Iſa. 65. *Serpenti pulvis panis eius.* Quintò *mentitur dicens*, DECIMAS *do*; Immò certè non dat, ſed reddit tanquam tributum ſuum, ad quod tenetur; quia *Decimæ tributa ſunt egentium animarum*, vt dicit Aug. 16. q. 1. ca. *Decimæ*. Et Malach. 3. *Inferte omnem decimationẽ in horrea mea, vt ſit cibus in domo mea.* Mentiuntur ergo illi, qui dicunt decimas eſſe cęrimoniales, & non deberi modò, niſi ſecundùm conſuetudinem Religionis; cum dicat Aug. *Qui ſibi aut præmium comparare, aut peccatorum deſiderat indulgentiam promereri, reddat decimã, & de nouem partibus ſtudeat facere eleemoſynam pauperibus.* 16. q. 1. cap. *Decimæ*. Et Ambr. dicit, *Quid eſt fideliter decimam dare, niſi vt nec minùs nec peiùs decimâ parte offeratur? de grano, aut de vino, ſiue de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, ſiu de negotio, aut de propria venatione.* Sic ergo apparet Phariſæum culpabilem eſſe de omnibus, de quorum contrariis ſe iactabat; & *prima apparet ſuperbia & hypocriſis Phariſæi.*

Nunc videamus ex contrario *humilitatem Publicani*, que apparet *in quatuor.* Primò *quia reputans ſe indignum, & deſpiciens ſe ipſum veretur accedere ad ſancta*; vnde dicitur *Publicanus ſtans à longè*; quod eſt cõtra illos, qui irreuerenter appropinquant altari, dum Miſſa celebratur. Non ſic Centurio Matth. 8. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*; Non ſic Petrus Luc. 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Secundò *apparet humilitas Publicani* in hoc, quod *oculos non audebat ad cœlum leuare, quaſi indicans ſe reum apud Domi-*

num cœli; Rei enim est faciem non leuare. 2. Reg. 3. *Dixit Abner ad Asael noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & non potero leuare faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Quod est contra illos, qui scientes se esse in peccato mortali irreuerenter aspiciunt corpus Christi; cum tamen Oza Leuita, quia pollutus tetigit arcam Domini, volens etiam iuuare, ne caderet bobus recalcitrantibus, morte percussus sit, 2. Reg. 6. Tertiò *quia percutiendo pectus, sub quo est cor, detestabatur peccata sua, quæ ex corde procedunt.* Matth. 15. Quartò *quia non erubescit confiteri peccata sua, & ponere ante oculos misericordiæ Domini* dicens, *Domine propitius esto mihi peccatori*; iuxta consilium Eccl. 4. *Pro anima tua non confundaris dicere verum, est enim confusio adducens gloriam.* & 1. Ioan. 1 *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt dimittat nobis peccata nostra*; hoc enim iustum est, propter verecundiam & erubescentiã, quæ est in confitendo peccata. Vnde Moral. 21. super illud Iob 30. *Si abscondi peccatum meum*, dicit Greg. *Mirẽtur alij in Iob integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis; Ego in eò non minùs admiror confessionẽ humillimam peccatorũ, quàm tot sublimia gesta virtutũ; Scio enim, quia propter infirmitatis verecũdiam plærumque grauioris est certaminis peccata commissa prodere, quàm non admissa vitare.*

Habitâ collatione *Pharisæi ad Publicanum* sequitur sententia Domini super meritis vtriusque dicentis, *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*; id est, *ad comparationẽ illius.* Sicut Ezech. 16. vbi dicit Dominus ad Ierusalem. *Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis*; id est, *comparatione abominationum tuarum.* Atque ex hac *humilitate Publicani & superbia Pharisæi*, potest argui, quod *melior est peccator humilis, quàm iustus superbus*; id est, *qui se reputat iustũ.* Aug. de Ciuit. *Audeo dicere, superbos vtile esse cadere in aliquod apertũ manifestumq; peccatũ, vnde sibi displiceant, qui iam interiùs sibi placẽdo ceciderãt; Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quãdo fleuit, quã sibi placuit, quãdo præsũpsit*

Vltimò *Ad quid inducatur ista parabola, ostenditur*, cum dicitur, *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Exaltationem in præsenti sequitur humiliatio, id est, vilificatio in futuro. Isa. 14. *Ascẽdam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo*; & sequitur; *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Sequitur *& qui se humiliat*, in præsẽti, *exaltabitur*, in futuro. Iob. 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*; supple, *æternâ*, ad quã nos perducat, &c.

TRACTATVS

TRACTATVS BREVIS
DE PERICVLIS
NOVISSIMORVM TEMPORVM
EX SCRIPTVRIS SVMPTVS.

INCIPIT PROLOGVS.

ECCE *videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt.* Isa. 33. Sicut Prophetæ in sacris Scripturis appellantur videntes (qui enim Propheta dicitur hodiè, olim vocabatur videns 1. reg. 19.) Sic vacantes Scripturis exponentes eas, videntes meritò dici possunt; cùm & ipsi in eisdem literis Prophetæ dicantur, Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas*; Glossa, *Prophetas*, id est, *Scripturarum Interpretes.* Cùm igitur ipsi per Scripturas vident pericula imminere, debent clamare foris, ideſt, aliis indicare; alioqui timere possunt propter negligentiam, ne euanescant in cogitationibus suis, & obscuretur cor insipiens eorum, ad instar Pharisæorum & Philosophorum, qui *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*, Rom. 1. Et maximè debent indicare illis, qui possunt resistere, videlicet illis, quibus Ecclesiæ gubernacula sunt commissa; qui etsi pro aliis habeant, & habere debeant notitiam Scripturarum, minùs tamen earum inspectioni vacare possunt negotiorum frequentiâ præpediti; quique etiam, postquàm intellexerint memorata pericula, si fuerint veri Dei Sacerdotes, vehementer dolebunt, & de illis repellendis solliciti erunt; quod notatur in auctoritate prædicta, cùm dicitur, *Angeli pacis amarè flebunt*; Sacerdotes enim Domini Angeli dicuntur, Malach. 2. *Angelus Domini exercituum est*; & Apoc. 1. *Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, Glos. id est, *Episcopi ipsarũ*. Dicũtur autẽ Episcopi Angeli pacis, quia sũt nũtij Christi, *Qui est pax nostra*, Eph. 2. præcipuè autẽ illi Sacerdotes, siue Episcopi flebunt, qui zelatores sunt salutis animarum, itaut Iesus meritò dici possint, id est, Saluato-

res, non poteſtate, ſed miniſteriô; ſicut & Ieſus noſter, ſcilicet auctor noſtræ ſalutis, videns pericula ciuitatis, id eſt, finalis Eccleſiæ, fleuit ſuper illam dicens *Quia ſi cognouiſſes & tu*, Luc. 19. Gloſ. *Vtique fleuiſſes, quæ modò exultas.* Quod autem de Eccleſia intelligatur auctoritas, oſtendit Gloſ. dicens, *Plangit reprobos, qui neſciunt, cur plangantur*; et infrà. *Qui refugiunt pericula præuidere, quæ temporalem lætitiam perturbant.*

Nos igitur Chriſtianæ fidei profeſſores, licet indigni, Pariſiùs ſtudentes, qui ex aſſumpto gymnaſio Scripturas ſacras, quamuis exiliter ſecundum tenuitatem ingenij, etiam frequentiùs intuemur; attendentes in illis literis pericula nouiſſimorum temporũ, vel eis ſimilia, toti Eccleſiæ quaſi iam de propè imminere, ad cunctorum memoriam illa duximus reuocanda; & precipuè iuxta illam Apoſtoli prophetiam, vbi idem Apoſtolus prædicit in ſpiritu quædã pericula nouiſſimorũ temporum, quorum ſimilia iam diebus ſuis inſtabant, ſed nunc plura uidentur inſtare, dicens 2. Timoth. 3. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.* Et infrà ſuper illo verbo, *Ex ijs ſunt qui penetrant domos*, dicit Gloſſa. *Iam horum prænũtij ſunt quidam, plures autem in fine futuri ſunt.* Quod autem propheticè illud prædixerit, dicit Gloſſ. conſequenter in quarto capitulo ſuper illo verbo, *Coaceruabunt ſibi magiſtros*, Gloſſ. *Prophetia eſt Sancti Apoſtoli, qui fuit præſcius futurorum.* Item 1. Timoth. 4. vbi loquitur de eadem materia dicens, *Spiritus autẽ*, Gloſ. *Sanctus; MANIFESTE dicit*, Gloſ. *mihi in corde*; *QVIA in nouiſſimis tẽporibus*, Gloſ. *cõtra quæ modò ampliùs vigilandum eſt*; *DISCEDENT quidam*, Gloſ. *notabiles*; *A FIDE*, Gloſ. *Quæ Spiritus Sanctus ſibi reuelauerit ad inſtructionẽ, & cautelã Eccleſiæ, non tacet, vt præmonita Eccleſia ſollicita ſit, ne ab eiuſmodi hominibus circumueniatur.* Cùm ergò extunc, mille ducentis annis iam elapſis, pręmonuerit Apoſtolus, & prædicauerit, vt futura pericula vitarentur; conſtat, quod nunc magis ac magis appropinquantibus illis periculis, multô fortiùs monendi ſunt Chriſtiani de illis vitandis; præcipuè, cum extunc omnibus, ſiue volentibus, ſiue nolentibus ea præceperit Apoſtolus prædicari; poſtquàm enim prædicta pericula prædicauit futura, & vitanda, 2. Timoth. 3. conſequenter in quarto cap. ſubiunxit dicens, *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt vivos & mortuos, & per aduentum ipſius, & regnum eius, prædica verbum, inſta*

Digitized by Google

opportunè, importunè, argue, OBSECRA, id eſt, *adiura volẽtes, INCREPA, aſperis verbis, perſiſtentes; IN OMNI PATIENTIA repugnantium, ET DOCTRINA accipientium*; id eſt, vt dicit Gloſſa, *vt patienter ſuſtineas repugnantes, & doceas accipientes.* Sic ergo apparet, quod neceſſitas nos impellit ad dicta pericula prædicanda, & ad ſollicitandos Prælatos ſuper illis inquirendis & prꝙidendis.

In ijs autem periculis exponendis procedemus hoc modô. Primò oſtendemus, quod in Eccleſiâ Chriſti multa & magna pericula ſunt futura. Secundò, per cuiuſmodi homines ſint futura. Tertiò, quàm habiles & idonei erũt ad prędicta pericula inducenda. Quartò, cuiuſmodi erunt pericula, quæ inducẽt. Quintò, qualiter procedẽt illi in dictis periculis inducẽdis. Sextò, quod qui non prꝙiderint illa pericula, aut prꝙiſa non præcauerint, peribunt in illis. Septimò, in quibus periculis erunt conſtituti illi, qui alijs prædicta pericula procurabunt. Octauò, nequis dicat de prædictis periculis nondum eſſe curandum, vt pote adhuc remotis, oſtendemus per quædam ſigna, illa pericula non eſſe longè remota, ſed ſatis propinqua; & ideo quòd eorum inquiſitio & repulſio non ſit ampliùs differenda. Nonò oſtendemus, quorum eſt illa pericula præuidere, & prænuntiare, & à fidelibus repellere. Decimò oſtendemus, quam pœnam incurrent illi, qui pericula tenentur præuidere, & prænuntiare, & ab Eccleſiâ repellere, ſi non præuideant ea, & prænuntient, & repellant. Vndecimò, ne videatur impoſſibile ea repelli, eô quod ſint propheticè prædicta, oſtẽdemus quod ad tempus repelli poterunt, ſi viriliter reſiſtatur. Duodecimò oſtendemus, qualiter repellenda ſint, ſeu qualiter repelli poſſint. Decimò tertiò, quia repelli non poſſent prædicta pericula, niſi cognoſcerentur illi, qui pericula procurabunt; oſtendemus qualiter, & vbi poterunt dicti periculoſi homines inueniri. Decimò quartò, oſtendemus plurima ſigna, quædam infallibilia, quędam verò probabilia, per quę poterunt dicti homines cognoſci.

Si quis verò philoſophicus ac ſubtilis diſputator, contra ea quæ inferiùs dicenda ſunt, duxerit opponendum, vt ſic animum Lectoris à ſimplicitate veritatis auertat; non ideo Lector citò moueatur à ſuo ſenſu, ſed ad nos recurſum habere dignetur, quoniã parati ſumus cõtra om-

nem obiectionem contra iſtam materiam faciendam, opitulante Domino, reſpondere; non per diſputationem & altercationem philoſophicâ, aut ſophiſticam, quæ ad nihil vtilis eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium; ſed potiùs per collationem Catholicam, quæ ſola debet eſſe inter ſeruos Chriſti, iuxta doctrinam Apoſtoli 2. ad Timoth. 2. dicentis, *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium.* Gloſ. *quia contentio nihil poteſt, niſi ſubuertere audientes, dùm verboſus par, vel ſuperior videtur Catholicô. Contentio enim minùs ſtabilis ſæpe generat ſcrupulum; ſolent enim in contẽtione talia opponi, elimato maleuolentiæ argumento, vt moueant animos inſipientium fratrum.* Et infra, *Nemo enim patitur ſe vinci, licet ſciat vera eſſe quæ audit; collatio ergo inter ſeruos Dei eſſe debet, non altercatio.*

Proteſtamur autem ab initio, quod omnia, quæ hîc ad cautelam & inſtructionem Eccleſiæ vniuerſæ; non contra perſonam aliquam, nec contra ſtatum aliquem per Eccleſiâm approbatum; ſed contra peccata malorum, & pericula Eccleſiæ generalis dicturi ſumus; non ex inuentione noſtrâ, ſed ex veritate ſacræ Scripturæ collegimus. Nihilominus tamen omnia Eccleſiaſticæ correctioni ſupponimus, ſi quid in eis viſum fuerit corrigendum.

Quod pericula nouiſſimorum temporum multa & magna futura ſunt in Eccleſiâ Generali.

Cap. I.

Circa primum capitulum notandum eſt, quod prædicit Apoſtolus 2. Timoth. 3. quod in finali Eccleſiâ multa pericula imminebũt Eccleſiæ vniuerſæ; quod dicit in his verbis, *Hoc autẽ ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tẽpora periculoſa.* Gloſſa dicit *ſanctis.* Omnes autem qui ſunt de Eccleſia, non numerô tantùm, ſed meritô, ſãcti dicũtur; & ita imminebũt Eccleſiæ vniuerſæ. Ne autem crederetur, quod in extremis tẽporibus tãtùm, videlicet tẽpore Antichriſti, imminerẽt illa pericula, dicit Gloſſa cõſequẽter ſuper illo verbo, *ex ijs ſunt qui penetrant domos*, quod etiam in primitiuâ Eccleſiâ quidam tales fuerunt, per

Digitized by Google

qual es inſtabunt illa pericula; ſed appropinquante finali Eccleſiâ in maiori multitudine venient; Et hoc dicit ſic, *Iam horum prænuntij ſunt quidam, plures autem in fine futuri ſunt.*]

Nec dicas *in fine*, id eſt, in tẽpore Antichriſti tãtùm, quia tũc dicitur tẽpus Antichriſti, quãdo ſimilis perſecutio imminet perſecutioni Antichriſti, 1. Ioan. 2. *ſcimus, quia nouiſsima hora eſt.* Gloſſa, id eſt, *ſimilis nouiſsimæ, quia ſimilis eſt perſecutioni futuræ.* Et ibidem. *Nunc autem multi facti ſunt Antichriſti*, Gloſſa, *Cum quantô enim impetu & terrore audiiſtis venturum Antichriſtum, cum tantâ violentiâ & iſti venient.* Et 2. Theſſal. 2. dicit Apoſtolus de Antichriſto, *Myſterium iam operatur inquitatis.* Gloſſa. *Iam in ipſis initijs acceſsionis inuenitur iniquitas, ſed myſtica, id eſt, pietatis nomine palliata, vt velint haberi miniſtri Chriſti, cum ſint pſeudo.* Sic ergo patet, quod poſt finalem Eccleſiam, & etiam antè, multa pericula imminebunt Eccleſiæ vniuerſæ.

Per quos, aut cuiuſmodi homines, futura ſint pericula nouiſsimorum temporum.

CAP. II.

CIRCA ſecundum, videlicet, per quos inſtabunt iſta pericula, prædicit Apoſtolus, 2. ad Timoth. 3. dicens quod *erunt* in Eccleſiâ quidam *homines ſeipſos amantes*, per quos inſtabunt dicta pericula. Illi autem dicuntur amare ſeipſos, qui licet velint alios corrigere, tamen nolunt ab aliis hominibus corrigi in factis ſuis, quamuis aliquando peruerſis. Vnde tales amant ſe plus quàm veritatem, & idcirco plus quàm Deũ, *qui eſt veritas*, Ioan. 14. vt enim dicit Gregorius in paſtorali. *Qui peruerſa vult agere, & ad ea cæteros vult tacere, ipſe teſtis ſibi eſt, quod ſe plus veritate vult diligi, quam contra ſe non vult defendi.* Item plus diligit ſe quàm Deum, qui plus quærit honorem ſuum, quàm honorem Dei; vnde Auguſtinus de vitâ Chriſtianâ. *Illi Deum diligunt, qui non aliud, quàm vnde nomen Dei glorificetur, exercent.* Illi ergo, maximè qui in ſtatu perfectionis ſunt, & tamen honorem ſuum temporalem,

etiam cum multorum offendiculo appetunt & quærunt, plus diligunt ſe, quàm Deum.

Ex hoc autem peruerſo amore ſui, quaſi ex mala quadam radice, incident illi homines *Seipſos amantes* in varia genera peccatorum, ita quod aliqui eorum fient *Cupidi* pecuniæ, vel mundanæ gloriæ; alij fient *Elati* contra Deum, vel contra Dominum, videlicet, quia nolent ſubeſſe Prælatis, ſed ſuperponi; alij fient *Superbi* de honoribus ſibi impenſis; alij fient *Blaſphemi* in Deum per hæreſes; alij fient *Inobedientes parentibus*, id eſt, Prælatis Eccleſiæ; alij fient *Ingrati*, de bonis ſibi impenſis; alij fient *Sceleſti*, in grauibus peccatis perpetrandis, qui modum peccandi tranſcendunt, & animas ſuas, vel aliorum occidunt, vt qui corrigẽtibus mala pro bonis reddunt; Alij fient *Sine affectione*, non compatientes infirmis, ſcilicet peccatoribus, ſed potiùs eos dedignãtes; alij fient *Criminatores*, id eſt, crimen aliis imponentes, vel *detractores*, famam ſcilicet ſanctorum maculare conantes; alij fient *Incontinentes*, gulæ vel libidinis non refrænantes malas cupiditates; alij fient *Sine benignitate*, neſcientes alijs ſubuenire; alij fient *Proditores*, ſcilicet ſecretorum alterius, dùm reuelant quæ occultanda nouerunt; alij fient *Proterui*, vel *procaces*, id eſt, quæ verecundè tractanda eſſent, ſcilicet de aliis hominibus, inuerecundè tractantes, vel agentes; alij fient *Cæci*, id eſt, non intelligentes quæ affirmant, nec de quibus agunt; alij fient *Tumidi*, ſcilicet inflatô corde; alij fient *Voluptatum amatores magis quàm Dei*, id eſt, carnales delicias ſpiritualibus præponentes. Et hoc dicit Apoſtolus in his verbis. *Et erunt homines ſeipſos amantes.* Gloſ. *Et* pro *quia*, quaſi diceret, *Ideo inſtabunt tempora periculoſa, quia erunt homines in Eccleſiâ ſeipſos amantes, cupidi, elati, blaſphemi, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, ſine benignitate, proditores, proterui*, vel procaces, *tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei.*

De omnibus autem iſtis generibus Peccatorum conuenient aliqui in ſectam illam, per quam inſtabunt tempora periculoſa. Vnde 2. ad Timot. 3. poſt illa verba, *Et erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati*, &c. ſubiungit Apoſtolus, *Ex ijs ſunt, qui penetrant domos*; id eſt, Ex iis generibus Peccatorum conuenient aliqui in ſectam illorum, qui penetrant domos, per quos penetrantes inſtabunt illa pericula, vt patebit. Qui autem ſint pe-

Digitized by Google

netrantes domos, sic exponit Glos. ad literam. *Illi penetrant domos, qui ingrediuntur domos illorum, quorum regimen animarum ad eos non pertinet, & rimantur proprietates, id est, secreta eorum;* Quod non potest fieri nisi se ingerant ad audiendum confessiones eorum; hoc enim est penetrare domos hominum prædictorũ, scilicet rimari conscientias eorum, quæ domus appellantur, Eccl. 32. *Præcurre prior in domum tuam*, Glossa, id est, *in domum conscientiæ.* In hanc domum intrat per ostium Rector animarum, qui curam habet ab Ecclesiâ sibi commissam; cui præcipitur Prouerb. 27. *Agnosce vultum pecoris tui.* Glossa. *Pastori Ecclesiæ dicitur, diligenter adhibe curam ijs, quibus te præesse contigerit; agnosce animos, actusque singulorum; & si quid vitij in eis inueneris, citiùs castigare memento.* Hinc debet Pastori ostium domus aperiri per confessionẽ, iuxta illud Boetij de cõsolatione, *si medicinam expectas, oportet vt vulnus detegas.* Alienus autem, qui curã non habet, in hac domo recipi non debet. Eccl. 11. *Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim insidiæ dolosi.* Et in eodem. *Admitte ad te alienigenam, & subuertet te in turbine, & abalienabit te à tuis proprijs.* Et ideo de tali alieno dicit Apostolus, Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat, aut cadit.* Alienus ergo, si rimetur conscientiam subditi alieni, non intrat per ostium, sed aliunde ascendit, & ideo dicitur penetrare domum tanquã fur & latro. Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ipse fur est, & latro.* Sic ergo habemus qui sunt, qui penetrant domos.

Consequenter dicit Apostolus in eodem capitulo 2. ad Timoth. 3. *Et captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Glos. ad literam, *subdolis & versutis verbis seducunt mulieres, & per eas viros earum, sicut Diabolus priùs Euam seduxit, & per eam Adam.* Et eodem modô viros seductibiles ad modum mulierum seducunt, id est, ad se, siue ad consilia sua adducunt; sic enim exponitur verbum hoc *seducere* Apocal. 19. *soluetur Satanas, & seducet gentes.* Glossa. id est, *à Christo ad se ducet.* Similiter & isti mulieres & viros seductibiles seducent, id est à consilio Prælatorum suorum ad sua consilia ducent, & tandem captiuabunt eos, id est, in suam redigent postetatẽ, obligantes scilicet eos ad viuendum secundum consilia sua; captiuari enim est à propriâ potestate, vel à potestate illius, cui subest quis, in alienam redigi potestatem. Sic ergo habemus quod, per illos,

qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, inſtabunt pericula nouiſſimorum temporum; & qui ſint penetrantes domos.

Inſtabunt etiam pericula per Pſeudo-prædicatores, Matth. 24. *Multi Pſeudo-prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Pſeudo autem Prædicatores ſunt omnes, qui prædicant non miſſi, quantumcumque literati & ſancti ſint, etiãſi facerent ſigna, vel miracula. Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Gloſſa, *Non ſunt veri Apoſtoli, niſi miſſi*; nulla enim ſigna virtutum eis teſtimonium perhibent. Et ſicut dicit Cyprianus diſtinct. 50 can. *ſi quis præpropere, MANDANT Martyres aliqua fieri; ſed ſi in lege Domini ſcripta non ſunt quæ mandant, ante eſt vt ſciamus eos à Deo impetraſſe quod poſtulant.* Miſſi autem non ſunt, niſi qui ab Eccleſiâ rectè eliguntur; ſicut nec à Deo vocantur, niſi qui rectè eliguntur. Hebr. 5. *Nec quiſquam aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Gloſſa. *A Deo vocatur qui rectè eligitur.* Ab Eccleſiâ verò rectè eliguntur *Epiſcopi, qui Apoſtolis ſucceſſerunt; & Parochiales Preſbyteri, qui Diſcipulis 72. ſucceſſerunt, & eorum loca tenent.* diſt. 21. can. *In Nouo Teſtamento.* Vnde Luc. 10. in principio dicit Gloſſa, *Sicut in 12. Apoſtolis forma eſt Epiſcoporum, ſic in 72. Diſcipulis forma eſt Presbyterorum*; Nec plures ſunt in Eccleſia gradus ad regendam Eccleſiam conſtituti; vnde Chorepiſcopi, quia officium Epiſcoporum in aliquo vſurpabant, ab Eccleſia ſunt ſublati; *Cùm enim non amplius quàm duos ordines inter Diſcipulos Domini eſſe cognouerimus, id eſt, 12. Apoſtolorum, & 72. Diſcipulorum; vnde iſte tertius ordo proceſſerit, funditus ignoramus; & quod ratione caret, extirpari neceſſe eſt.* Ita legitur diſt. 68. c. *Chorepiſcopi.*

Si quis verò obiiciat de Archidiaconis, aut de Vicariis, qui vice aliorum exercent curam animarum; dicimus quod tales poteſtatem habent in Eccleſia, tamquàm opitulatores, id eſt, opem maioribus ferentes; vnde Apoſtolus 1. Cor. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes*, id eſt, vt inquit Gloſſa, *qui maioribus ferunt opem, vt Titus Apoſtolo, vel Archidiacono Epiſcopus.* Nullus ergo habet regimẽ animarum, niſi Epiſcopi, & Parochiales Presbyteri, aut eorum opitulatores eis opem ferentes, vel ab eis legitimè inſtituti, aut vocati.

Sed

Sed dicet quis, omnes prædicare possunt, qui habent authoritatem Domini Papæ, aut Episcoporum Diocesanorum; cùm dicatur extra, *De Hæreticis*, cap. *Excõmunicamus. §. quia verò. OMNES, qui prohibiti, vel non missi, præter authoritatem à Sede Apostolicâ, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculô innodentur.* Vnde videtur à contrario sensu, quod authoritate Sedis Apostolicæ, aut Episcoporum Diocesanorum, quilibet prędicare possit.

Respondemus, quod de potestate Domini Papæ, aut Episcoporum nolumus disputare; veruntamen, cum secundùm iura tam diuina, quàm humana, in vna Ecclesia non possit esse Rector nisi vnus; alioquin Ecclesia non esset sponsa, sed scortum, q. 2. cap. *Sicut in vnaquaque.* Et in vnâ Ecclesiâ non debeant esse plura capita, ne sit monstrum, extra *De officio Iudicis ordinarij*, cap. *Quoniam in plerisque.* Quoniam etiam in Ecclesiarum regimine, officium prædicationis existit præcipuum, sicut ordo prędicatorum est præcipuus, extra, *De Hæreticis*, cap. *Cum ex iniuncto.* Si fortè Dominus Papa aliquibus personis concedat potestatem prędicandi vbique; intelligendum est, vbi ad hoc fuerint inuitati; quia etiam Episcopi, nisi inuitati fuerint ad hoc, vltra diocesim accedere non debent super aliquibus Ecclesiasticis disponenendis, 9. q. 2. cap. *Non inuitati.* Non enim princeps per mandata sua vult prędiudicium iurisdictioni alterius generari, extrà, *De vsu pallij*, cap. *Extuarum tenore*; extra, *De off. Iud. ord.* cap. *Licet*; ff. *Ne quis in loco publico*, lege 2. §. *si quis à principe.* Ne, quod absit, inde videantur nasci iniuriæ, vnde iura nascuntur. C. *Vnde vi. meminerint cuncti*; Et extrà *De accusationibus*, cap. *Qualiter & quandò.* Immò sibi iniuriam facit Apostolicus, qui fratrum suorum iura perturbat. 25. q. 2. cap. *Quod verò dicitis.* Et cùm secundùm Apostolum, nullus debeat gloriari in commissis alterius regimini, 2. Cor. 10. *Non in immensum gloriabimur vltra mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus.* Glos. *id est, vltra mensuratum à Deo mihi populum, cuius ego sum regula ad dirigendum.* Non est verisimile, quod Dominus Papa, cõtra doctrinam Apostoli Pauli, infinitis, vel pluribus licentiam concedat prædicandi plebibus alienis, nisi à plebanis fuerint inuitati; cùm dicat capitulum *Sunt quidam*, 25. q. 1.

Quod si Dominus Pontifex, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere, quod absit, niteretur; non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Ipse etiam Apostolus plebi alienæ prędicare nolebat ob rationem iam dictam; & ne super alienum fundamentum ædificaret, vt legitur Rom. 15. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Glossa, *Ne prædicarem iam per alios conuersis.* Et 2. Cor. 1. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus.* Glossa, *vbi alius fundamentum fidei posuisset.* Et infrà, *Non habentes spem gloriari in aliena regula.* Glos. *In commissis alterius regimini.*

Item, si vna persona, vel infinitæ personę habeant potestatem prædicandi vbique, non inuitati; cùm hoc sit potissimum officium Episcoporum, iam erunt infiniti Episcopi vniuersales, quod est contra iura, vid. vt aliquis sit Episcopus vniuersalis, vel esse dicatur; dist. 99. cap. *Nullus*, & cap. *Ecce.*

Item constat, quod omnibus illis, qui prędicant ex potestate, debetur procuratio, siue sumptus, 1. Cor. 9. *Ordinauit Deus ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere*; Ergo si infinitæ personæ habeant potestatem prædicandi in qualibet Ecclesiâ, quælibet Ecclesia debebit infinitas procurationes, quod est absurdũ dictu; Presbyteri enim Parochiales, qui suos habent Apostolos, id est, Episcopos, & eorum opitulatores, scilicet Archidiaconos, & Archipresbyteros, quibus visitantibus eos debent impendere procurationes secundùm decreta Ecclesiastica: Et fideles laici, qui suos habent Presbyteros, quibus exhibent stipendia debita secundùm ordinationem Ecclesiæ, vlteriùs grauari non debent; 10. q. 3. cap. *Cauendum.* Vnde si Episcopi mittãt prędicatores per suas dioceses ad prędicãdum, debent eis ipsi Episcopi, non Presbyteri, nec fideles laici vitæ necessaria exhibere; Extrà, *De off. ordin.* cap. *Inter cætera*: Nec debent noui Apostoli constitui in Ecclesia Dei, *Cum ipsa Ecclesia, tam de Apostolis*, id est, *Episcopis, quàm de alijs ministris, olim per Apostolos, & Sanctorum Patrum Concilia instinctu Spiritus Sancti, ad exemplar monstratum Moysi in monte Sina, diuinitùs extitit ordinata*, vt dicit Beatus Dionysius *in Ecclesiastica Hierarch.* cap. 5. Cùm igitur *in Ecclesiastica Hierarchia*; *quæ ad instar Cælestis Hierarchiæ ordinata est*, vt ibid. dicitur, *non sint nisi duo ordines*, scilicet, *ordo perficientium*, qui est superior, ha-

Digitized by Google

bens tres gradus, ſcilicet *Epiſcopos*, *Presbyteros*, & *Diaconos*, ſiue miniſtros; *Et ordo perficiendorum*, qui eſt inferior, habens ſimiliter tres gradus, *Viros*, ſcilicet, *Regulares*, qui & ibi *Monachi* appellantur, & *Fideles Laicos*, & *Catechumenos*; Nulli autem Spiritui Angelico licitum ſit operari, præter quàm ordinatum ſit à Deo, vt dicit Dionyſius *in Cœleſti Hierarchiâ*, cap. 3. à Deo autem ordinatum ſit, vt nullus inferior exerceat officium ſuperioris, nec influat ſuper eum, ſed contentus ſit officio ſuo, vt dicitur in eodem capitulo: Relinquitur quod *Viri Regulares*, qui à Beato Dionyſio *Monachi* appellantur, dùm manent in ordine *perficiendorum*, qui eſt ordo inferior, ſuperiorum, id eſt *perficientium*, officiũ, quod eſt *purgare*, *illuminare*, & *conſummare*, vt dicitur in eod. cap. id eſt, officium *docendi*, *prædicandi*, & *ſacramẽta miniſtrandi*, nequaquam poterunt exercere. Et ideo dicitur in 6. cap. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, quod, *Monachatus ordo non debet aliis eſſe prælatus*; vel ſecundùm aliam tranſlationem, *Monachatus ordo non eſt aliorum adductiuus*, ſcilicet, *per prædicationem & doctrinam*. Vnde ſuper hoc emanarunt conſtitutiones Eccleſiaſticæ, *Quod Monachi, ſicut nec Laici, quantacumque ſcientiæ nomine glorientur, prædicare publicè non poſſint*. 16. q. 1. cap. *Adjcimus*, cùm ſuis concordantiis; licet ad officium prædicationis, id eſt, ad Epiſcopatum, vel Presbyteratum, per electionem canonicam poſſint aſſumi, vt dicitur 16. q. 1. cap. *Sic viue*: Et hoc ſic determinat Gratianus 16. q. 1. §. *Ecce ſufficienter*. Non eſt autem veriſimile, quod prędictam ſacratiſſimam Hierarchiam liceat homini mortali immutare; prędipuè cum dicat Leo Papa 25. qu. 1. cap. *Quæ ad perpetuam*, Ea, *quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nullâ debere commutatione variari*. Et ſic *non poteſt Romanus Pontifex deſtruere, quod ab Apoſtolis & Prophetis decretum eſt, alioquin errare conuinceretur*, vt dicit Vrbanus Papa 25. q. 1. cap. *ſunt quidam*. Sed, quomodò diuinitùs ordinatam ſacratiſſimam Eccleſiaſticam Hierarchiam poterit quiſquam mortalium immutare, aut etiam reuocare, cùm nemini Prælatorùm *data ſit poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem*? 2. Corinth. 10. Etſi ergo aliis, quàm Regularibus Viris, poſſit committi prędicationis officium, videtur tamen ex iam dictis, quod ſaluâ Ec-

cleſiaſticâ Hierarchiâ, Regularibus Viris, dùm in ſuo inferiori *perficiendorum* gradu manent, prædicationis officium committi non poſſit; Igitur, ſi Viri Regulares prædicationi ſe immiſceant, videtur quod non ſint à Deo miſſi; & ideo pſeudo ſint reputandi. Sic ergo patet ex prædictis, qui ſunt penetrantes domos, & qui ſunt pſeudo; patet etiam, quod per tales inſtabunt, vel inſtant pericula nouiſſimorum temporum vniuerſæ Eccleſiæ.

Quam habiles, & apti erunt prædicti periculoſi homines, ad prædicta pericula inducenda.

CAP. III.

CIRCA tertium, ſcilicet, quàm apti erunt, & idonei, prędicti homines periculoſi, ad inducenda prædicta pericula, prædicit Apoſtolus dicens, quod ipſi *erunt homines habentes ſpeciem pietatis*, id eſt, *Religionis Chriſtianæ; propter quod periculoſi ſunt*, vt inquit Gloſ. *Virtutem autem eius*, id eſt, *Charitatem*, inquit Gloſ. *Abnegantes*. Gloſ. *Non verbis, ſed factis*. Cùm enim ambiant officium Prçlatorum, vid. officium prædicandi, corrigendi, & confeſſiones audiendi, vt dicetur in frà, charitatem factis negant; quia *Charitas non eſt ambitioſa*, 1. Cor. 13. Item, cùm non poſſint ſuſtinere correctionem, vt dicetur infrà, factis negant charitatem; quia *Charitas omnia ſuſtinet*, 1. Cor. 13. Item, cùm non poſſint pati iniurias, vt dicetur infrà, factis negant charitatem; quia *Charitas patiens eſt*, 1. Cor. 13. Hoc autem dicit Apoſtolus in his verbis, *Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

Quod autem in ſimulatâ religione tam verborum, quàm operum decipiant, dicit Dominus Matth. 7. his verbis, *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Gloſ. *Qui in humilitate ambulant ex falſâ religione; & ideo cauete, ne vos dilanient blanditiis & ſimulationibus.* Nec eſt credendum illis operibus, quę oſtentant in aperto, quę bona eſſe videntur; nam illa faciunt ſimulando, vid.

Digitized by Google

vt ſancti videantur eſſe, cùm non ſint; vnde ſequitur ibidem ſuper illo textu Euangelij, *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Gloſ. *In conſpectu hominum ſimiles ſunt miniſtris iuſtitiæ, dùm ieiunant, orant, eleemoſynas dant; ſed non ſunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputatur.* Quaſi diceret, ab operibus eorum manifeſtis, quę bona videntur exteriùs, cognoſci non poſſunt, quia ea prauâ intentione faciunt; ſed ab illis operibus, quæ oſtentare non audent, ſed occultare nituntnr, eô quod mundana ſunt, & ad mundana tendunt, cognoſci poſſunt.

Item, quod ſimulatio ſanctitatis faciat eos habiles ad decipiendum alios, dicit Gloſ. ſuper illud 2. Cor. 6. *In charitate non fictâ.* Gloſ. *pſeudo ſimulant charitatem, vt decipiant.* Item 2. Cor. 11. ſuper illud, *Pſeudo-Apoſtoli ſunt operarii ſubdoli, trãsfigurãtes ſe in Apoſtolos Chriſti*, dicit, Gloſ. *Callidè ſub ſpecie religionis decipientes.* Et Coloſ. 2. *Nemo vos ſeducat in humilitate & religione Angelorũ*, Gloſ. *qui videntur quaſi nuntij Dei per ſpeciẽ & humilitatẽ religionis; quia hæc ſũt, quibus homines de facili poſſũt ſeduci.*

Item, quod ſub habitu religionis decipiant, dicitur, Apocal. 6. ſuper illud, *& cùm aperuiſſet ſigillum quartũ, audiui vocem quarti animalis dicentis veni, & vide; & ecce equus pallidus*, &c. Gloſ. *videns Diabolus, nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreſes poſſe proficere; præmittit falſos fratres, qui ſub habitu religionis obtinent naturam rufi & nigri equi, peruertendo fidem*; Id eſt, tantam facient perſecutionem in Eccleſia, quantam fecerunt aperti Tyranni, quos appellat rufum equum; & aperti Hæretici, quos appellat nigrum equum; vnde perſecutio iſtorum æquiparabitur illis duabus perſecutionibus tranſactis. Et ideo, quia ſub ſpecie pietatis decipient, plus poterunt nocere Eccleſiæ Dei, quàm aliqui alij homines huiuſmodi ſpeciem non prætendentes; quia ſicut dicit Gregorius in Paſtorali, *Nemò plus nocet in Eccleſia Dei, quàm qui peruersè agens nomen habet ſanctitatis, & ordinis.*

Item propter hoc plus nocere poterunt, quia erunt familiares inimici; Nam fideles Chriſti reputabunt eos amicos, recipiendo ſcilicet eos in domibus ſuis, reuelando eis ſecreta ſua per confeſſiones, acquieſcendo conſilijs eorum, vt patebit infrà; quod nullus faceret, niſi reputaret eos amicos. Ipſi autem è contra mittent eos in errorem, vt patebit infrà, proximô capitulô. Vnde conſtat, quod erunt familiares inimici; ideoque

quia finaliter in moribus erunt *corrupti*, & tandem in fide *reprobi*, vt dicit Apoſtolus ibid. his verbis, *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Gloſ. *Corruptæ rationis, reprobi operibus.* Tandem verò, cùm memoratos Principes & Populum Chriſtianos dictis modis auerterint à conſiliis, & recedere fecerint ab obedientia Prælatorum; tunc ipſi faciliùs mittent eos in errores, tam contra bonos mores, quàm contra fidem. Et hoc ibidem prædicit Apoſtolus his verbis, *Mali autem homines*, Gloſ. *in ſe*, *ET ſeductores*, Gloſ. *Aliorum, qui huius officij ſunt*; *PROFICIENT in peius*; ſcilicet, *ERRANTES à bono*, *ET alios IN ERROREM ipſo actu MITTENTES*; quia vid. non tantùm peruerſa docebunt, ſed etiam agent. Et ſic patet in generali, quæ & qualia erunt pericula, quę dicti Seductores inducent, vid. quatenùs auertent fideles à conſiliis & obedientia Prælatorum, & poſteà inducent eos in errores contra bonos mores, & tandem contra fidem; vnde fideles eos audientes peribunt, cùm ipſi ſint fures, vt oſtendetur infrà; & fideles ſint oues; ſed nomen ouium perdent, quando ſeduci ſe permittent, veræ enim oues fures non audiunt, Ioan. 10. vnde ſuper illud Ezech. 2. *Fili hominis cum Scorpionibus habitas*, dicit Gloſ. *In Euangelio dicitur, non audierunt eos oues:* Qui ergo fures & latrones audierunt, ouium vocabulum perdiderunt, & non quaſi oues perierunt, ſed quaſi Viperæ, & Vulpes, & Scorpiones. Iſta ergo ſunt pericula in generali, quę per prædictos Seductores inſtabunt.

Vt autem ſpecialiùs ad pericula deſcendamus, dicimus, quod poſtmodùm tanta per eos erunt pericula, quod iuſti & fideles viri nullum fidele refugium inuenient apud homines. Ier. 9. *Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in fratre ſuo non habeat fiduciã; quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Immò nõ inuenient viri iuſti, quibus cor ſuum ſecurè audeant aperire, Mich. 7. *Nolite credere amico, nolite confidere in duce; ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui; quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Tandem verò tempore procedente, tanta erunt pericula, quod *frater tradet fratrem in mortem, & pater filium; &* quod *filij inſurgent in parentes*, id eſt in Prælatos, *& morte afficient eos*, vt dicitur Matth. 10.

Et tanta erit tribulatio, qualis nunquàm fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet; ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, vt dicitur Matth. 24. Hæc ergo sunt pericula, quorum quædam iam instant; reliqua verò forsan non multùm distant.

Quàm astutè procedent prædicti homines periculosi in prædictis periculis inducendis.

CAP. V.

CIRCA quintum, videlicet, quàm dolosè procedent illi Seductores ad inducendum memorata pericula, prædicit. Apostolus consequenter dicens, quod licet nõ habeant curam, vel regimen animarum sibi cõmissum, tamen authoritate propriâ callidè subintrabunt domos singulorum, rimantes proprietates, siue secreta cuiusque: quod constat fieri non posse nisi ingerant se ad audiendum confessiones eorum. Cùm autem fuerint secreta rimati, & proprietates hominum per confessiones eorum, vel aliô modô; tunc subdolis & versutis verbis primò seducent mulieres, & posteà per eas viros earum, sicut Diabolus primò seduxit Euam, & per eam Adam. Seducent etiam præter mulieres, viros, quos seductibiles inuenerint ad modum mulierum. Adeò autem seducent eos, id est, ad se, vel ad consilia sua ducent, quod redigent eos in propriam potestatem, quasi captiuos; vid. procurantes, aut per iuramenta, aut per vota illos adstringendo, vt relictis consiliis Prælatorum suorum, qui eorum præsunt regimini animarum, & quorum consilia deberent requirere, & viuere, & mori secundùm illa; illorum potiùs consiliis adhæreant, & secundùm illa ordinent se, & sua, tam in vitâ, quàm in morte: quamuis non possint eos soluere, vel ligare. Et hoc dicit Apostolus in his verbis. *Ex his sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis*, secundùm quod Glos. exponit, si benè ponderentur verba eius, in hunc modum. *PENETRANT DOMOS*, ad literam, *domos mulierum & virorum seductibilium ingrediuntur, & rimantur proprietates cuiusque. ET CAPTIVAS DVCVNT*, id est, *seducunt*; *MVLIERCVLAS*, *priùs eas*, *& post eas viros earum*,

Digitized by Google

earum, sicut Diabolus priùs seduxit Euam, & per Euam Adam. Item; Glos. *Captiuas ducunt mulierculas*, id est, *viros seductibiles, vt mulieres, seducunt*, id est, à consiliis Prælatorum suorum ad sua consilia ducunt; ita enim exponitur hoc verbum *seducere*; Apocl. 19. *soluetur Satanas, & seducet gentes*; Glos. id est, *à Christo ad se ducet.*

Item, cõscientiæ fideliũ Christi, domus eorum sunt; Eccl. 32. *Præcurre prior in domum tuam.* Glos. id est, *in domum conscientiæ.* In hanc domum non debet recipi alienus, Eccl. 11. *Non omnem hominem recipias in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ dolosi*; Et ibid. infrà, *Admitte ad te alienigenã, & subuertet te in turbine, & abalienabit te à tuis proprijs.* Huic alieno dicitur Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat, aut cadit.* Sed in domũ cõscientiæ debet ille recipi, qui curã animæ illius habet, iuxta illud Boëtij de cõsolatione, *si medicinam expectas, oportet vt vulnus detegas.* Ipsa enim curæ commissio ostium est, per quod debet Prælatus ingredi in domum, id est, in conscientiam sui Parochiani, iuxta illud Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*; Glos. *Pastori Ecclesiæ dicitur; diligenter curam adhibe ijs, quibus te præesse contigerit; agnosce animos actusque singulorum, & si quid vitij in eis inueneris, citiùs castigare memento.* Constat autem, quod animos actusque singulorum non potest agnoscere Pastor, nisi per confessiones illorum: Necesse est ergo, quod illorũ confessiones audiat, saltem semel in anno. Et hoc præcipitur in Cõcilio generali; Extrà, *De pœnitentijs & remiss.* cap. *Omnis vtriusque sexus.* Neque ab hac necessitate confitendi proprio Sacerdoti, saltem semel in anno, liberantur Parochiani, quantumcumquè alteri Sacerdoti confiteantur; quoniã ille alter non potest auferre periculum custodiæ animarum à proprio Sacerdote illius, cuius audit cõfessionem; nec etiam ab illo, cuius audit confessionem; nisi vicem gerat proprij Sacerdotis; qui enim aliter suscipit Parochianum alterius ad pœnitentiam, gradus sui periculo subiacebit, *De pœnit.* dist. 6. cap. *Placuit.* Illi ergo, quibus non est cura commissa, non videntur intrare per ostium, sed aliunde; & sic videntur penetrare domos, & esse fures, iuxta illud Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.*

Illos autem maximè seducent prædicti Seductores, quos

Digitized by Google

inuenient inſtabiles, & varios corde, & ideo noua ſemper deſiderantes; & hoc prædicit Apoſtolus in his verbis, *Quæ ducuntur variis deſideriis*; & ita exponit Gloſ. ſicut dictum eſt, ſi diligenter & intimè inſpiciatur. Ex hac autem ſeductione continget, quod fideles Chriſti ab eis ſeducti maiorem eis reuerendam & obedientiam exhibebunt, quàm propriis Prælatis, licet non poſſint eos ſoluere, vel ligare; & ita facient claues Eccleſiæ contemni, & Prælatos Eccleſiæ vilipendi, ſicut Corinthii contemnebant veros Apoſtolos propter Pſeudo, à quibus erant ſeducti; 2. Cor. 11. *Nam ſi imperitus ſermone.* Gloſ. *Corinthij præferebant Pſeudo Apoſtolis veris, causâ accurati ſermonis.* Contemptus autem Prælatorum à ſubditis, magnum eſt periculum in Eccleſia; nam exinde ſequitur odium Prælatorum in ſubditos. Vnde ſuper illud, 1. ad Timoth. 3. *Oportet Epiſcopum bonum habere teſtimonium ab ijs, qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli*, dicit Gloſſa, *Vt non incidat in contemptum apud fideles*, ſcilicet ſubditos ſuos; *et ſic poſtmodùm incidat in odium*, ſcilicet contra ſubditos ſuos. Poſtquàm autem fecerint claues Eccleſiæ contemni, & Prælatos vilipendi, facilè poterunt inducere errores & pericula, ſecundùm quod patebit infrà; et ideò tam in textu, quàm in Gloſſa, *Seductores* appellantur, vel *Seducentes*, id eſt *à Chriſto ad ſe ducentes*; ſic enim exponit Gloſſa ſupradicta Apocalyp. 19. ſuper illud, *Soluetur Satanas & ſeducet gentes.* Et ſic patet, qualiter, & quàm aſſutè procedent dicti Seductores ad prædicta pericula inducenda.

Quod qui non præuiderint prædicta pericula, aut præuiſa non præcauerint, peribunt in illis.

CAP. VI.

CIRCA ſextũ, ſcilicet, quod qui non pręuiderint prędicta pericula, aut pręuiſa nõ pręcauerint, peribunt illis; ſciẽdũ eſt, quod qui hæc pericula nõ pręuiderint, trãſferẽtur procul dubiô à ciuitate Dei in ciuitatem Diaboli, & ibi captiui detinebuntur, Iſa. 5. *Propterea ductus eſt populus meus captiuus, quia non habuit*

scientiam. Ibi etiam morientur in iniquitate sua, Prouerb. 5. *Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur*; quia sicut dicitur, 1. ad Thessal. v. *Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet*. Glossa, *Dormientibus & imparatis*; id est illis, qui non prœuidebunt pericula nouissimorum temporum; & qui non faciunt, quæ sunt necessaria ad repellendum; qui enim vident pericula, & non laborant vt repellantur, videntur amare periculum; *Qui autem amat periculum, peribit in illo*, vt habetur Ecclesiast. cap. 3.

(:)

In quibus periculis erunt constituti illi, qui alijs prædicta pericula procurabunt.

CAP. VII.

CIRCA septimum, videlicet, in quibus periculis constituti erunt illi, qui hæc pericula aliis procurabunt; quoniam *vnicuique mandatum est de proximo suo*, Ecclesiast. 17. & Prouerb. 24. dicitur, *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*; ideo ne pericula illorum Seductorum, per quos periclitantur alij, negligere videamur, à quibus periculis eruendi essent præcipuè à Prælatis; Ecce proponimus eis quatuor pericula ad prœdicandum eis, & docendum, in quibus ipsi Seductores, qui procurabunt aliorum pericula, sunt constituti.

Primum est, quoniam *Sunt fures & latrones*; qui enim penetrant domos, aliundè intrant in ouile ouium, id est, congregationem fidelium, ad prædicandum & docendum, quàm per ostium; nam intrando per ostium, non penetrant; ergo illi, qui penetrant domos, & per quos instant tempora periculosa, *fures sunt & latrones*; Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro*. Item *fures sunt*, quia potestatem Prælatorum in subditos eorum vsurpant, & eos à regimine & consiliis Prælatorũ auertunt, Ioan. 10. *Fur non venit, nisi vt furetur*. Gloss. *alienãre vsurpãdo*; *ET MACTET, à fide retrahendo*, id est *à fidelitate, quam debet quis Prælato suo*; *ET PERDAT, in æternam, damnationem*, vt etiam exponit Glossa.

Secundum eorum periculum est, quod *Pseudo sunt*, siue *Falsi Prophetæ*; qui enim penetrant domos fidelium, non missi

accedunt ad eos; si enim missi accederent, *Ostiarius ei aperiret, & non aliunde quàm per ostium intrarent*; intrando autem per ostium non penetrarent; ergo si penetrant, non missi accedunt; qui autem non missi accedunt ad fideles Christi, vt eis prædicent, & eos regant per doctrinam suam, *Pseudo sunt*, Rom. 10. *Quomodò prædicabunt nisi mittantur.* Glossa, *Non sunt veri Apostoli, nisi missi; nulla enim signa virtutum eis testimonium perhibent.* Ergo qui prędicant non missi *Pseudo* sunt, siue *Falsi Prophetæ*; & sunt *lata porta*, quæ ducit ad mortem; de quibus dicitur Matth. 10. *Attendite à Falsis Prophetis.* Glossa; *Quos paulò ante vocauit latam portam, quæ ducit ad mortem, hìc Prophetas Falsos apertiùs dicit.* Sunt ergo in maximo periculo, quia *sunt Pseudo*, siue *Falsi Prophetæ*; *Et lata porta, quæ ducit ad mortem.* Item quia *Falsi Prophetæ sunt*, ideo illos omnes, qui eos reprehendunt, & qui eis non applaudunt, infamare conantur; vnde super illud Ieremiæ 23. *A Propheta Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram*, dicit Glos. *Non sufficit eis proximos ledere, sed quos semel oderunt, per totum orbem conantur infamare.*

Tertium eorum periculum est, quoniam, cum ipsi *veniant in vestimentis ouium, sunt lupi rapaces*, vt legitur Matth. 7. sicut enim oues possessoribus suis ministrant alimenta & indumenta carnalia, scilicet lac & lanam; ita & illi, qui ad prędicandum Christi fidelibus non missi accedunt, prætendunt exteriùs, quod accedant ad ministrandum Christi fidelibus alimenta & indumenta spiritualia, videlicet, doctrinam spiritualem & bona exempla; intrinsecùs autem intendunt refici & indui de bonis carnalibus eorum; sicut lupi accedentes ad oues, ad has accedunt, vt de carnibus earum reficiantur; vnde Act. 20. super illud Pauli, *Argentum & aurum nullius concupiui*, dicit Glos. quia *in hoc cognoscuntur lupi, quod talia concupiscunt*; & ideo dicitur Matth. 7. quod *veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, Glos. *quià in humilitate ambulãt ex falsa religione.* Item Glos. *de omnibus hoc intelligitur, qui aliud habitu & sermone, aliud opere ostendunt.* Nec hoc intelligẽdum est de operibus exterioribus, quæ prætendunt, quia illa bona videntur; sed de illis quæ intendunt, non tamen illa prętendunt; vnde super illud in eodem capitulo, *A fructibus eorum cognoscetis eos*, dicit Glos. *In conspectu hominum similes sunt ministris iustitiæ, dum ieiunant,*

Digitized by Google

erant, eleemosynas dant; sed non sunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputatur. Sunt ergo illi tales *lupi rapaces*, de quibus dicitur Ioan. 10. *Lupus rapit & dispergit oues; RAPIT, alienos subditos vsurpando; ET DISPERGIT, eos à Prælatorum doctrinâ & consilijs auertendo.* Sunt ergo in magno periculo, cum sint *lupi rapaces.*

Quartum periculum eorum est, quoniam finaliter *corrupti erunt in fide, & finaliter deserent Christum*; & sic *inter reprobos damnabuntur*, sicut dicit Apostolus 2. ad Timoth. 3. de penetrantibus domos, *Homines*, inquit, *corrupti mente, reprobi circa fidem*; constat autem, quod *nullus reprobus est*, nisi qui *finaliter deserit Christum*; sunt ergo tales in periculis multis & magnis; non solùm in prædictis, sed etiam in multis aliis. Sed hæc ad præsens sufficiant.

Qui autem prædictis periculis non terrentur, durum cor habent, & ideo finaliter malè accidet eis; Eccleſiast. 3. *Cor durum malè habebit in nouissimo.* Item, qui in prædictis periculis sunt, & nolunt deserere statum tam periculosum, periculum amare videntur; & ideo in statu illo peribunt; Eccleſiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Quod prædicta pericula non sunt longè remota, sed sunt propinqua, vel iam inchoata. Et quod eorum inquisitio & repulsio non sit amplius differenda.

CAP. VIII.

CIRCA octauum, videlicet, quod non longè remota sunt illa pericula nouissimorum temporum; & quod eorum inquisitio & repulsio non sit amplius differenda, ex eo patet; scilicet, quia sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 10. *Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt*, Glos. *quia in vltimâ ætate seculi sumus*; post istam verò sextam ætatem, *quæ est pugnantium*, cum qua currit septima ætas, *quæ est quiescentium*, non est ventura ætas alia nisi octaua, *quæ est resurgentium*; ergo nos sumus in vltima ætate huius mundi; & ista ætas iam plus durauit quam aliæ, quæ currunt per millenarium annorum; quia ista durauit per 1255. annos; verisimile ergo est, quod nos sumus

prope finem mundi; ergo propinquiores ſumus periculis nouiſſimorum temporum, quæ futura ſunt ante aduentum Antichriſti; præcipuè cum dicatur Iac. 5. *Ecce Iudex ante ianuam aſſiſtit*; Gloſ. *veniet citò ad retribuendum.* Item ad Heb. 10. *Adhuc aliquantulum modicum, qui venturus eſt veniet, & non tardabit.* Item 1. Ioan. 2. *Scimus, quia nouiſſima hora eſt*; Gloſ. *Scimus, quod abſque dilatione dies Iudicij veniet.* Item Matth. 20. *Circa horam vndecimã exiit*, Gloſ. *quæ hora eſt ab aduentu Domini vſque ad finẽ mundi*; & certum eſt, quod huius vndecimæ horæ iam tranſacti ſunt 1255. anni; Relinquitur ergo, quod in nouiſſimis temporibus ſumus, vel illis valde propinqui.

Præter has autem prædictas authoritates oſtendemus per octo ſigna, quod iam prædicta pericula inſtant.

Primum eſt, quoniam iam ſunt 55. anni, quod aliqui laborant *ad mutandum Euangelium Chriſti in aliud Euangelium, quod dicunt fore perfectius, melius, & dignius; quod appellant Euangelium Spiritus Sancti, ſiue Euangelium Æternum; quô adueniente euacuabitur*, vt dicunt, *Euangelium Chriſti*, vt parati iu mus oſtendere in illo Euangelio maledicto. Hoc autem ſignum eſt manifeſtum, quod propè eſt tempus Antichriſti, de quo dicitur in Pſalmo 9. *Conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos*; Gloſ. *Antichriſtum legis praua latorem.* Et in eodem, *Auferuntur iudicia tua à facie eius* ſcilicet *Antichriſti.*

Secundum ſignum eſt, quod illa doctrina; quæ prædicabitur tempore Antichriſti, videlicet. *Euangelium Æternum*, Pariſiùs, vbi viget ſacræ Scripturæ ſtudium, iam publicè poſita fuit ad explicandum anno Domini 1254. vnde certum eſt, quod iam prædicaretur, niſi eſſet aliud, quod eam detineret Quid autem eam detineat, ſcitis; nimirum imperium Petri, & eorum, qui tenent loca Apoſtolorum, ſcilicet Epiſcoporum; *Niſi enim venerit diſceſsio primùm, non reuelabitur Homo peccati, Filius perditionis*, 2. Theſſal. 2. vnde caueant Epiſcopi, ne dicti Pſeudo-prædicatores procurent *eorum excuſſionem*, id eſt, *ablationem poteſtatis eorum*, ſicut ſignificatur *In Euangelio Æterno.*

Tertium ſignum eſt, quod *Sicut in Babylone reproba*, poſtquàm viſa eſt manus ſcribens *Mane, Tekel, Phares*, citò ſequuta eſt ſubuerſio eius, Daniel. 5. *Sic in Babylone dilecta Domini*, Iſa. 21. id eſt, *In Eccleſia*, cùm iam viſa ſit dicta ſcrip-

Digitized by Google

tura; constat quod propè sunt pericula eius. Sed ista tria verba iam visa sunt scripta in Ecclesia; scripta enim sunt in illo maledicto libro, quem appellant *Euangelium Æternum*, quod in Ecclesia iam propalatum est; propter quod timendum est de subuersione Ecclesiæ. Primum verbum est, *Mane*, id est, *Numeranit Deus regnum tuum, & concluſit*, vt exponitur Daniel. 5. ibi enim numeratur regnum Ecclesiæ, scilicet, Euangelium Christi, & concluditur in 1260. annis ab Incarnatione. Item ibi inuenitur Tekel, quod est, *Appensum est in statera, & inuentum est minùs habens*, vt exponitur Daniel. 5. ibi enim comparatur Euangelium Christi ad Euangelium Æternum, & inuenitur minùs perfectionis habens, & dignitatis, quàm Euangelium Æternum; quantô minùs lucet Luna, quàm Sol; quantô minùs valet testa, quàm nucleus; & multę tales sunt ibi scriptæ comparationes, quibus probatur minùs valere Euangelium Christi, quàm Euangelium Æternum. Item in illa scriptura, scilicet *In Euangelio Æterno*, inuenitur *Phares*, quod interpretatur, *Diuisum est regnum tuum à te*, vt exponitur Daniel. 5. nam ibi inuenitur, quod regnum Ecclesię diuidetur post prędictum tempus ab illis, qui tenent Euangelium Christi, & dabitur tenentibus Euangelium Æternum. Sic ergo certum est, quod scriptura illa, *Mane*, *Tekel*, *Phares*, visa est in Ecclesia; vnde nihil aliud restat *Principibus Ecclesiæ, qui sedent in mensa Domini*; Et similiter *Doctoribus, qui sedent in mensa sacræ Scripturæ*; nisi vt surgant de mensa ad obuiandum subuersoribus Ecclesiæ, secundùm quod præcipit Dominus per Isaïam cap. 21. vbi loquitur de eadem mensa dicens, *Comedentes & bibentes*. Glos. *Carnem & sanguinem Domini*. PRINCIPES *surgite, & arripite clypeum*; Glos. *Sumite armaturam Apostoli, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei, in quo posſitis ignea Diaboli tela extinguere*. Nihil etiam restat *Speculatoribus Ecclesiæ*, id est, *Prælatis*; nisi ascendere speculas, vt quodcumque viderint, annuntient, iuxta præceptum Domini paulò post dicentis, Isa. 21. *Vade, & pone speculatorem, vt quodcumque viderit, annuntiet*; quasi diceret, *Excita Prælatos ad speculandum*.

Quartum signum est, quod appropinquante fine sæculi, & aduentu Antichristi, quidam, qui apparebunt in Ecclesia sanctiores, cùm facient quod displicet Christo, corrigentur per

aliquos, iuxta visionem Beati Ioannis de correctione Ecclesiarum, Apocal. 2. & 3. Ipsi autem correctores tradent in tribulationem, & procurabunt, vt ab omnibus odio habeantur; & vt aliqui ex eis occidantur; Et hoc est, quod dicitur Matth. 24. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; & tunc veniet consummatio sæculi.* Hoc enim signum, & tria sequentia sunt de propinquis signis ipsius consummationis, & initia doloris, qui erit tempore Antichristi; vnde dicitur ibidem, *Hæc autem omnia, initia sunt dolorum*, scilicet, *qui erunt in tempore Antichristi.*

Quintum signum est, quoniam appropinquante consummatione sęculi, illi, qui videntur sanctiores in Ecclesia, reprehendentur de falsa sanctitate, & de sua præsumptione; propter quod multi, scilicet tam ipsi, quàm eorum fautores, scandalizabuntur; & hoc dicitur consequenter, Matth. 24. *Et tunc scandalizabuntur multi.*

Sextum signum est, quoniam appropinquante consummatione sæculi, surgent in Ecclesia quidam prædicatores commendantes semetipsos, contra Apostolum 2. Corinth. 10. *Non audemus nos inserere, aut comparare quibusdam, qui semetipsos commendant*, Glos. *sicut Pseudo, qui seipsos commendant, non Deus eos*; Extendentes se, *Ac gloriantes vltra mensuram regulæ, quâ mensus est eis Deus*; id est, vt ibidem dicit Glossa, *Vltra mensuratum sibi à Deo populum*; quia gloriabuntur prædicando plebibus, vel populis non suis; Et isti sub specie sanctitatis multos seducent, id est, à consilijs Prelatorum ad sua consilia ducent; & hoc est, quod dicitur Matth. 24. *Multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos.*

Septimum signum est, quod appropinquante consummatione sæculi, quidam, qui videntur in Ecclesia maximè zelatores fidei, & maximè amare Christum, dimittent Euangelium Christi & adhærebũt Euãgelio Æterno, quod ex toto absorbet fidem Christi; vnde refrigescet charitas, quâ sermo Domini custoditur. Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruat*; Et tunc implebitur signum, Matth. 24. *Et quoniam abundauit iniquitas*, Glos. id est, *infidelitas*, *REFRIGESCET charitas multorum.*

Octauum signum est, quoniam appropinquante consummatione

matione ſæculi annuntiabuntur in Eccleſia ſigna propinqua conſummationis; vt ſic intelligant metuentes Chriſtum propè eſſe conſummationem ſæculi, & dolorem, qui erit tempore Antichriſti, iuxta illud Pſalmi, *Dediſti metuentibus te ſignum, vt fugiant à facie arcus.* Illis autem ſignis annuntiatis, tunc veniet conſummatio; vnde Dominus, poſtquàm illa nuntiari præcepit, ſtatim ſubiungit dicens Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio.* Cùm ergo iam annuntientur prædicta ſigna, & neceſſe ſit ea annuntiari, quoniam iam apparent; ſatis apparet ex verbis Domini, quod citò ventura eſt conſummatio ſæculi. Et qui hæc ſigna non videt eſſe iam in Eccleſia, dormire videtur; vnde acquieſcat conſilio Apoſtoli 1. Theſſal. 5. *Non dormiamus, ſed vigilemus. EVIGILATE* ergo *Iuſti*, vt inquit Apoſtolus 1. Corinth. 15. & per ſigna prædicta, quæ iam apparent, videbitis conſummationem ſæculi propè eſſe, & dolorem, qui erit tempore Antichriſti, iam inchoari.

Patet ergo, quod non eſt ampliùs differenda ſpeculatio & repulſio dictorum periculorum; præcipuè, cùm à tempore Apoſtoli, mandauerit ea Apoſtolus prædicari cum inſtantiâ tàm volentibus, quàm nolentibus; tàm repugnantibus, quàm recipientibus; & cauſam ſubiungit, ſcilicet, quoniam futurum erat, vt multi ſanam doctrinam non reciperent; ſed volent ſibi tantùm prædicari, quæ libenter audiunt; Et hoc videmus temporibus iſtis, cùm quidam homines ſuſtinere non poſſint, vt dictorum periculorum veritas prædicetur. Hoc eſt, quod dicit Apoſtolus 2. Timoth. 4. *Teſtificor coram Deo, & Ieſu Chriſto*, id eſt, *ADIVROTE teſte Deo Patre & Ieſu Chriſto, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & per aduentum ipſius, & regnũ eius, prædica verbũ, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina*; vide Gloſ. ſuprà in proœmio. *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*; Gloſ. *quaſi onus ſit eis. SED ad ſua deſideria coacernabunt ſibi Magiſtros*, Gloſ. *multos, qui ea doceant, quæ volunt.* Et hoc, inquit, Gloſ. *Prophetia eſt Sancti Apoſtoli, qui præſcius futurorum in doctrina præcipit inſtandum, vt contra hoc, quod futurum erat, præpararetur Eccleſia; tales enim dicit futuros qui pro deſideriis ſuis doceri volunt, vt à magiſtris conſtantibus & veracibus, ad eos conuertantur, qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant; quia veritas*

eis aſpera videbitur; vt relictâ verâ doctrinâ fabulis vacent. Et infrà. *Vtinam talibus, quales in theatris cantantur; non tales, quales aduerſus Dominum fingere potuiſſe illam inſipientiam dolemus, & miramur audaciam.* Et ſic patet ex prædictis, quod non ſunt remota longè, ſed propinqua dicta pericula; & quod eorum ſpeculatio, & inquiſitio, & repulſio non ſunt ampliùs differendæ.

Quod Prælatorum Eccleſiæ eſt prædicta pericula præuidere, prænuntiare, & repellere.

CAP. IX.

CIRCA nonum, videlicet, quorum eſt inquirere, & præuidere, & repellere dicta pericula, ſciendum eſt, quod Prælati, quibus dicturus eſt Dominus in Iudicio illud Ieremiæ 13. *Vbi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum?* Qui tenentur reddere damnum gregis, iuxta illud Geneſ. 31. *Ego omne damnum reddebam tibi; quicquid furtò peribat, à me exigebas.* Quibus etiam dicitur Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & eos, qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. Si dixeris, vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelliget; & Saluatorem animæ tuæ nihil fallit.* Ipſi, inquàm, Prælati, qui etiam Speculatores ſunt Eccleſiæ, vt dicitur Ezechiel. 3. *Speculatorem dedi te domui Iſrael*, debent aſcendere ſpeculas, & ſpeculari, vtrùm quicquid venturum eſt, longè aſpiciant; & ſi pericula, qualia dicta ſunt, præuiderint, debent præmonere ſubditos de illis vitandis. Vnde ſuper illud Iſa. 52. *Vox ſpeculatorum tuorum*, dicit Gloſ. *Speculatores ſunt, qui in ſpecula ſunt, vt omnia præuideant, & ſubiectos præmoneant.* Et ſuper illud 1. Timoth. 4. *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide*, dicit Gloſ. *contra quos ampliùs modò vigilandum eſt, vt præmonita Eccleſia ſollicita ſit, ne ab ijs hominibus circumueniatur.* Epiſcoporum enim officium eſt Pſeudo-prædicatoribus reſiſtere, vt dicit Gloſ. 1. Timoth. 1. in principio, his verbis, *Timotheo relicto in Aſia Epiſcopo ſcribit Apoſtolus de officio Epiſcopali, ſcilicet, quomodò Pſeudo-Apoſtolis reſiſtat*; Vnde Apocal. 2. de hoc commendatur Epiſcopus Epheſinus à Domino, his verbis, *Scio*, id eſt,

Digitized by Google

APPROBO opera tua, & laborem tuum, id est, *tribulationē*; Et *quoniā non potes sustinere malos*, Glos. *quin emendes, vel expellas*; Et *probasti eos, qui se dicunt Apostolos, & non sunt*; id est, *missos a Deo se dicunt, vt facilius decipiant*, Et *inuenisti eos mendaces, & patientiam habes*; Glos. *in malis, quæ ipsi coniuncti per terrenas potestates ingerunt*; Et *sustinuisti propter nomen meum*; id est, *non pro humana laude*.

Item, hæc est potestas Episcoporum, vt in dioecesibus suis inquirant, vindicent, & vlciscantur absque impedimento alicuius, etiam publicum auxilium, si necesse fuerit, conuocando. Extrà *De offic. ordin.* cap. 1. purgare enim debent suas dioeceses malis hominibus, vndecumque fuerint, ad instar Præsidis prouinciæ; *ff. De officio Præsidis, L. Præses*; Et hoc nullô obstante priuilegio, *Cod. Vbi de crimine agi oporteat, aut quî in prouinciâ*. Maximè autem purgare debent suas dioeceses ab Hæreticis & seminantibus errores; alioqui deponendi sunt, & alij in locum ipsorum substituendi, qui hoc facere velint & possint; Extrà, *De Hereticis*, cap. *Excommunicamus*, §. *Adiicimus*. Et sic patet, quorum est pericula prædicta inquirere, & præuidere, & ab Ecclesia repellere; videlicet, Prælatorum.

Quam pœnam incurrent Prælati Ecclesiæ, tam in præsenti, quàm in futuro, si circa prædicta pericula fuerint negligentes.

CAP. X.

CIRCA decimum, videlicet, quam pœnam incurrent Prælati Ecclesiæ, si circa prædicta extiterint negligētes, sciendum est, quod si hæc prędicta non fecerint Episcopi, sanguis illorum, qui in illis periculis peribunt, de ipsorum manibus requiretur; Ezechiel. 3. *Sanguinem eius de manu tua requiram*. Et præter hanc pœnam, quę erit in futuro, punientur & in præsenti; quia sicut Danieli viro desideriorum & stanti in gradu sub dictum est, Daniel 10. *Veni, vt docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus*; ita Episcopis è contrario non stantibus in gradu suo, id est, negligentibus circa prædicta, corda eorum excæcabūtur, vt non possint intelligere dicta pericula,

nec præcauere, & idcirco peribunt in illis. Et hoc est, quod dicitur Isa. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.*

Item, in hoc etiam punientur Speculatores Ecclesiæ, si non steterint super speculas suas, ad præuidendum & prænuntiandum pericula Ecclesiæ; quoniam, cùm propter negligentiam suam ipsô factô videantur dicere pacem & securitatem esse, repentinus interitus veniet super illos, & super subditos eorum, secundùm quod dicit Apostolus 1. Thessal. 5. loquens de vltimis temporibus, *Cùm enim dixerint, pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus.* Has ergo pœnas prędictas incurrent tam Prælati, quàm eorum subditi, si in prædictis fuerint negligentes.

Quod, licet prædicta pericula fuerint Prophetata, tamen poterunt repelli ad tempus, si eis viriliter resistatur.

CAP. XI.

CIRCA vndecimum, ne Prælati, quorum est ista pericula repellere, dicere possint, ex quo ita futurum esse prophetauit Apostolus, non possumus ista pericula repellere; ideo occurrit idem Apostolus 2. Timoth. 3. dicens, quod si Prælati, quorum est defendere Ecclesiam, viriliter se opposuerint resistendo viriliter illis Seductoribus, manifestabitur eorum seductio, & vincentur; sicut Moyses non obstante offensâ Regis & populi Ægypti, quorum fauorem habebant Magi prædicti, viriliter illis resistendo superauit eos (defecerunt enim in tertio signo Exod. 8.) & sic insipientia Magorum, quæ priùs ab Ægyptiis sapientia reputabatur, manifestata fuit per Moysem; sic & Prælati Ecclesiæ, qui per Moysem figurantur, si viriliter restiterint illis Seductoribus, non obstante offensâ Regum, & Principum, & Populi, Christianorum (quorum fauorem & gratiam malis artibus sunt adepti, secundùm quod dicit Seneca Ad Lucilium, *Malis artibus popularis fauor quæritur*) procul dubiô superabunt eos, & manifestabunt insipientiam eorum, quę priùs sapientia putabatur. Et hoc prædicit Apostolus in his

verbis, *Sed vltrà non proficient*; Gloſ. *ſeducendo*; quia in breui deficient ſuperati à Prelatis, quorum eſt Eccleſiam defenſare; *Inſipiẽtia enim eorum*, Gloſ. *quæ modò putabatur ſapientia*, *MANIFESTA erit omnibus*, Gloſ. *per bonos*, ſupple, *PRÆLATOS*, vel *DOCTORES*; *ſicut & inſipientia illorum*, ſcilicet, *Magorum fuit manifeſtata per Moyſem*, qui gerit figuram Prælatorum.

Ecce autem quomodò manifeſta fiet inſipientia eorum, quæ priùs ſapientia putabatur; cum enim Principes Chriſtiani & populi, qui dictis Seductoribus ſuas commiſerunt animas ad regendum; & in eis, ad ipſorum prędicationem & clamorem, ſpem ſalutis ſuæ poſuerunt, *Quaſi eſſent eorum Patres ſpirituales*, per exhortationem Prælatorum & Doctorum Eccleſiæ aduertent illos non habere poteſtatem regendi animas, quam ſibi vſurpant, & ita cognoſcent ſe deceptos; tunc relictis illis reuertentur ad conſilia & præcepta Prælatorum ſuorum; & tunc apparebit inſipientia prædictorum Seductorum, quæ priùs ſapientia putabatur. Et hoc dicit Auguſtin in Gloſſa ibidem, recitans authoritatem Ieremiæ comparantis illos Seductores Perdici inſipienti auiculæ, quę ad clamorem ſuum congregat pullos alienos, quos non peperit, & facit eos diuitias, id eſt vendicat eos quaſi ſuos; ſed tandem pulli recognoſcentes, quod non eſt mater eorum, derelinquunt eam, & tunc apparet inſipientia Perdicis; & hoc dicit Gloſſa. *Comparat iſtos Seductores Magis Pharaonis, quos Ieremias Perdici inſipienti auiculæ comparat dicens, CLAMAVIT PERDIX ET CONGREGAVIT, QVÆ NON PEPERIT, ET FECIT DIVITIAS, NON CVM IVDICIO, id eſt temerè; IN MEDIO DIERVM EIVS DERELINQVENT EAM, ET IN NOVISSIMIS SVIS ERIT INSIPIENS, id eſt, apparebit inſipiens illa Perdix.* Similiter & iſti per hunc modum manifeſtabuntur, & apparebunt inſipientes. Sic ergo apparet, quod prædicta pericula repelli poterunt ad tempus, ſi Prælati viriliter duxerint reſiſtendum.

Qualiter procedendum ſit in dictis periculis repellendis.

CAP. XII.

CIRCA duodecimum, ſcilicet, qualiter ſunt dicta pericula repellenda, ſciendum eſt, quod ſex erunt neceſſaria ad repellenda illa.

Primum eſt contemplari, qui ſunt, qui penetrant domos; & vtrùm iam venerint ad Eccleſiam Chriſti; hoc autem præcipitur Iſa. 21. in his verbis; *Vade, & pone Speculatorem*, id eſt, *excita Speculatores ad ſpeculandum prædicta*. Et hoc boni Speculatores libenter faciunt, ſecundùm quod dicit Iſa. ibid. *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans iugiter.*

Secundum eſt, vt cùm hoc inuentum fuerit, neſcientibus indicetur; vnde Iſa. 21. poſtquàm dictum eſt, *Pone Speculatorem*, ſtatim ſubiungitur, *vt quodcumque viderit, annuntiet*; quia Speculator non poteſt aliter animam ſuam liberare, Ezechiel. 33. per totum.

Tertium eſt, cum indicati fuerint, præcipere, vt vitentur, vt dicit Apoſtolus 2. Timoth. 3. *Et hos deuita*; vbi loquitur de talibus.

Quartum eſt, inhibere illis docendi licentiam, fiue prædicandi; quia vt dicitur 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*; Ipſi verò colloquia mala habebunt, quia ſicut dicitur 2. Timoth. 3. *Quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ità & iſti reſiſtent veritati.*

Quintum eſt, præcipere illis, qui de ſecta ſua ſunt, vt deferant eam; quia tales finaliter deſerunt Chriſtum, 2. Timoth. 3. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.*

Sextum eſt, inhibere illis, qui non ſunt de ſecta ſua, ne de illa fiant; quia ſecta ſua *non proficiet*, diſcendo, vel docendo; *ſed inſipientia eorum omnibus manifeſta fiet.* 2. Timoth. 3. Et ſi hæc ſex facta eſſent; ſufficienter repulſa eſſent pericula prædicta, quantùm ad *Penetrantes domos.*

Quantùm verò ad omnes Pſeudo generaliter, ſciendum eſt, quod neceſſe eſt eos ſimiliter euitari; vnde de illis dicitur

Digitized by Google

Rom. vlt. *Rogo autem vos, Fratres, vt obseruetis eos*; Glossa, id est, *Discernatis, QVI dissensiones & offendicula faciunt, præter doctrinam quam didicistis*, Glossa, *à veris Apostolis*; *& in hoc tangit Pseudo, quos in tota Ecclesia cauendos esse monet, & declinare ab illis*; *HVIVSMODI enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri*; Glossa, *Aliis adulantur, & aliis detrahunt, vt possint suum ventrem implere*; *ET PER DVLCES SERMONES seducunt corda innocentium*; Glossa; *compositis verbis suam traditionem commendant, quibus simplicium corda decipiunt.*

De *Otiosis* autem, *Gyrouagis*, & *Curiosis euitandis*, quoniam & *ipsi frequenter Pseudo fiunt*, & ideo *periculosi sunt* toti Ecclesiæ, & *contra doctrinam Apostoli viuunt*; notandum est, quod dicit Apostolus 2. Thessal. 3. *Denuntiamus vobis, Fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi*; Glossa, *per Christi authoritatem vobis præcipimus*; *VT SVBTRAHATIS vos ab omni fratre ambulante inordinatè*; Augustinus in lib. de opere Monachorum, vbi recitat hanc authoritatem Apostoli, ponit *inquietè*, pro eo quod dicitur, *inordinatè*. Et infrà, *Et non secundum traditionem quam acceperunt à nobis*; *ipsi enim scitis, quia non inquieti fuimus inter vos*, Glos. *sicut illi, qui aliena negotia curant, vagantes hac & illac*; *NEQVE GRATIS mãducauimus panem ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes.* Sic ergo patet, qualiter dicti periculosi homines sunt vitandi; & qualiter prædicta pericula, quæ per ipsos imminent, sunt repellenda.

Si autem breuiori manu velint Prælati Ecclesiæ prędicationem à prædictis; & per consequens pericula, quæ ex eorum predicatione sequuntur, ab Ecclesia amouere; præuideant, ne ipsi exigere, aut recipere sumptus possint; quia procul dubiô, si non reciperent, non diu prædicarent, vt dicit Glossa super illud, 2. ad Corinth. 11. *Vt amputem occasionem ijs, qui volunt occasionem*; Glossa, *Occasionem sumendi sumptus auferebat Apostolus Pseudo-Apostolis*; *sciebat enim, quod si non reciperent, non diu prædicarent.* Duo enim sunt, quæ ipsorum prędicationi fomentum præstant, videlicet, *quia manibus otiosis viuere volunt de Euangelio*; Et *quod plærumque viuere volunt de curiositate*, id est, *de curando negotia aliena*; quorum vtrumque illicitum est eis.

Quod enim *de Euangelio non possint viuere, qui non sunt veri Apostoli, aut eorum potestatem non habent*, ex eo patet; quoniam

ſuper illud 2. Theſſal. 3. *Nocte & die operantes*, dicit Gloſ. *Iſti Pſeudo magis debent viuere de labore, quia non habent hanc poteſtatem*, ſcilicet, *viuendi de Euangelio*. Item 1. Theſſal. 2. *Neque aliquando fuimus in occaſione auaritiæ, cum poſſemus oneri eſſe, vt Apoſtoli Chriſti*; Gloſ. *Apoſtolicæ poteſtatis debitum vocat* ONVS *propter Pſeudo, qui illud indebitè vſurpantes importunè à plebibus exigebant*. Hoc etiam expreſſè dicit Auguſtinus in lib. de opere Monachorum, loquens de quibuſdam Regularibus, qui viuere volebant de Euangelio, ſic dicens, *Iſti autem fratres noſtri temerè ſibi arrogant (quantùm exiſtimo) quod eiuſmodi habeant poteſtatem*, ſcilicet, *viuendi de Euangelio; ſi enim Euangeliſtæ ſunt, ſi miniſtri altaris, ſi diſpenſatores Sacramentorum ſunt; fateor, habent*; quaſi diceret, *ſi hæc officia non habent, nec viuendi de Euangelio poteſtatem habent*; Conſtat autem, quod hęc officia non habent niſi qui plebem habent ſibi ſubiectam, vt oſtenſum eſt ſuprà. Item 1. Theſſal. 5. *Rogamus vos, Fratres, vt noueritis*, id eſt, *oſtendatis vos noſſe*; EOS. *qui laborant inter vos*, id eſt, *in regimine veſtri & doctrina*; ET PRÆSVNT VOBIS, *dignitate*; Et hoc *in Domino*, id eſt, *in ordinatione Domini*. Illis ergo ſolis debentur ſumptus, qui præſunt in regimine animarum, & officii dignitate.

Quod autem *de curioſitate*, ſiue, *de curando negotia aliena, eis non liceat viuere*; patet per Apoſtolum dicentem, 2. Theſſal. 3. *Non enim inquieti fuimus inter vos*, Gloſ. *vt illi, qui aliena negotia curant, vagantes hac & illac*. Et infrà, *Audiuimus enim quoſdam inter vos ambulare inquiete nihil operantes, ſed curioſè agentes*, Gloſ. *de negotijs alienis; & hoc modò merentur paſci; Quod factum abhorret diſciplina Dominica; eorum enim Deus venter eſt, qui fœdâ curâ neceſſaria ſibi prouident*. Vnde iſti verè dici poſſunt ſe immiſcere ſæcularibus negotiis, quoniam ex tali cura plærumque colligunt magnam pecuniam, contra Apoſtolum dicentem, 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotijs*; Gloſ. *Illa negotia ſunt ſæcularia, cùm animus occupatur colligendæ curâ pecuniæ ſine labore corporis; curâ enim, non manibus operatur*.

Item, *quod viuere tales debeant de labore corporis; immò etiam omnes Chriſtiani, qui non habent aliunde, vnde viuant; dum tamen ſint validi corpore, non obſtante, etiam ſi vacent operibus ſpiritualibus, quæ ſunt meliora*; dicit Apoſtolus 1. Theſſal. 4. *Operemini manibus veſtris, ſicut præcipimus vobis, & nullius aliquid*

aliquid desideretis. Glos. *nedũ rogetis, vel tollatis*; & 2. Thessal. 3. repetit idem dicẽs, *Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Gloss. August. *Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse; alioquin, si de opere corporali hoc diceret, in quo vel Agricolæ, vel Opifices laborant, videretur sentire aduersus Dominum, qui dicit in Euangelio, NOLITE SOLLICITI ESSE DICENTES, QVID MANDVCABIMVS; sed superflue conantur, & sibi, & ceteris caliginem obducere, vt quod vtiliter charitas monet, non solùm facere nolint, sed nec intelligere; cum multis aliis locis Epistolarum, quid hîc sentiat Apostolus, apertissimè doceat. Vult enim Seruos Dei corporaliter operari, vnde viuant; vt non compellantur egestate necessaria petere.*

Si quæratur hîc, *Cuiusmodi periculum sit in petendo necessaria, siue mendicando?* Respondemus, *quoniam illi, qui de mendicitate viuere volunt, fiunt adulatores, detractores, & mendaces, & fures, & à iustitia declinantes*; Vnde super illud 2. Thess. 3, *Vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos*, dicit Glossa Augustini, *Seipsum dabat Apostolus formam iis, qui tenues erant substantiâ in plebe, vt discerent libertatem suam non amittere.* Et infrà, *Qui frequenter ad alienam mensam conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se; cum tamen religio nostra ad libertatem homines aduocet.* Ecce periculum adulationis. Item super illud 1. Thessal. 5. *Rogamus vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant in Euangelio*, dicit Glossa; *Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas, dum saturari quærit, à iustitia declinat.* Et Prouerb. 30. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi.* Et infrà, *Ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini.* Glossa; *Ne copiâ, vel inopiâ rerum transeuntium in obliuionem decidam æternorum.*

Sed dicet quis, *Nonne opus perfectionis est, omnia relinquere pro Christo, & posteà pro Christo mendicare?*

Respondemus, *omnia pro Christo relinquere, & sequi Christum, eum imitando in bonis operibus, opus perfectionis est*, Luc. 18. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*; nimirum, *benè operando; non autem mendicando*, nam hoc prohibetur ab Apostolo, vt dictum est suprà.

QVALITER ergo *viuendum est*, inquies, *viro perfecto, postquàm reliquerit omnia?*

Respondemus: *Aut operando corporaliter manibus; Aut intrando Monasterium, vbi habeat necessaria vitæ.* De primo, dicitur Lucæ 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Glossa, *vt omnibus vestris semel pro Domino spretis, postea labore manuum vestrarum operemini, vnde viuatis.* De secundo dicitur Act. 4. *Erant illis omnia communia, & nullus egebat inter eos.* Et super hoc edita est constitutio Ecclesiastica, 12. q. 1. cap. *Videntes*, vbi dicitur, *De rebus Ecclesiæ Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communi vitâ degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint; vt nemo in eis egens inueniatur.* Et infrà, *Si aliquis exticerit modernis, aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dictâ damnatione feriatur.*

Hoc etiam constat *exemplo Domini, qui loculos habebat*, Ioan. 12. vbi dicitur de Iuda, *Quod fur erat, & loculos habens*, Glossa, *loculorum Domini custos*; Et Augustin. 12. q. 1. cap. 17. *Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat.* Item, tam Dominus, quàm eius Apostoli mulieres Christianas circumducebant, quæ illis & seruitia exhibebant, & necessaria ministrabant, sicut dicit Gloss. 1. Cor. 9. super illud, *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* Postquàm verò Dominus, qui Apostolis de loculis suis necessaria ministrabat, vt dictum est, ab ipsis Apostolis corporaliter recessit per mortem & resurrectionem, ipsi non ad mendicandũ se conuerterunt; sed licet Apostoli prædicatores essent, & sumptus habere deberent ab illis, quibus prædicabant, nihil tamen ab eis quærebant, nec mendicabant; sed arte suâ licitâ victum quærebant, quando vnde viuerent, non habebant. Vnde super illud Ioan. 21. *Dicit eis Simon Petrus, vado piscari*, dicit Glossa, *Post acceptum insufflationis Spiritum; post verba eius, SICVT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS, subitò fiunt Apostoli quod fuerant, scilicet; piscatores, non hominum, sed piscium; sed sciendum est, non prohibitos fuisse suâ arte licitâ victum quærere, Apostolatus integritate seruatâ; cum vnde viuerent, non haberent; & sic illis laborantibus adiecit Deus necessaria, quæ promisit.* Oblata verò recipiebant; sciebant enim Apostoli, quod non est dandum ex necessitate, vel ex tristitia; & ideo nihil quærebant, 2. Corinth. 9. *Vnusquisque prout estimauit in animo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem*

Digitized by Google

enim datorem diligit Deus. Gloſſa, *Qui dat propter præſentem pudorem, aut vt tædiò interpellantis careat; & rem, & meritum perdit.* Immò contenti erant oblatis, & reliqua neceſſaria labore manuum quærebant; vnde Lucæ 10. ſuper illud, *Edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt*, dicit Gloſſa; *Sumptus ex prædicatione concedit, ſic tamen, vt oblatis cibo & potu ſint contenti.* Immò etiam rogati Apoſtoli recipere nolebant, timentes ne ipſos offerentes grauarent; vnde 2. Corinth. 8. dicit Apoſtolus, *Cum multa obſecratione obſecrantes nos gratiam & communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos.* Id eſt, vt inquit Gloſſa, *Cum timens eis non aſſentirem, vt eos permitteremus habere gratiam & communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos, obſecrabant nos, vt liceret eis ſua dare, non quaſi propria, ſed quaſi communia.* Et tamen panis Apoſtolorum non erat gratuitus; vnde ſuper illud. 1. Corinth. 9. *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* dicit Gloſſa, *Lac gregis dicitur, quicquid à plebe præpoſitis datur; & his verbis ſatis indicat Apoſtolus, non ſibi vſurpare vltra debitum Coapoſtolos ſuos, ſi, ſicut Dominus conſtituit, ex Euangelio viuentes panem manducabant ab eis ſumptum, quibus gratuitam gratiam prædicabant.* Quinetiam, in eo quod recipiebant, non quærebant commoda ſua, ſed merita & fructum donantium, Philip. 4. *Non quæro datum, ſed requiro fructum.*

Quod autem Dominus mendicauerit, vel eius Apoſtoli, numquam reperitur; Nam quod aliquando petiit à muliere Samaritana, Ioan. 4. *Da mihi bibere*, non fuit mendicitas, cum ſit communis vſus aquarum; nec bibere volebat aquam corporalem, cum nondum comediſſet, ſed miſerat diſcipulos in ciuitatem, vt emerent cibos; ſed dicitur ibidem, quod petebat ab ea *Aquam ſpiritualem*, id eſt, *fidem*, & admonebat *quod ipſa peteret Spiritum Sanctum*, vt dicit Gloſſa ibidem.

Item, quod Chriſtus nõ potuerit mẽdicare ab illis, quibus prędicabat, patet ſic; conſtat enim, quod ille *Paſtor erat*, Ioan. 10. *Ego ſum paſtor bonus.* Item, *miſſus eſt ad oues, quæ perierant domus Iſrael.* Sed *Paſtorem*, ſiue *Prædicatorem*, *ſumere ſumptus ab eis, quos tamquam gregem paſcit, non eſt mendicitas, ſed poteſtas*, vt dicit Gloſſa ſuper illud 2. Timoth. 2. *Laborantem Agricolam oportet primum de fructibus percipere*; Ergo cum Chriſtus eſſet *Paſtor*, & *miſſus ad prædicandum*, relinquitur quod ab illis, quibus prædicabat, non poterat mendicare. Immò, qui dicit

eum mendicasse, dicit non fuisse Pastorem, nec fuisse missum à Patre, nec per consequens fuisse Messiam promissum in Lege, nec Filium Dei; vnde qui hoc dicit, destruit fundamentum fidei Christianæ, & est, non tantùm hæreticus, sed etiã Hæresiarcha.

Item, quod dixit Dominus Lucæ 19. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*, non fuit mendicitas, sed vrbanitas; sciebat enim Dominus, quod Zachæus, etsi nondum inuitabat eum, inuitandi tamen animum gerebat; vnde Glossa ibidem *Non inuitatus inuitat, quia etsi nondum audierat vocem inuitantis, audierat tamen affectum.*

QVOD autem *non liceat mendicare validis corpore*, cautum est expresse in Iure humano, C. *De Mendicantibus validis*, L. *vnicâ*; & 31. q. 1. cap. *Quomodò virginibus*, vbi dicit Hieronimus explicans illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Vidua eligatur non minus 60. annorum*; *HOC omne præceptum est de his viduis, quæ Ecclesiæ pascuntur eleemosynis.* Et infrà, *Idcirco ætas præscribitur, vt illæ tantùm accipiant pauperum cibos, quæ iam laborare non possunt.* Et 82. cap. 1. dicitur, *Episcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente suis manibus laborare non possunt, victum & vestitum, inquantùm sibi possibile fuerit, largiatur*; Igitur validis & potentibus laborare non debent dari eleemosynæ pauperum mendicorum; præcipuè quando contemnendo præceptum Apostoli, 1. Thessal. 4. *Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis*, iniustè petunt; & ideo non debemus eis dare quod petunt, sed potiùs correctionem; Matth. 5. *Qui petit à te, da ei*, Glossa, *& si non id quod petit, sed melius, cum iniustè petentem correxeris; VTILIVS enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm eidem panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat*; 5. q. 5. cap. *Non omnis.* Item, sicut *Clericus potens de opibus parentum sustentari, si eleemosynas pauperum receperit, sacrilegium committit, & per abusionem talium iudicium sibi manducat & bibit*, vt legitur 16. q. 1. cap. *Quoniam quicquid*; ita videtur, quod *Validus corpore, qui labore suo vel aliunde sine peccato viuere potest, si eleemosynas pauperum mendicorum recipit, sacrilegium committit.*

Sed dicet quis, *Sunt quidam Regulares, qui licet sint validi corpore, tamen Ecclesia illos diutius mendicare permittit, vel saltem dissimulat*; numquid tales permittendi sunt perpetuò mendicare?

Digitized by Google

Respondemus, *Quod non*; cum faciant contra Apostolum, & alias Scripturas; *& diuturnitas temporis non diminuat peccata, sed augeat*, Extrà; *De Simonia*, cap. *Non satis*. Quapropter, si etiam confirmatum esset ab Ecclesia per errorem, nihilominùs tamen compertâ veritate reuocari deberet; Nam *Sententiam Romanæ Sedis non negamus posse in melius commutari*. 35. q. 9. cap. *Sententiam*; Et sicut *Veritas sæpiùs exagitata magis splendescit in lucem*; ita & *pernicies in iudicium reuocata grauius, & sine pœnitentia*, id est, cum maiori grauitate, ita quod non oporteat deinceps pœnitere, *condemnatur; nam fructus diuinus est iustitiam sæpius recenseri*; ita legitur 35. q. 9. cap. *Graue*. Et quod dicunt aliqui maioris perfectionis esse nihil habere, neque in proprio, neque in communi; quàm nihil habere proprium, sed habere in communi, sicut habent Monachi; contrarium est veritati; cum dicat Prosper 12. q. 1. cap. 13. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri*; & infrà, *Quô facto satis ostenditur, & propria propter perfectionem debere contemni; & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communes, possideri*; Igitur Ecclesiam Regularem habere possessiones communes non impedit, neque diminuit ipsius perfectionem. Sic ergo manifestè apparet ex prædictis, quod nec Prædicatori, nec alteri Christiano licet mẽdicare perpetuò, si aliunde potest habere vitæ necessaria sine peccato. Patet etiam, quod per subtractionem mendicandi, vel necessaria vitæ quærendi, subtrahitur Pseudo-prædicatoribus vsurpatio prædicandi. Et sic patet, qualiter pericula, quæ instant Ecclesiæ per illos, qui penetrant domos, & per alios Pseudo, & per Otiosos, & Curiosos, & Gyrouagos, possunt ab Ecclesia repelli.

Quomodò, & vbi poterunt prædicti periculosi homines inueniri.

CAP. XIII.

CIRCA decimum tertium, ne dicat aliquis, quomodò possunt isti Seductores arceri à Prælatis, & euitari ab ho-

minibus, nisi cognoscantur? quomodò autem cognosci poterunt, aut vbi inuenientur, aut vnde venient isti Seductores? Ideo Nos Professores prædicti Prælatos hoc volentes inquirere, ne deuiare possint, iuuabimus per Scripturas, Dominô concedente, hoc modô.

Certum est, quod isti Seductores non erunt de Barbaris, Gentilibus, aut Iudæis; sed erunt de Christianis; cum dicat Apostolus de illis, 2. Timoth. 3. *Habentes speciem pietatis*; Glos. id est, *Christianæ religionis*; Ergo constat, quod erunt de Christianis.

Item sciendum est, quod cum inter Christianos sint aliqui apertè mali, aliqui occultè mali, qui videntur esse boni; non reperientur isti Seductores inter apertè malos, sed inter illos, qui videntur esse boni; cum dicat Glos. super illud Matth. 7. *Attendite à Falsis Prophetis*, id est, *qui in humilitate ambulant ex falsa religione*; Item super illud 2. Corinth. 6. *In charitate non ficta*, dicit Glos. *Pseudo simulant charitatem, vt decipiant*; Relinquitur ergo, quod erunt de apparentibus bonis, aliter enim seducere non possent.

Item, cum inter occultè malos, & apparentes bonos, quidam sint semper vacantes studio literarum, quidam non semper vacantes; Seductores isti reperientur inter illos, qui semper vacant studio literarum, vnde Apostolus de illis dicit 2. Timoth. 3. quod erunt *semper discentes*; Et quod sequitur, *Numquam tamen ad scientiam veritatis peruenientes*, intelligendum est de veritate vitæ & bonæ operationis ducente ad vitam æternam, ad quam finaliter non peruenient; quoniam, etsi multa sciant vera veritate cognitionis, aut enuntiationis, non tamen peruenient, id est, finaliter venient ad veritatem vitę & bonæ actionis, de qua dicit Dominus Ioan. 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem*; secundùm quod distinguit Anselmus veritatem in lib. *De veritate*. Immò finaliter *resistent veritati, sicut Iamnes, & Mambres restiterunt Moysi*, vt sequitur ibidem. Scientiam enim veritatis appellauit Apostolus viam, quæ ducit ad vitam; Vnde super illud, *Numquam ad scientiam veritatis peruenientes*, dicit Glos. *Semper ambulant, & nunquam ad viam perueniunt. Nos autem semper ambulemus in via, donec eò perueniamus, quò ducit via*; id est, donec peruenianus ad vitam æternam. Sic ergo apparet, quòd inter illos inuenien-

Digitized by Google

tur, qui semper vacant studio literarum.

Item, quod inter literatos inuenientur, dicit Glos. Gregorij lib. 13. Moral. super illud Iob, *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me.* Gregorius. *Sicut Incarnata Veritas in prædicatione sua pauperes idiotas, & simplices elegit; Sic è contrà Antichristus ad prædicandum falsitatem suam, astutos, & duplices huius mundi electurus est; id est, tales, qui scientiam, quam habent, ad astutias huius mundi conuertent.*

Item, inter literatos quærendi sunt, non quoscumque; sed inter illos, quorum consilium reputatur pretiosum, & maximum, & optimum, quasi si quis consulat Dominum; sicut dicitur de Achitophel, 2. Reg. 16. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus suis, quasi si quis consuleret Dominum, & cùm esset cum Dauid, & cùm esset cum Absalom.* Isti autem rectè significantur per Achitophel, qui priùs fuit cum Dauid, & posteà adhæsit Absalom; ita enim isti priùs adhærebunt Christo, 2. Timoth. 3. *Habentes speciem pietatis*; Glos. *quià eadem Sacramenta nobiscum recipient*; in fine verò erunt contrarii Christo, quoniam à Christo recedent, & à fide ipsius, 2. Timoth. 3. *homines corrupti mente, reprobi circa fidem.*

Item, inter vacantes studio literarum, quidam sunt obligati tantùm ad præcepta Domini, & non ad consilia; quidam verò ad consilia, & præcepta, vtpotè qui summam humilitatem, summam paupertatem, & summam continentiã profitentur; & isti inter membra Ecclesię, electa membra videntur. Inter istos autem inuenientur Seductores prædicti, qui Ecclesiam persequentur, potestatem Ecclesiæ sibi vsurpando, & tandem fideles Iesu Christi in errorem mittendo, vt dictum est suprà. Et hoc dicit Gregor. super illud Iob 30. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illicò surrexerunt.* Gregorius. *Ad dexteram Orientis illicò calamitates insurgunt, quia ij ad persecutionem Ecclesiæ prosilient, qui electa membra Redemptoris esse credebantur.* Sic ergo, quoniam illi, qui ad consilia se obligarunt, & illa tria, quę prędicta sunt, profitentur, electa membra Ecclesię esse creduntur; Relinquitur secundùm Gregorium, quod isti Seductores inter illos inuenientur, qui ad consilia se obligauerunt, & altissimam paupertatem, & continentiam, & humilitatem profitentur.

Item, quod isti Seductores inueniri debeant inter illos, qui sanctiores, & sapientiores in Ecclesia apparebunt; potest haberi per illud, quod dicit Glossa super illud Matth. 2. *Futurum est, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*: Glossa, *Quàm citò Christus apparuit mundo, incepit in eum persecutio, quæ figuranit persecutionem Sanctorum*, Et secundùm Gloss. istam, sicut illi, qui primo aduentu eius se opposuerunt Christo, sapientiores, & sanctiores aliis videbantur; scilicet Scribæ, & Pharisæi; sic illi, qui in fine resistent testibus Christi, id est, prædicatoribus veritatis, sapientiores, & sanctiores aliis, qui erunt in Ecclesia, apparebunt.

Inuenientur ergo Seductores isti, inter Christianos apparentes pios, studio literarum semper deditos, astutos, & sciolos, in consiliis dandis famosos, non tantùm ad præcepta Domini, sed etiam ad consilia obligatos; & tales, qui sapientiores, & sanctiores in Ecclesia apparebunt, propter quod electa membra Redemptoris esse credentur; & ideò vehementer, & subitò nocebunt Ecclesiæ; quia non sunt ab ea extranei, sed quasi in visceribus Ecclesiæ reputatione hominum constituti. Et hoc est, quod subiungit Gregor. in Glossa prædicta Iob 30. dicens, *Rectè asserit illos contra Ecclesiam illicò surgere, quia dum non sunt extranei, qui persequuntur, ab eis repentè, & illicò mala fiunt.* Nunc enim paulatim congregantur in Ecclesia homines ficti, & hypocritæ sub specie religionis, vt pariant magnum populum de seipsis & aliis sequacibus, eorum Anticliristo venienti. Vnde super illud 2. Thessal. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis*, dicit Glos. Augustin. sumpta ex libro de Ciuit. Dei cap. 19. *Quidam putant hoc omne dictum esse de malis & fictis, qui sunt in Ecclesia tam diu, donec perueniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum faciant populum; & hoc dicunt esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum*. Sic ergo apparet, inter quos quærendi, & inueniendi sint prædicti Seductores.

Signã

Signa plurima, quædam infallibilia, quædam verò probabilia, per quæ poterunt prædicti homines cognosci.

CAP. XIV.

CIRCA decimum quartum, præter deductionem iam factam, quoniam Seductores prædicti dicturi sunt se esse Apostolos, siue à Deo missos ad prædicandum, & ad saluandum animas per ministerium suum, iuxta illud Apostoli, 2. Corinth. 11. *Eiusmodi Pseudo-Apostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*; ideò ostendemus quædam signa infallibilia, quædam verò probabilia, per quæ discerni poterunt Pseudo-Apostoli à veris Apostolis Christi.

Primum signum est, quod *Veri Apostoli non penetrant domos, nec captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis*, sicut faciunt Pseudo; 2. ad Timoth. 3. *Ex his sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Et hoc expositum est suprà, 2. & 5. capitulis. Illi ergo Prædicatores, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Secundum signum est, quod *Veri Apostoli non decipiunt corda simplicium verbis compositis, quibus traditiones suas commendant*, sicut faciunt Pseudo; Rom. vlt. *Per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium.* Glos. *Compositis verbis traditiones suas commendant, quibus simplicium corda decipiunt.* Adeò autem seducunt corda simplicium, quod faciunt eos ingredi sectam suam, quam *Religionem* appellant; & *Qui priùs in simplicitate viuebant*, post ingressum suum, *fiunt astuti, hypocritæ, pseudo, & penetrantes domos*, vnà cum illis; *& quandoque fiunt illis peiores.* Vnde Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum; & cùm fuerit factus; facitis eum filium gehennæ duplò, quàm vos.* Illi ergo qui hoc faciunt, non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Tertium ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli, ſi arguantur, patienter ſuſtinent.* 2. ad Corinth. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia*; Gloſſa, *Patientiam commemorat, quæ ad mores Prædicatoris pertinet.* Qui ergo non ſuſtinent correctionem, veri Apoſtoli non ſunt; immò oſtendunt ſe non eſſe Chriſtianos. 1. Corinth. 3. *Nemo poteſt dicere, DOMINVS IESVS, niſi in Spiritu Sancto.* Gloſ. *Humiliari debent Chriſtiani, vt patiantur ſe argui, non adulationibus deliniri.* Item, tales oſtendunt ſe eſſe carnales, licet ſimulent ſe eſſe ſpiritales. Galat. 4. *Ergo factus ſum vobis inimicus, verum dicens.* Gloſ. *Nemo carnalis vult ſe argui errantem.* Illi ergo Prædicatores, qui correctionem non ſuſtinent, non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Quartum ſignum eſt, quoniam *Veri Apoſtoli non commendant ſeipſos*; 2. Corinth. 4. *Non prædicamus noſmetipſos*; & 2. Corinth. 19. *Non audemus nos inſerere, aut comparare quibuſdam, qui ſeipſos commendant*; Gloſ. *ſicut Pſeudo, qui ſeipſos commendant quibuſdam artibus, non Deus eos.* Item, veri Apoſtoli, etſi per bona opera reddant ſe commendabiles ad omnem conſcientiá hominum, non ad oculos tantùm, vt dicit Apoſtolus 2. Corinth. 4. *Commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*; Non tamen commendant ſe in comparatione ad alios. Vnde Gloſ. ibid. *Commendabiles nos facientes ſine comparatione aliorum.* Immò præferunt ſibi virtutes aliorum; Vnde 2. Petri vlt. *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi à Deo ſapientiam ſcripſit vobis.* Gloſ. *Primus Apoſtolorum oblitus ſui primatus, & datarum ſibi clauium, datam Paulo ſapientiam miratur; quia mos eſt electorum, vt magis aliorum, quàm ſuas mirentur virtutes.* Et Phil. 2. *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.* Qui ergo contrarium faciunt, dicentes ſtatum, aut traditiones ſuas eſſe meliores aliis, ſi ſunt Prædicatores, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Quintum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non indigent commendatijs literis; nec faciunt ſe ab hominibus ad homines per literas commendari.* 2. Corinth. 3. *Numquid egemus commendatitijs literis, ſicut quidam?* Gloſ. *ſicut Pſeudo.* Ergo, qui contrarium faciunt, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Sextum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non prædicant niſi miſſi.* Rom. 10. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur.* Gloſ. *Non*

Digitized by Google

ſunt veri Apoſtoli niſi miſſi, nulla enim ſigna virtutum eis teſtimonium perhibent. Qui autem miſſi ſint, dictum eſt ſuprà, 2. capitulo. Qui verò non miſſi prædicant, Pſeudo ſunt.

Septimum ſignum eſt, quod *Pſeudo, cùm authoritatem à Deo non habeant, nomini ſuo vendicant authoritatem;* vnde 2. Corinth. 10. ſuper illud; *Non audemus nos inſerere, aut comparare quibuſdam*, dicit Gloſ. *Pſeudo non acceptâ à Deo poteſtate, ſed vſurpatâ dominari volunt, nomini ſuo vendicantes authoritatem.* Et ideò, licet forſitan dicant ſe miſſos à Deo per inſpirationem, ſicut omnes Hæretici; tamen, niſi probauerint ſuam miſſionem, aut per ſpiritualem prophetiam, ſicut Ioan. Baptiſta dicens, *Ego vox clamantis in deſerto, ſicut ait Iſaias Propheta.* Ioan. 1. aut per miraculum, ſicut Moyſes virgam conuertit in colubrum, & è contrà, Exod. 7. excommunicari debent, donec ceſſent à prædicando, Extrà, *De Hæret.* cap. *Cùm ex iniuncto.* Et quamuis miracula facerent; non eſſent tamen ſufficiens teſtimonium miſſionis; cùm fiant frequenter à malis. 1. q. 1. cap. *Teneamus.* Et maximè in finali Eccleſia, vbi ſuſpecta debent eſſe miracula, cùm dicat Dominus Matt. 24. *Surgent Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia.* Illi ergo, qui nomini ſuo vendicant authoritatem, cùm à Domino non habeant, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Octauum ſignum eſt, quod *Pſeudo prætendentes ſapientiam in ſuperſtitione, & humilitate, traditiones ſuas Religionem appellant, quæ potiùs ſunt ſacrilegium*; quoniam aliorum iura ſibi vſurpant, gloriando ſcilicet in plebibus alienis. Vnde Coloſ. 2. loquens Apoſtolus de Pſeudo dicit; *Secundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate.* Gloſ. *Id eſt, in ſimulata Religione; quia traditioni humanæ nomen Religionis applicant, vt Religio appelletur, cùm ſit ſacrilegium; quia quod contra Authorem eſt, ſacrilegâ mente inuentum eſt.* Certum eſt autem, quod contra Authorem, id eſt, contra Deum eſt, velle regere populum ſine mandato, aut authoritate illius, qui Plebanus eſt. Deut. 23. *Ingreſſus vineam proximi tui comede vuas, quantùm tibi placuerit; foras autem ne auſer acceptum.* Gloſ. *In alterius Epiſcopi Eccleſia poteſt alter aliquos corrigere, vel monere; totam verò plebem non licet ei regere, vel magna negotia tractare; Et quod non licet Epiſcopo in Dioceſi aliena, hoc non licet ei, qui nulli præeſt in-*

riſdictioni. Ad hoc facit, quod legitur 6. q. 3. cap. *Scriptum eſt*, & 9. q. 2. per totum. Illi ergo Prædicatores, qui traditiones ſuas contra Deum, ſiue contra Scripturas Diuinas, factas, *Religionem* appellant, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Nonum ſignum eſt, quoniam *Cùm Pſeudo ex poteſtate, quam habent, non ſint Euangeliſtæ, aut diſpenſatores Sacramentorum; tamen viuere volunt de Euangelio, non de labore manuum*; contra illud Apoſtoli 2. Theſſal. 3. *Neque gratis manducauimus panem ab aliquo, ſed in labore, & fatigatione, nocte & die operantes.* Gloſ. *Iſti Pſeudo multò magis viuere debent de labore ſuo, qui non habent poteſtatem hanc, quam habemus*, ſcilicet, *viuendi de Euangelio.* Et hoc expreſſiùs dicit Auguſtin. in lib. *De opere Monachorum*, in his verbis. *Iſti fratres noſtri temerè ſibi arrogant (quantùm exiſtimo) quod eiuſmodi habeant poteſtatem, ſcilicet, viuendi de Euangelio; Si enim Euangeliſtæ ſunt, ſi miniſtri altaris ſunt, ſi diſpenſatores Sacramentorum ſunt; fateor, habent.* Quaſi diceret. *Si tales non ſunt, non habent poteſtatem viuendi de Euangelio.* Illi ergo Prædicatores, qui, cùm non habeant poteſtatem viuendi de Euangelio, aut diſpenſandi Sacramenta Eccleſiaſtica (vtpotè, qui plebem non habent, & non præſunt regimini animarum) viuere volunt de Euangelio, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Decimum ſignum eſt, quod *Pſeudo Apoſtoli potiùs ſe gaudent commendari, quàm Dei doctrinam*; Veri autem Apoſtoli è contrario. 1. Theſſ. 2. *Neque quærentes ab hominibus gloriam.* Gloſſa, *Tangit Pſeudo, qui ſe potiùs, quàm Dei doctrinam commendari volebant; Apoſtolus autem, qui non ad præſens, ſed in futuro gloriam quærebat, ſe humilem faciebat, vt Dei prædicatio exaltaretur.* Illi ergo Prædicatores, qui ſe potiùs, quàm Dei doctrinam commendari volunt, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vndecimum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli propter Deum, & ſalutem animarum tantùm prædicant; non propter temporale lucrum*; 2. Cor. 4. *Non prædicamus noſmetipſos.* Gloſſ. *Prædicatio noſtra non ad gloriam noſtram tendit, vel lucrum noſtrum, ſed ad gloriam Chriſti.* Sed prædicatio Pſeudo ad contrarium tendit; vnde ſuper illud Philip. 1. *Siue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur*, dicit Gloſſ. *Pſeudo ex*

Digitized by Googl

occaſione Euangelizant, quærentes commoda ſua, vel pecuniaria, vel honorum, vel laudis humanæ, à quolibet volentes accipere munera; non tam ſalutem quærentes eius, cui annuntiant, quàm commodum ſuum. Et infrà. *Quiſquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non caſtè Deum quærit;* Vnde 2. Corinth. 12. *Non quæro quæ veſtra ſunt.* Gloſ. *Non diuitias veſtras in auro, vel argento; SED vos.* Gloſſ. *Quod aliter non fieret, niſi à ſumptibus abſtinerem.* Et infrà, *Vt intelligentes quià pecuniæ præponeret eos, tandem cognoſcerent affectum illius erga ſe.* Illi ergo prædicatores, qui propter lucrum temporale, aut propter honorem mundanum, aut propter laudem humanam prædicant, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Sed quomodò ſcietur, *Quandò prædicant ad gloriam ſuam?* Reſpondemus, quando prædicant non vocati. 2. Corinth. 11. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Gloſſ. *Quod non poteſt ille, qui non habet à Domino poteſtatem.* Poteſtatem autem à Domino non habet, qui à Deo vocatus non eſt, id eſt, ab Eccleſia. Ad Heb. 5. *Nec quiſquam aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron;* Gloſſ. *A Deo vocatur, qui ab Eccleſia rectè eligitur.*

Duodecimum ſignum eſt, quoniam *Pſeudo ſimulant ſe habere maiorem zelum animarum, quàm animarum Rectores, & Paſtores;* cùm tamen earum curam non habeant; contra illud, quod dicit Gloſſ. ſuper illud. 1. Theſſ. 2. *Facti ſumus ſicut paruuli inter vos, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Gloſſ. *Alienos filios nutrit mulier pro mercede, non ex amore; proprios verò ex dilectione.* Illi ergo Prædicatores, qui ſimulant ſe habere maiorem zelum animarum, quàm earum Rectores, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Tertiumdecimum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non ſtudent eloquentiæ, aut compoſitioni verborum;* Pſeudo autem è contrario. 2. Corinth. 11. *Nam ſi imperitus ſermone.* Gloſſ. *Non erant eloquentes Apoſtoli, ſed Pſeudo verba componebant.* Item ſuper eod. alia Gloſſ. *Corinthij præferebant Pſeudo veris Apoſtolis, causâ accurati ſermonis.* Item 1. Corinth. 1. *Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti;* Gloſſ. *Non in lepore, & ornatu verborum, quia Religio Chriſtiana non indiget pompâ, & cultu ſermonis.* Item 2. Corinth. 1. *Quod loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis;* Gloſſ. *ſicut faciebant Pſeu-*

do. Malebat enim Apoſtolus verba ſua ſolâ veritatis puritate oſtendere, quàm eloquentiâ orationem fuſcare. Illi ergo qui ſtudent eloquentiæ, aut compoſitioni verborum, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Decimumquartum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non adulantur hominibus quæſtus causâ, ſicut Pſeudo adulantur*; de quibus ideo dicitur Ezech. 13. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite vniuſcuiſque ætatis.* Gloſſ. id eſt, *ſuauem adulationem*; *ET VIOLABANT ME ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Gloſ. id eſt, *pro refectione ventris*; *VT INTERFICERENT ANIMAS, quæ non moriuntur.* Gloſ. *Mortuas dicens, ſi non datur quidpiam in ore eorũ*; *ET VIVIFICARENT ANIMAS, quæ non viuunt.* Gloſ. *Falſi Prophetæ Iuſtis viuentibus in Domino, & nihil eis dantibus, prophetabãt mortem & infortunia; & Iniuſtis, qui per peccatum ſunt mortui, prophetabant vitam & proſpera, propter eorum dona.* Item 2. Cor. 6. *Exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros*; Gloſ. *Miniſtri Dei non adulantur, ſicut faciunt Pſeudo, ſtudentes lucro.* Et ideo veri Apoſtoli non conuerſantur in Curiis Principum & Magnatum, ſcientes illud Matth. 11. *Ecce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*; Gloſ. *Rigida vita, & predicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant induti mollibus adulantes.* Illi ergo Prædicatores, qui in Curiis commorantur, vel alibi adulantur, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Decimumquintum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non circumueniunt homines, vt dent eis bona temporalia*, ſiue in vita, ſiue in morte; *Immò & rogati recipere nolunt.* Vnde 2. Corinth. 8. dicit Apoſtolus, *Cum multa exhortatione obſecrantes nos.* Gloſ. *cùm timens eis non aſſentirem, vt eis permitteremus habere gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos; obſecrabant nos, vt liceret eis dare ſua, non quaſi propria, ſed quaſi communia.* Pſeudo autem è contrario, vel importunè petunt, vel ſaltem blandè auferunt. 2. Corinth. 7. *Neminem circumuenimus*; Gloſ. *fraudulentâ rerum ſuarum ablatione, vt Pſeudo faciunt, qui veſtra blandè auferunt.* Item Matth. 24. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domos Viduarum, orationes longas orantes.* Gloſ. *Qui veſtrâ ſuperſtitione nihil intenditis, niſi vt prædam de ſubiectâ plebe faciatis.* Et Luc. 20. *Qui deuorant domos Viduarum,*

Digitized by Google

ſimulantes longam orationem. Gloſ. *Vt religioſiores appareant, prolixiùs orant, vt ab infirmis, quaſi patroni, laudes & pecunias accipiant; quorum oratio fit in peccatum; quia nec alijs, nec ſibi poſſunt proficere ad ſalutem; Immò pro ipſis orationibus, cum per eas alios deceperint, magis damnabuntur.* Per hoc autem, quod aurum & argentum recipiunt, apparet, quod non cauſâ ſalutis aliorum prædicant, ſed cauſâ lucri. Matth. 10. *Nolite poſsidere aurum & argentum.* Gloſ. *Quia qui hæc haberent, viderentur, non cauſâ ſalutis prædicare, ſed lucri.* Item dicit Hieron. ſuper cap. 3. Michææ, *Quod quia quidam Prophetæ pecuniam accipiebant, Prophetia eorum facta eſt Diuinatio*; id eſt, *Prophetia eorum declarata eſt non eſſe Prophetia, ſed Diuinatio*, id eſt, *non eſſe à Deo, ſed eſſe à Diabolo.* Et hoc legitur 1. q. 1. cap. *Numquam.* Illi ergo Prædicatores, qui circumueniunt homines, vt dent eis bona temporalia, ſiue in vita, ſiue in morte, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Decimum ſextum ſignum eſt, quod *Pſeudo, quando prædicatur aliqua veritas eis inſolita, & aſpera, irritantur, & latrant in contrarium*; Vnde de illis dicit Apoſtolus Philip. 3. *Videte canes.* Gloſ. *Id eſt, cognoſcite illos eſſe canes, non ratione, ſed conſuetudine, contra inſolitam veritatem latrantes.* Et infrà. *Benè ergo canibus comparat; quia ſicut canes conſuetudinem magis ſequuntur, quàm rationem; Ita Pſeudo-Apoſtoli conſuetudinis legem tenent, & contra veritatem irrationabiliter latrant, & mordent.* Item 2. Timot. 4. *Secundùm deſideria ſua coaceruabunt ſibi magiſtros*; Gloſ. *Qui ea doceant, quæ libenter audiant, quia veritas eis aſpera videbitur.* Illi ergo Prædicatores, qui latrant contra veritatem eis inſolitam, & eis aſperam, & procurant, quod illa veritas taceatur, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Decimum ſeptimum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli nolentibus recipere eos nullam molestiam inferũt, ſed eos dimittunt*, ne videantur quærere aliquid terrenum. Matth. 10. *Quicunque non receperint vos, exeuntes foras deciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris*; Gloſ. *Vt oſtendatis appetitum terrenorum non eſſe in affectibus veſtris* Illi ergo Prædicatores, qui vt recipiantur ab hominibus, per lites contendunt, veri Apoſtoli non ſunt precipuè cum dicat Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Si quis videtur inter vos contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus in Eccleſia Dei.*

Digitized by Google

Decimum octauum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli Principes*, quorum fauorem ſunt adepti, *non prouocant contra illos, qui eos recipere nolunt*; ſecundùm quod legitur in vita Simonis, & Iudæ Apoſtolorum, vbi dicitur; *Iratus Dux iuſſit copioſum ignem accendi, vt Pontifices ibi præcipitarentur, & ij omnes, qui Apoſtolos Chriſti obfuſcare videbantur; Apoſtoli autem proſtrauerunt ſe ante Ducem dicentes, OBSECRAMVS DOMINE, NE FIAMVS CAVSA INTERITVS EORVM; NE QVI PRO SALVTE HOMINVM HIC MISSI SVMVS, VT VIVIFICAREMVS MORTVOS, VIVENTES OCCIDERE VIDEAMVR.* Illi ergo Prædicatores, qui Principes eis fauorabiliores prouocant, contra illos, qui eos non recipiunt, aut quos odiunt, veri Apoſtoli Chriſti non ſunt, ſed Pſeudo.

Decimum nonum ſignum eſt, quod *Apoſtoli Chriſti non ſolùm habent cognitionem de ijs, quæ fecit Deus; ſed etiam de ijs, quæ facturus eſt in fine mundi.* Vnde Apocal. 4. *Animalia erant plena oculis antè, & retrò.* Gloſ. *Id eſt, fideles habentes cognitionem de ijs, quæ fecit Deus, vel facturus eſt in fine mundi.* Illi ergo, qui dicunt ſe ignorare pericula finalis Eccleſię, quę prædicta ſunt; aut non curant de illis, ac ſi ignorarent; non habent oculos, antè, & retrò; vnde non ſunt veri Apoſtoli; ergo cùm dicunt ſe eſſe Apoſtolos, Pſeudo ſunt.

Vigeſimum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non capiunt temporalia bona illorum, quibus prædicant*; per quod diſcernuntur à Lupis, id eſt à Pſeudo. Vnde Actor. 20. *Argentum, & aurum nullius concupiui.* Gloſ. *In hoc cognoſcuntur Lupi, quod hoc concupiſcunt.* Et infrà. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & ijs, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Gloſ. *Exemplum operandi etiam Epiſcopis, & ſignum, quô diſcernuntur à Lupis.* Tales enim, qui petunt ab eis, quibus prædicant; aut alius nomine ipſorum; videntur committere Simoniam, ad inſtar Giezi, de quo legitur, 3. Reg. 16. quod petiuit veſtes à Naaman Syro, cui Dominus eius ſcilicet Eliſæus, dederat gratiam ſanitatis; & pro tanto dicitur Giezi vendidiſſe gratiam ſanitatis Naaman Syro; licet petiiſſet veſtes Domino ignorante, vt dicit Gregor. Nazian. 1. q. 1. cap. *Qui ſtudet.*

Sed dicet quis; *Nonne poteſt Prædicator ab illis, quibus prædicat, ſumptus petere, ſaltem mendicando?*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondemus; *Si prædicat ex poteſtate*, vt tamquam verus Paſtor paſcat gregem ſuum pabulô verbi, *Sumptus poteſt recipere*; Sed tunc *non eſt mendicitas, ſed poteſtas.* 2. Timoth. 2. *Laborantem Agricolam oportet primùm de fructibus percipere*; Gloſſ. *Caſtum Euangeliſtam ſecurum facit, & vult, vt intelligat, quod neceſſaria ſumere ab eis, quos tamquam gregem paſcit, non eſt mendicitas, ſed poteſtas.* Sed quod Prædicator valeat mendicare, numquam in ſacris literis reperitur; ſed mendicitas omni Chriſtiano ab Apoſtolo prohibetur, & à Salomone abhorretur, & ab Auguſt. & aliis Sanctis Expoſitoribus reprobatur, vt oſtenſum eſt ſuprà, 12. capitulo. Sic ergo patet, quod veri Apoſtoli bona temporalia eorum, quibus prædicant, non cupiunt, nec etiam mendicant. Qui ergo petunt ab illis, quibus prædicant; aut alius pro ipſis; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vigeſimum primum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli in tribulationibus patientes ſunt; nec reddunt malum pro malo.* Vnde Matt. 10. *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio Luporum.* Gloſ. *Qui locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare.* Et hoc exemplô Domini, de quo 1. Petri 2. *Qui cùm maledicereturr, non maledicebat; tradebat autem ſe iudicanti iniuſtè.* Qui ergo malum non tolerant, ſed potiùs inferunt; non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vigeſimum ſecundum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli in primo aduentu ſuo malè recipiuntur*, Sicut dicit Dominus Matth. 23. *Odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum*; *SED poſteà vincunt*, Iuxta illud, 1. Ioan. 5. *Omne quod eſt ex Deo, vincit mundum.* Illi ergo, qui è contrario in principio lætantur, & benè ſuſcipiuntur, in fine autem reſpuuntur; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vigeſimum tertium ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non vadunt ad prædicandum illis, qui alios habent Apoſtolos*; quia nolunt gloriari in plebibus alienis. Rom. vlt. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi annuntiatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Et 2. Cor. 10. *Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus.* Gloſſ. *Vbi alius fundamentum fidei poſuiſſet.* Item in eodem, *Non habentes ſpem gloriari in aliena regula.* Id eſt, *in commiſſis alterius regimini.* Præcipuè cùm dicat Gregor. in Moralib. *Cùm locus ſuperior imperatur, is, qui*

ad participanda hæc obedit, obedientiæ ſibi meritum euacuat, ſi ad hæc ex propoſito anhelat. Item Auguſt. *Honor debet quærere te, non tu honorem.* Item Chryſoſt. *Primatus fugientem deſiderat, deſiderantem horret.* Illi ergo, qui non inuitati procurant, & gaudent prædicare plebibus alienis, quod eſt officium honoris, præcipuè in Conciliis, & Synodis, & Conuentibus magnis, necnon in Curiis Regum, & Prælatorum, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vigeſimum quartum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli, etiam quando magnum profectum faciunt in Eccleſia, non inde extolluntur.* Ezech. 3. *Fili hominis dedi faciem tuam, vt adamantem.* Adamas, quando attrahit ferrum, non inde extollitur, nec mutatur; ſimiliter verus Apoſtolus, quando prædicatione ſuâ attrahit peccatores duriſſimos, etiam ſicut ferrum, non inde extollitur. Item Luc. 17. *Cum omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Et Pſal. 113. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Qui ergo de fructu, quem in Eccleſia Dei ſe facere dicunt, arroganter ſe iactant dicentes, *Nos illuminauimus Eccleſiam vniuerſam, quæ ante tempora noſtra cæca erat; & extinximus flammam peccatorum in Eccleſia Dei*; cùm forſitan magis promouerint hypocriſim; non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo; de quibus dicitur in Canonica Iudæ, *Os eorum loquitur ſuperba.*

Vigeſimum quintum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non quærunt fauorem mundi, nec placere hominibus.* Gal. 1. *Si adhuc hominibus placerem*, Gloſſ. *id eſt, placere vellem*; SERVVS *Chriſti non eſſem.* Vnde 1. Theſſ. 2. *Non quaſi hominibus placentes*, Gloſſ. *Id eſt placere quærentes, nec enim ſpeciem placentis habemus.* Illi ergo Prædicatores, qui quærunt fauorem mundi, & ad hoc laborant, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vigeſimum ſextum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli oblatis ſibi cibo & potu ſunt contenti, nec quærunt cibaria lautiora*, luxta illud Luc. 10. *Edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt.* Gloſ. *Sumptus ex Euangelio concedit, ita tamen, vt oblatis cibo & potu ſint contenti.* Illi ergo Prædicatores, qui licet non ſint poteſtatem habentes, tamen offenduntur, quando non miniſtrantur eis cibaria lautiora, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Vigeſimum ſeptimum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli plùs diligunt Legem Chriſti, quàm proprium honorem*; luxta illud

Digitized by Google

Prouerb. 7. *Serua legem meam, quasi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis, & scribe illam in tabulis cordis tui.* Et super illud Psal. 118. *Bonum mihi Lex oris tui, super millia auri & argenti*, dicit Gloss. *Christus plùs diligit Legem Dei, quàm cupiditas millia auri & argenti.* Qui ergo videns Legem Christi conculcari, & tolli per Euangelium illud maledictum, quod appellant *Euangelium Æternum*, negligit & contemnit, vel forsitan dissimulando consentit; & tamen pro honore suo temporali conseruando, vel quærendo, lites suscipere, & scandala incurrere non horrescit; non videtur esse Apostolus Christi, sed Pseudo, si fuerit Prædicator.

Vigesimum octauum signum est, quod *Veri Apostoli non quærunt hospitia opulentiora*, siue vbi melius procurentur; *sed honestiora*, & vbi gratulantiùs eis detur; *Et ab illis tantùm recipiunt, quos credunt reputare sibi maiorem gratiam fieri, si recipiatur munus eorum, quàm si eis munus daretur*; Iuxta illud Matth. 10. *In quamcunque ciuitatem, vel castellum, intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.* Gloss. *Testimoniô vicinorum eligendus est hospes, ne eius infamiâ prædicatio ledatur.* Nec est cursitandum per domos, sed statim ad eum diuertendum, *Qui est dignus.* Gloss. *Qui scit se magis accipere gratiam, quàm dare.* Hoc est, *qui libenter dat pro Christo, non pro alio commodo.* Item *Veri Apostoli non recipiunt ab illis, qui adhuc in peccatis suis iacent, sed ab emendatis*; Vnde 2. Cor. 8. *Sed semetipsos dederunt primùm Domino.* Gloss. *Qui emendantes errores pristinos ac morum vitia Deo se vouerunt, deinde Fratribus munera sua obtulerunt; aliter enim non erat accipiendum ab eis, quia & munera excæcant oculos, & iura authoritatis inclinant; Qui verò dant, vt non arguantur, fructum dandi non habent.* Illi ergo Prædicatores, qui quærunt hospitia, vbi melius pascantur; & recipiunt munera malorum diuitum, vt eorum mala tegant; vel illorum munera recipiunt, qui magis dant propter importunitatem tollendam, vel præsentem verecundiam, quàm propter Deum; non sunt veri Apostoli, sed Pseudo; Iuxta illud 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Gloss. *Qui propter præsentem pudorem dat aliquid, vt tedio interpellantis careat, & rem & meritum perdit*; Vnde quia tali recipit, non quærit fructum, sed datum; contra illud Apostoli Philipp. 4. *Non quæro datum, sed requiro fructum.*

Vigesimum nonum signum est, quod *Veri Apostoli non laborant curare negotia aliena, vt exinde pascantur*; quia talium Deus venter est, iuxta illud 2. Thess. 3. *Audiuimus quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes.* Gloss. *de negotijs alienis; & hoc modò pasci merentur. Quod factum abhorret disciplina Dominica; eorum enim Deus venter est, qui fœdâ curâ necessaria sibi prouident.* Illi ergo Prædicatores, qui talia faciunt, non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum signum est, quod *Veri Apostoli non gaudent de miraculis, vel aliis factis elegantioribus, quæ facit Dominus per eos, vt de illis cupiant honorari; sed potiùs gaudent de salute, quam à Domino expectant*; Iuxta illud Luc. 10. *In hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subijciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Illi ergo, qui gloriantur de miraculis suis, vel suorum; & de hoc, quod per eorum ministerium saluantur multi, vt dicunt; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum primum signum est, quod *Veri Apostoli numquam gloriam suam quærunt in hac vita, sed gloriam Christi*; Iuxta illud, Ioan. 7. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum*, Id est, â quo se dicit missum, *Verax est.* Illi ergo, qui quærunt ea, quæ pertinent ad gloriam huius mundi (quorum vnum est regnantibus assistere, iuxta illud Boëtij de Consolat. *Qui in potentia extolli cupiunt, aut ipsi regnant, aut regnantibus adhærere conantur.* Alterum verò est velle vincere, vbi non est præmium apud Deum; vnde super illud, Gal. 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Gloss. *Inanis gloriatio est velle vincere, vbi non est præmium*) In quantùm talia quærunt, non videntur, veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum secundum signum est, quod *Veri Apostoli fugiunt solemnitates hominum, & salutationes, & conuiuia*; Iuxta illud Hieron. ad Nepotianum. *Obsecro te, siue hîc, siue ibi fueris; multitudines hominum, salutationes, officia, & conuiuia, quasi quasdam catenas voluptatis, fuge.* Illi ergo qui quærunt, & amant consortia, & conuiuia, & officia potentum sæcularium, & diuitum; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum tertium signum est, quod *Veri Apostoli non*

Digitized by Google

frequenter conueniunt ad alienam mensam, ne adulatores fiant, secundùm quod dicit Gloss. 2. Thess. 3. super illud, *Vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Gloss. *Qui frequenter ad alienam mensam conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se; cùm tamen Religio nostra*, scilicet Christiana, *ad libertatem homines aduocet.* Illi ergo, qui ad alienam mensam libenter, & frequenter conueniunt, cum otio corporali, non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum quartum signum est, quod *Veri Apostoli non odiunt homines, etiam inimicos, & odientes eos*; Iuxta doctrinam Domini Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos.* Pseudo verò Prophetæ proximos lædunt, & diffamant. Vnde super illud Ierem. 23. *A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram*, dicit Gloss. *Non sufficit eis proximos ladere, sed quos semel oderunt, per totum orbem conantur diffamare.* Illi ergo Prędicatores, qui oderunt illos, quos inimicos reputant, & eos diffamant; non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum quintum signum est, quoniam *Pseudo quando examinantur, siue probantur, vtrum sint veri Apostoli, vel mendaces, non patienter sustinent*, quod faciunt veri Apostoli; *sed potiùs illos, qui sic probare volunt, persequuntur, & ad persequendum illos per terrenas potestates simul se iungunt*; Sicut fecerunt quidam Pseudo in primitiua Ecclesia, contra Episcopum Ephesinum, cui dicit Dominus Apoc. 2. *Scio*, id est *APPROBO, opera tua, & laborem tuum*, id est, *tribulationem*; Et *quoniam non potes sustinere malos*; Gloss. *quin emendes, vel expellas*; Et *probasti eos, qui se dicunt Apostolos, & non sunt*; Gloss. *Id est, eos qui missos à Deo se dicunt, vt facilius decipiant.* Et *inueneristi eos mendaces, & patientiam habes*; Gloss. *In malis, quæ ipsi coniuncti per terrenas potestates ingerunt.*

Trigesimum sextum signum est, quod *Veri Apostoli non vadunt prædicaturi eis, qui iam per alios conuersi sunt*; Sed potiùs ad eos conuertendos sese accingunt, qui nondum sunt conuersi per alios; *Ne super alienum fundamentum ædificent*; Sicut fecit B. Paulus. Rom. 15. *Ita laboraui, vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum mare repleuerim Euangelium.* Glossa, id est, *Plene prædicauerim*. In quo magna semper Sancti virtus apparet; quod tot gentes per

eum Euangelium receperint. Et infrà. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus; ne super alienum, fundamentum ædificarem.* Glos. *Ne prædicarem iam per alios conuersis.* Item 2. Corinth. 10. *Non sumus in immensum gloriantes in alienis laboribus.* Glos. *Vbi alius fundamentum fidei posuisset; hoc enim facere esset gloriari in immensum.* Item in eod. *Non habentes spem gloriari in aliena regula;* scilicet, *in his, quæ præparata sunt,* Glos. *ab alijs Prædicatoribus; quia ijs prædicabat Apostolus, quibus non erat annuntiatum, vt gloriam suo labore quæreret.* Illi ergo Prædicatores, qui non vadunt ad conuertendos, sed potiùs ad conuersos, habentes proprios Apostolos, & proprios Episcopos, & Sacerdotes; & ita gloriantur in plebibus alienis; non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum septimum est, quod *Veri Apostoli, quando mittuntur, vadunt in suam legationem, non ad alienam*; sicut Paulus missus ad Gentiles iuit prædicaturus ad illos, Act. 13. *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Glos. *Iuxta conditum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, ad magisterium Gentium profectus est.* Sed illos Prædicatores, qui stant super pedes suos (in qua specie situs minùs tangitur terra) id est, illos Prædicatores, qui minùs habent de bonis terrenis, propter quod expeditiores sunt ad mittendum quocumque Domino placet; illos, inquam misit Dominus ad prædicandum, non Orthodoxis, sed Infidelibus. Vnde Ezech. 2. *Postquam statuit Spiritus Domini Ezechielem super pedes suos* (in qua specie situs minùs tangitur terra) dixit ei; *Fili hominis; mitto ego te ad Gentes Apostatrices, quæ recesserunt à me*; Id est, *ad Iudeos, Hæreticos, & illos Gentiles, qui aliquando fuerunt Christiani, sicut Ægyptij, Babylonij, & omnes, qui tenent legem Mahometi.* Tales ergo, si vadunt ad Orthodoxos, qui proprios habent Apostolos, scilicet Episcopos suos, & Presbyteros; non vadunt ad suam legationem, sed tantùm ad alienam; vnde non sunt veri Apostoli, sed Pseudo. Et summè timendum est, ne per tales periclitetur Ecclesia, nisi expellantur ab ea; Sicut accidit de Iona, qui cùm à Domino missus fuisset in *Niniuen* (quæ interpretatur *Spatiosa*) non iuit illuc; sed fugere voluit à facie Domini *in Tharsis*, quæ interpretatur *Exploratio gaudij*; Et ideò nauis, in quam ascenderat vt trasfretaret *in Tharsis*, periclitabatur, donec inde iectus est ipse Ionas, Ionæ 1. & 2. Ita isti missi

ad prædicandum *Niniuitis*, id eſt, *illis, qui ambulant in via ſpatioſa, quæ ducit ad mortem*; videlicet, *Infidelibus ſupradictis*; non vadunt ad eos, iuxta præceptum Domini; ſed aliorſum conuertuntur fugientes à facie Domini *in Tharſis*, quæ interpretatur *exploratio gaudij*, ſiue *lætitiæ*; id eſt, vadunt ad illos, *qui eos lætantes, & cum gaudio recipiunt, & benè procurant eos*; ſcilicet, *ad deuotos, & bonos Chriſtianos*; Et ideò timendum eſt valde, ne nauis, in qua ſunt, id eſt, *Eccleſia*, periclitetur, niſi ipſi eijciantur, aut eant in ſuam legationem. Et ideò non ſine cauſa dixit Apoſtolus de talibus Pſeudo, 2. Timoth. 3. *Et hos deuita*, Gloſ. *Tales*; Quaſi diceret *Dum ſunt tales*, id eſt, *Pſeudo, deuita illos.*

Trigeſimum octauum eſt, quod *Veri Apoſtoli non iactanter loquuntur, nec ſibi attribuunt, niſi quæ facit Deus per eos*; Rom. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus* Gloſ. Id eſt, *ea tantum loquor, quæ per me*, id eſt, *miniſteriô meô efficit Chriſtus.* Illi ergo, qui multa iactanter loquuntur, & multa ſibi attribuunt, quæ per eos non fiunt, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Trigeſimum nonum eſt, quod *Veri Apoſtoli non intendunt, nec innituntur rationibus Logicis, aut Philoſophicis.* 1. Corinth. 2. *Veni, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* Gloſ. *Non veni, vt rationibus Logicis, aut Philoſophicis vterer.* Illi ergo Predicatores, qui huiuſmodi rationibus intendunt, & innituntur, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Quadrageſimum eſt, quod *Veri Apoſtoli non amant carnalia, ſed odio habent quicquid eis obſiſtit in ſeruitio Dei.* Luc. 14. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & fratrem, & ſorores; adhuc autem & animam ſuam propter me; non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Id eſt. *Qui non odit, quidquid ei obſiſtit in ſeruitio Dei, non eſt dignus meo diſciplinatu, nec poteſt in eo permanere.* Cùm ergo veri Apoſtoli, ſint veri diſcipuli Domini; Relinquitur, quod illi Prædicatores, qui nepotes, & conſanguineos ſuos, quamuis indignos, promouent ad prouentus, & honores Eccleſiaſticos, contra Dei voluntatem; vel aliud faciunt, quod eis obſiſtit in ſeruitio Dei; non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Quadrageſimum primum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non procurant ſibi amicitias huius ſæculi.* Iacob. 4. *Qui vult amicus huius ſæculi fieri, inimicus Dei conſtituitur.* Illi ergo Prædi-

Digitized by Google

eum Euangelium receperint. Et infrà. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus; ne super alienum, fundamentum ædificarem.* Glos. *Ne prædicarem iam per alios conuersis.* Item 2. Corinth. 10. *Non sumus in immensum gloriantes in alienis laboribus.* Glos. *Vbi alius fundamentum fidei posuisset; hoc enim facere esset gloriari in immensum.* Item in eod. *Non habentes spem gloriari in aliena regula;* scilicet, *in his, quæ præparata sunt,* Glos. *ab alijs Prædicatoribus: quia ijs prædicabat Apostolus, quibus non erat annuntiatum, vt gloriam suo labore quæreret.* Illi ergo Prædicatores, qui non vadunt ad conuertendos, sed potiùs ad conuersos, habentes proprios Apostolos, & proprios Episcopos, & Sacerdotes; & ita gloriantur in plebibus alienis; non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Trigesimum septimum est, quod *Veri Apostoli, quando mittuntur, vadunt in suam legationem, non ad alienam*; sicut Paulus missus ad Gentiles iuit prædicaturus ad illos, Act. 13. *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Glos. *Iuxta conditum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, ad magisterium Gentium profectus est.* Sed illos Prædicatores, qui stant super pedes suos (in qua specie situs minùs tangitur terra) id est, illos Prædicatores, qui minùs habent de bonis terrenis, propter quod expeditiores sunt ad mittendum quocumque Domino placet; illos, inquam misit Dominus ad prædicandum, non Orthodoxis, sed Infidelibus. Vnde Ezech. 2. *Postquam statuit Spiritus Domini Ezechielem super pedes suos* (in qua specie situs minùs tangitur terra) dixit ei; *Fili hominis; mitto ego te ad Gentes Apostatrices, quæ recesserunt à me*; Id est, *ad Iudeos, Hæreticos, & illos Gentiles, qui aliquando fuerunt Christiani, sicut Ægyptij, Babylonij, & omnes, qui tenent legem Mahometi.* Tales ergo, si vadunt ad Orthodoxos, qui proprios habent Apostolos, scilicet Episcopos suos, & Presbyteros; non vadunt ad suam legationem, sed tantùm ad alienam; vnde non sunt veri Apostoli, sed Pseudo. Et summè timendum est, ne per tales periclitetur Ecclesia, nisi expellantur ab ea; Sicut accidit de Iona, qui cùm à Domino missus fuisset in *Niniuen* (quæ interpretatur *Spatiosa*) non iuit illuc; sed fugere voluit à facie Domini *in Tharsis*, quæ interpretatur *Exploratio gaudij*; Et ideò nauis, in quam ascenderat vt trasfretaret *in Tharsis*, periclitabatur, donec inde iectus est ipse Ionas, Ionæ 1; & 2. Ita isti missi

ad prædicandum *Niniuitis*, id eſt, *illis, qui ambulant in via ſpatioſa, quæ ducit ad mortem*; videlicet, *Infidelibus ſupradictis*; non vadunt ad eos, iuxta præceptum Domini; ſed aliorſùm conuertuntur fugientes à facie Domini *in Tharſis*, quæ interpretatur *exploratio gaudij*, ſiue *lætitiæ*; id eſt, vadunt ad illos, *qui eos lætantes, & cum gaudio recipiunt, & benè procurant eos*; ſcilicet, *ad deuotos, & bonos Chriſtianos*; Et ideò timendum eſt valde, ne nauis, in qua ſunt, id eſt, *Eccleſia*, periclitetur, niſi ipſi eijciantur, aut eant in ſuam legationem. Et ideò non ſine cauſa dixit Apoſtolus de talibus Pſeudo, 2. Timoth. 3. *Et hos deuita*, Gloſ. *Tales*; Quaſi diceret *Dum ſunt tales*, id eſt, *Pſeudo, deuita illos.*

Trigeſimum octauum eſt, quod *Veri Apoſtoli non iactanter loquuntur, nec ſibi attribuunt, niſi quæ facit Deus per eos*; Rom. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus* Gloſ. Id eſt, *ea tantùm loquor, quæ per me*, id eſt, *miniſteriô meô efficit Chriſtus.* Illi ergo, qui multa iactanter loquuntur, & multa ſibi attribuunt, quæ per eos non fiunt, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Trigeſimum nonum eſt, quod *Veri Apoſtoli non intendunt, nec innituntur rationibus Logicis, aut Philoſophicis.* 1. Corinth. 2. *Veni, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* Gloſ. *Non veni, vt rationibus Logicis, aut Philoſophicis vterer.* Illi ergo Predicatores, qui huiuſmodi rationibus intendunt, & innituntur, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Quadrageſimum eſt, quod *Veri Apoſtoli non amant carnalia, ſed odio habent quicquid eis obſiſtit in ſeruitio Dei.* Luc. 14. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & fratrem, & ſorores; adhuc autem & animam ſuam propter me; non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Id eſt. *Qui non odit, quidquid ei obſiſtit in ſeruitio Dei, non eſt dignus meo diſciplinatu, nec poteſt in eo permanere.* Cùm ergo veri Apoſtoli, ſint veri diſcipuli Domini; Relinquitur, quod illi Prædicatores, qui nepotes, & conſanguineos ſuos, quamuis indignos, promouent ad prouentus, & honores Eccleſiaſticos, contra Dei voluntatem; vel aliud faciunt, quod eis obſiſtit in ſeruitio Dei; non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

Quadrageſimum primum ſignum eſt, quod *Veri Apoſtoli non procurant ſibi amicitias huius ſæculi.* Iacob. 4. *Qui vult amicus huius ſæculi fieri, inimicus Dei conſtituitur.* Illi ergo Prædi-

catores, qui sibi procurant amicitias huius mundi, non sunt veri Apostoli, sed Pseudo.

Cum igitur veritas diuinæ Scripturæ sit infallibilis, Matth. 24. *Cœlum & terra transibunt; Verba autem mea non præteribunt;* Et Spiritus Sanctus, qui locutus est in Apostolo prophetante, vt ostensum est suprà cap. 1. mentiri non possit, *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, vt legitur 2. Pet. 1. Restat, vt omnes, qui Ecclesiam defensare tenentur; surgant ad eius defensionem, iuxta illud Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Nec prętendant friuolas excusationes, quia sic dicitur ibidem; *Si dixeris Vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & saluatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque Vnicuique iuxta opera sua.* Quidquid enim perit in Ecclesia propter defectum Pastorum, totum ab eis in Iudicio exigetur, sicut confitetur Iacob ad Laban, cuius oues pascebat; Gen. 31. *Ego omne damnum reddebam tibi, & quidquid furtô peribat, à me exigebas.* Et Ezech. 3. *Sanguinem eius de manu tua requiram;* dicitur Pastori, siue Prælato.

Si autem cætera prædictorum Prælatos carnales non mouent; hoc saltem mouere debet, quod cùm spiritalis potestas Ecclesiæ, quæ in prędicationibus exercendis, in confessionibus audiendis, in pœnitentijs iniungendis consistit, eis pedetentim subripiatur (*Frustratim enim Lupus comedit Agnum.* 13. q. 1.) postquàm ex toto translata fuerit ab ipsis Prælatis ad illos, qui iam ratione Ordinis sui, vel Professionis, vel concessionis Apostolicæ, illam sibi arrogant potestatem; Profectò iurisdictio negotiorum forensium, quę ipsis Prędatis lucrosa existit, necnon & possessio bonorum Ecclesiæ temporalium, apud ipsos Prędatos non diutiùs remanebunt. Cur enim habebunt carnalia bona Ecclesiæ, qui spiritalia non ministrant? Cum prędertim dicatur 1. Corint. 9. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant?* Igitur, sicut corpus sine anima non viuit; ita nec bona Ecclesiæ corporalia sine spiritualibus diu stabunt. 1. q. 1. cap. *Si quis obiecerit.*

DE QVANTITATE

Digitized by Google

DE QVANTITATE ELEEMOSYNÆ QVÆSTIO.

QVÆRITVR de quantitate eleemosynæ; videlicet, *Vtrum liceat homini dare quidquid habet, vel quod nihil retineat sibi pro bono.*

QVOD SIC. Matth. 19. *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Gloss. *Omnia, non partem.*

Item Marc. 10. *Quæcumque habes, vende & da pauperibus.* Gloss. *Omnia omninò, non partem, vt Ananias.*

Item Psal. 29. *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei*; Ergo omnia licet dare, vsque ad mendicandum.

Item Matth. 5. *Beati pauperes Spiritu*; Gloss. *Voluntate*; Ergo licet omnia dare.

Item Luc. 2. *Pannis eum inuoluit, & posuit in præsepio*; Ergo ad instar Christi eligenda est summa paupertas.

Item Luc. 12. *Vendite omnia quæ possidetis, & date eleemosynam*: Ergo licet omnia dare, & nihil sibi retinere.

Item Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; Ergo omnia danda, nec quidquam sibi retinendum.

Item Luc. 16. Lazarus mendicus delatus est ab Angelis in sinum Abrahæ; Ergo licet mendicare.

Item Act. 3. *Argentum & aurum non est mihi*, dicit Petrus; Ergo licet omnia dare.

Item Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, di-*

uites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se; Ergo omnia danda.

Item Luc. 5. *Relictis omnibus secuuti sunt eum*; Ergo ad sequendum Christum omnia danda, nec quidquam sibi retinendum.

Item Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuuti sumus te*; Ergo pro Christo nihil sibi retinendum.

Item Philip. 3. *Omnia propter Christum detrimentum feci, & arbitror, vt stercora*; Ergo pro Christo omnia relinquenda, nec quidquam sibi retinendum.

Item Matth. 6. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini.* Item, *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea; & Pater vester cœlestis pascit illa*; Ergo omnia sunt danda, & Dominus pascet, & induet.

CONTRA. Dare omnia, & nihil retinere ad sustentationem vitæ, prodigalitas est; Ergo non licet.

Item Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum*; Gloss. *Nequid nimis sit*; Sed non retinere victum est nimis, quia hoc est sibi mortem ingerere; Ergo non licet omnia dare sub specie mendicandi.

Item Exod. 20. *Non occides*; Gloss. *manu vel mente, vel subtrahendo auxilium, vel consilium vitæ ei, cui potes, vel debes dare*; Sed nulli magis debes, quàm tibi; Ergo non licet tibi subtrahere victum; Ergo nec omnia dare.

Item Ambros. de Officiis. *Pasce fame morientem; si quos enim pascendo seruari poteris, si non paueris, occidisti*; Sed nulli hoc magis debet quis, quàm sibi; Ergo sibi non debet subtrahere victum; Ergo nec omnia dare.

Item Aug. De verbis Domini. *Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est*; Ergo multò fortiùs non licet seipsum defraudare victu; Ergo nec omnia dare, adeo vt nihil omninò sibi relinquatur.

Item In Conc. Vormacienſi apud Gratianum dist. 50. can. *Sæpe contingit*, dicitur. *Si voluntate, vel negligentiâ incidentis arborem, factum est, vt sub ea homo opprimeretur, homicida pœnitentiæ debet omninò submitti*; Ergo à simili, cum per voluntatem, seu negligentiam illius, qui nihil retinet, fieri possit, vt

Digitized by Google

fame moriatur; ſequitur quod non licet omnia dare, & nihil ſibi retinere.

Item Aug. 16. q. 1. cap. *Decimæ*, dicit; *Quanti pauperes in locis, in quibus habitat, qui decimam non ſoluit, fame morientur; ille tantorum homicidiorum ante tribunal æterni Iudicis reus apparebit*; Ergo, cùm ſibi debeat vnuſquiſque prouidentiam victus, ſi ſcienter ſubtrahit, peccat; Ergo non licet omnia dare, & nihil ſibi retinere.

Item 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*; Gloſſ. *Etſi nihil intulerimus in hunc mundum, vel ablaturi ſimus, non tamen omnino abijcienda ſunt hæc temporalia; ſed habentes alimenta & indumenta, his contenti ſimus*; Ergo [illegible] ceſſaria vitæ ſunt retinenda; Ergo non licet omnia dare, & nihil ſibi retinere.

Item Thren. 4. *Melius fuit occiſis gladiô, quàm interfectis fame*; Ergo pejus eſt ſe exponere fami, quàm gladio; Sed hoc non licet, dum habet homo quid faciat ſine peccato, vt dicit Aug. 22. q. 4. cap. *Faciat homo, quod poteſt*; Ergo morti famis non ſe debet exponere, dum aliud facere poteſt ſine peccato; Ergo non licet victum ſibi ſubtrahere; Ergo nec omnia dare, & nihil ſibi relinquere.

Item Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*; Gloſſ. *De duabus tunicis diuidendis datur præceptum, quia ſi vna diuidatur, nemo veſtitur; in dimidia enim tunica, & nudus remanet qui accipit, & qui dedit. Miſericordiæ autem ipſius pro poſsibilitate humanæ conditionis ſeruatur menſura, vt non ſibi quiſquam totum eripiat, ſed quod habet, cum paupere partiatur*; Sed hoc debet ſeruari in veſtimento; Ergo multò magis in alimento.

Si obiicias de ſancto Martino, *Qui diuiſit pallium*; Gloſ. ſoluit, *Quod tunica plùs eſt neceſſaria, quàm pallium; ſi enim diuidatur tunica nudus remanet & qui accipit, & qui dedit.*

Item Luc. 12. *Nolite quærere quid manducetis.* Gloſſ. *Non præcipitur, quod nihil pecuniæ ad vſus neceſſarios reſeruetur à Sanctis, cum Dominus loculos habuiſſe legatur; ſed ne Deo propter iſta ſeruiatur, & ne timore inopiæ iuſtitia deſeratur*; Ergo bonum eſt & expediens reſeruare victum.

Item 2. Corinth. 8. *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.* Gloſſ. *Id eſt, non eſt accepta dando vltra vires*; Ergo cum talis voluntas

non sit accepta Deo, non licet omnia dare, & nihil sibi retinere.

Item in eodem loco. *Non enim volo, vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio*, id est paupertas, *sed ex æqualitate*. Gloss. *Non plus exigitur, vt det, quàm quod sibi retinere debet; sicut Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus*, Luc. 19. Ergo non debet dare totum sub spe mendicandi.

Item 1. Thess. 5. *Rogamus vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos*. Gloss. *Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis, ita & egestas, dum saturari quærit, à iustitia declinat*; Sed nullus in tali statu se debet ponere, vt à iustitia facilè declinet; Ergo nec in tali egestate, vt saturari quærat.

Item 2. Thess. 3. *Vt nosmetipsos daremus formam vobis ad imitandum nos*. Glos. *Qui ad alienam mensam frequenter conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se*; Sed nemo debet se ponere in tali statu, vt aduletur; Ergo nec omnia dare, vt mendicitate sibi victum quærat.

Item. Qui imponit sibi necessitatem mendicandi, facit contra Apostolum 1. Thess. 4. *Operemini manibus vestris, vt nullius aliquid desideretis*; Gloss. *nedum rogetis, vel tollatis*; Ergo non licet omnia dare, & posteà mendicare.

Item 2. Thess. 3. *Si quis verbo nostro non obedierit*, scilicet, vt abstineat se à mendicando, dum labore corporali victum quærere potest, *ne commisceamini cum illo, vt confundatur*; Gloss. *Vt ab omnibus eiectus erubescat, donec præceptis Apostoli se subiecerit*; Ergo *Cum nemo debeat eijci à communione hominum, nisi propter peccatum mortale*, 11. q. 3. cap. *Nemo Episcoporum*; Relinquitur, quod talis peccat mortaliter; Ergo non licet ei omnia dare, & posteà mendicare.

Item Prouerb. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui necessaria; ne fortè satiatus illiciar ad negandum Deum, & dicam, quis est Dominus; aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei*; Gloss. *Ne copiâ vel inopiâ rerum transeuntium in obliuionem decidam æternorum*; Ergo inopia facit obliuisci æterna; Ergo malum.

RESPONDEO secundùm Magistrum Guilielmum Altisiodorensem; *Si dat omnia sic, vt non habeat spem aliunde habendi necessaria, peccat mortaliter*; quia exponit se periculis multorum peccatorum; scilicet, *adulationis, detractionis, furandi, periurandi,*

Digitized by Google

declinandi à iustitia, vt ostensum est suprà; vel periculo *mortis corporalis*, quam euitare posset sine peccato, si necessaria vitæ retineret. *Si autem dat omnia cum proposito intrandi Monasterium, vbi sufficienter habuerit omnia vitæ necessaria, tunc benè agit, & est opus perfectionis, nec dat superfluè.* Et ideo retinet omnia sibi necessaria, quia *inter communi vitâ degentes nullus indigens debet esse.* Act. 4. *Erant illis omnia communia, nec quisquam erat egens inter illos.* Et super hoc edita est constitutio Ecclesiastica, *quam si quis euellere nitatur, iam dictâ damnatione*, id est, excommunicatione, *feriatur*, 12. q. 1. cap. *Videntes Summi Sacerdotes.*

Item. *Si dat omnia cum proposito viuendi deinceps de labore manuum, benè agit, & est opus perfectionis.* Luc. 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*; Glos. *vt omnibus vestris semel pro Deo spretis posteà labore manuum operemini, vnde viuatis, & eleemosynas faciatis.* Si autem *omnia dat in spe mendicandi, non credo esse licitum*; quia hoc prohibet Apostolus dicens 1. Thessal. 4. *Operemini manibus vestris, vt nullius aliquid desideretis.* Item 2. Thessal. 3. *Neque panem gratis manducauimus ab aliquo, sed in labore die ac nocte laborantes, & fatigantes; ne quem vestrum grauaremus*; & in hoc præcipit se imitandum dicens, *vt nosmetipsos daremus formam vobis ad imitandum nos.* Si ergo Apostolus, ne grauaret homines, se abstinebat à sumptu, qui ei debebatur, & operabatur corporaliter, & in hoc præcipit se imitandum; certum est quod illis, qui non sunt Apostoli, non licet petere cibos vel victum, si aliunde possint habere sine peccato; nec licet eis sub spe mendicandi contra Apostolum sua dare, sed tantùm sub spe viuendi de bonis Ecclesiæ, vel sub spe viuendi de corporali labore. Et 2. Thess. 3. *Qui non vult operari*, Glos. *corporaliter* vnde viuat, *nec manducet.* Si enim eligit paupertatem vt mendicet, vult paupertatem suam sibi esse lucrosam temporaliter, & sanctitatem simulatam exponit venalem; contra August. in lib. *De Opere Monachorum*, de quibusdam *Regularibus*, qui volebant viuere de operibus spiritualibus circumeundo prouincias; *O serui Dei, milites Christi, numquid dissimulatis antiqui hostis insidias, qui famam vestram maculare cupiens suis putoribus, tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit circumeuntes prouincias, nusquam fixos, nusquam missos, nusquam sitos? & omnes petunt, &*

omnes exigunt, aut lucrosæ sumptus egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Item tales, qui sic vagantur per mundum, difficile est nõ habere proprium, quia sine testibus procedunt; & ideo *melius eos esse Sæculares, quàm Regulares*; quia sicut dicit Aug. *De communi vita Clericorum*, 12. q. 1. cap. *Nolo*; MALVI *habere cæcos vel claudos, quàm plangere mortuos; quicumque enim hypocrita est*, scilicet habens proprium, *mortuus est.*

Sed dicet quis; *Melius est mendicare, quàm esse in Monesterio habente possessiones*; quia *melius est nihil habere in proprio, neque in communi, quàm habere aliquid in communi*; quia minoris est illud perfectionis.

Respondeo. Contrarium dicit Prosper, 12. q. 1. cap. *Expedit*; & infrà. *Denique sanctus Paulinus ingentia prædia sua vendita pauperibus erogauit; sed cum factus esset Episcopus, non contempsit facultates Ecclesiæ, sed fidelissime dispensauit. Quô facto satis ostendit, & propria propter perfectionem debere contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profecto communes, possideri.*

AD ILLAS AVTHORITATIS, quæ dicunt *omnia debere vendi, & dari pauperibus*; & Glos. dicit *omnia, non partem*; Item ad illas, quæ dicunt *omnia relinquenda, & Dominum sequendum*; Dicimus quod veritatem habent, & *loquuntur de statu perfectionis*; sed *non est intelligendum, quod postea viuere debeant mendicando, sed potiùs de bonis Ecclesiæ communem vitam ducendo*; Act. 4. & 12. q. 1. cap. *Videntes*; aut saltem *de labore manuum suarum*, sicut dicit Glossa super illud Lucæ 12. *Vendite quæ possidetis*; Glos. *Vt omnibus vestris semel pro Deo spretis postea operemini, vnde viuatis.*

Ad id quod dicit Psalmus 39. in persona Christi, *Ego mendicus sum, & pauper*; Glos. dicit, *In quantum homo petens ab alieno*, id est, *à Deo*, vnde sequitur, *Dominus sollicitus est mei*, Glos. id est, *Curam habet mei.* Sed quod mendicauerit panem, non legò; sed quod loculos habebat. Ioan. 13. de Iuda *Fur erat, & loculos habens*; Glos. *loculorum Domini custos*, Quos loculos habuit Dominus, vt formam daret Ecclesiæ habendi bona temporalia in cõmuni, etiam perfectis. Vnde Aug. 12. q. 1. cap. 12. *Exemplũ accipite Domini conuersantis in terra. Quare loculos habuerit, cui Angeli ministrauerunt? nisi quia Ecclesia ipsius loculos habitura erat.* Prosper 12. q. 1. c. 13. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & propriis per-*

Digitized by Google

ctionis amore contemni; non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates; & ideo quisquis omnibus, quæ habuerit, dimissis, aut venditis sit rei suæ contemptor; cum præpositus factus fuerit Ecclesiæ; omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator.

Ad illud Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; Respondet Glos. *Hæc differentia est inter* RENVNTIARE *omnibus*, & RELINQVERE *omnia*; *quòd* RENVNTIARE *conueniat omnibus, qui ita licitè vtuntur mundanis, quæ possident, vt tum mente tendant ad superiora*; RELINQVERE *autem est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant.*

Ad illud Lucæ 16. *de Lazaro mendicante*; Respondemus, quod *vlceribus plenus erat, vnde licitè mendicabat, tanquam impotens corporaliter operari*, vt dicit Ambrosius in lib. *De Officijs*; & habetur 86. cap. *Non satis.*

Ad illud Act. 3. *Argentum & aurum non est mihi*, dicit Petrus; Respondemus *Quod proprium non habebat, sed commune, quod tum secum non portabat.* Et licet etiam Petrus *posset petere sumptus, quoniam Apostolus erat, & ei debebantur*, 1. Corinth. 9. *Ordinauit Deus his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere*; Glo. *vt expeditiores sint ad prædicandũ*; Tamen illi, *qui non habent Apostolicam potestatem, petere non possunt*; & si petant, *mendicitas est, & non potestas.* In Apostolis è contrario *potestas est accipere sumptus, & non mendicitas.*

Ad illud Matth. 6. *Nolite solliciti esse* &c. Respondemus, quod *prohibet sollicitudinem suffocantem, sed non prouidentiæ.* Glos. *Sollicitudo suffocat verbum, ne fructum quis referat.* Item Glos. *In sudore vultus paratur panis, sed labor exercendus est, sollicitudo tollenda, quæ mentem perturbat*

Ad illud *Respicite volatilia cæli*; Respondemus per Glos. *Hæc exempla non prohibent prouidentiam & laborem, sed sollicitudinem*, scilicet, *suffocantem, quæ auertit à Deo*; & super hoc dicit Aug. in lib. De Opere Monachorum. *Propterea se dicunt operari non debere, quia volucres cæli* NON SEMINANT, NEQVE METVNT; *cur ergo non attendunt, quod sequitur*, NEQVE CONGREGANT IN APOTHECAS, *quæ repositoria dici possunt? Cur igitur isti manus otiosas volunt habere, & plena repositoria? Cur denique molunt & coquunt? hoc enim aues non faciunt. Ostendant nobis homines seruire volucribus, sicut seruiri volunt, nisi captis & in-*

luſis, quibus fides non habetur, ne auolantes non redeant. Quàm bonum eſſet, ſi etiam pennas largiri Dominus dignaretur, vt ſerui Dei in agris alienis inuenti, non tanquam fures comprehenderentur, ſed tanquam ſturni fugarentur. Quapropter, vt breuiter complectar, iſti, qui ex Euangelio peruerſè intellecto tam manifeſtiſsima præcepta Apoſtolica peruertere moliuntur; aut non cogitent, ſicut volatilia cœli; aut Apoſtolo manibus operari præcipienti obtemperent, ſicut filij dilecti. Immò vtrumque faciant, quia vtrumque concordat. Cur exemplo volatilia cœli non vobis ſunt ad nihil ſeruandum, & vultis vt ſint exemplo ad nihil operandum?

DE VALIDO MENDICANTE QVÆSTIO.

QVÆRITVR *vtrum debeamus dare eleemoſynam Valido Mendicanti, ſi ſit pauper.*

QVOD SIC. Iob. 31. *Si negaui, quod volebant, pauperibus*; Ergo cuilibet pauperi mendicanti danda eſt eleemoſyna.

Item Prouerb. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperibus, & ipſe clamabit, & non exaudietur*; Ergo danda eſt eleemoſyna cuilibet pauperi mendicanti.

Item Eccl. 29. *Propter mandatum aſſume pauperem, & propter inopiam eius non dimittas vacuum*; Ergo cuilibet pauperi mendicanti danda eſt eleemoſyna.

Item Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; Ergo nulli propter Chriſtum neganda eſt eleemoſyna.

Item Rom. 12. *Neceſsitatibus ſanctorum communicantes*; Ergo bonum eſt eleemoſynam largiri, & eſt opus charitatis.

Item 1. Corinth. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, niſi ſint putrida*; Ergo cuilibet pauperi mendicanti

Digitized by Google

mendicanti danda est eleemosyna ex commiseratione.

Item Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus*; Ergo danda est eleemosyna cuilibet pauperi mendicanti.

Item 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Ergo danda est eleemosyna cuilibet pauperi mendicanti.

Item Matth. 5. *Qui petit à te, da ei*; & Lucæ 6. *Omni petenti te, tribue*; Ergo cuilibet pauperi mendicanti danda est eleemosyna.

Item 2. Corinth. 8. *Vestra abundantia*, scilicet corporalis, *Inopiam illorum suppleat, vt & illorum abundantia*, scilicet meritorum illorum, qui diuinis vacant, *vestræ inopiæ*, scilicet spiritualis, *sit supplementum, vt fiat æqualitas.* Glos. *Qui enim viuunt in hoc sæculo, non habent merita ad vitam æternam sufficientia, nisi inuentur per pauperes Christi, quorum est regnum cœlorum, quos amicos sibi, & debitores fecerunt*; Ergo nulli neganda est eleemosyna.

Item 1. Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe facilè tribuere*; Ergò nulli neganda est eleemosyna.

Item Act. 2. *Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat*; Ergo pro necessitate cuiuslibet danda est eleemosyna.

Item Rom. 15. *Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare Sanctis.* Glos. *Hi totos se dederant diuinis obsequijs, nihil mundanum curantes, & exemplum bonæ conuersationis dabant fidelibus.* Et infrà, *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis*; Glos. Id est, *Iudæi, qui miserunt eus Prædicatores.* Si debent, ergo non possunt negare.

Item, quod prędicanti pauperi maximè sit dandum, patet Galat. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbô, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Glos. *Omnia bona faciat ei communia; Visitatum enim præceptum est, vt Prædicatori verbi Dei præbeat necessaria illę, cui prædicatur.*

Item in eodem, *Maxime autem ad domesticos fidei.* Glos. *Omnibus impendenda est misericordia, in quo præponendi sunt iusti, qui sunt ex fide.*

Item Lucæ 6. *Benefacite ijs, qui oderunt vos*; Ergo à minori

ad maius, benefaciendum est, & eleemosynæ dandæ Prædicatoribus pauperibus.

Item Chrysost. *super Epistolam* ad Hebr. *Si pro nutrimento postulat quis, non in ijs examines. Si Abraham fuisset scrutator pauperum, numquam Angelos hospitiô recepisset, sed cum reliquis, & hos repulisset.* Dist. 42. Can. *Quiescamus*; Ergo nulli neganda est eleemosyna.

Item 1. q. 2. cap. *Quàm pio*, dicit Bonifacius. *Nusquam legimus Domini Discipulos, vel eorum ministeriô conuersos, quempiam ad Dei cultum aliquô muneris interuentu prouocasse; nisi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè proponat, quorum nulli, cuiuscumque professionis esset, victualia negabantur*; Ergo, etiam valido mendicanti, non est deneganda eleemosyna.

Item 11. q. 3. cap. *Quoniam multos*, dicit Greg. *Si quis excommunicatis, non in sustentationem superbiæ, sed humilitatis causâ, dare aliquid voluerit, non prohibemus*; Ergo etiam licitum erit dare valido mendicanti.

Item Hieron. *Ad Paulinum Monachum*, vbi habet. *Quem senseris, aut semper, aut crebrò de minimis loquentem (exceptâ eleemosynâ, quæ indifferenter omnibus dari potest) institorem potiùs habeto, quàm Monachum*; Ergo eleemosyna potest indifferenter omnibus dari; Ergo etiam valido.

Item Aug. *In lib. Psalmorum* (refertur autem 23. q. 4. cap. *Duo ista*) vbi dicit. *Duo ista nomina cum dicimus*, HOMO, PECCATOR, *non vtique frustra dicuntur; quia* PECCATOR *corripe; quia* HOMO, *miserere*; & ita non est contemnenda eleemosyna, quæ quibusque pauperibus vice humanitatis impenditur.

CONTRA Lucæ 16. *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè & ipsi reuuitent te, & fiat tibi retributio; sed cum facis conuiuium, voca pauperes debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi*; Ergo cum à paupere valido, vel familiari potentum, aliquid possis expectare in præsenti, non ei facienda est eleemosyna.

Item Ambr. *De Officijs* (habetur autem Dist. 86. Can. *Considerandæ*) vbi dicit. *Considerandæ est in largiendo ætas atque debilitas, nonnumquam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiaris, qui sibi iam victum nequeunt quærere; simi-*

Digitized by Google

liter & debilitas corporis promptiùs est iuuanda; tum si quis ex diuitijs cecidit in egestatem; & maximè, si non vitiô suô, sed aut latrocinijs, aut proscriptione, aut calumnijs, quæ habebat, amisit; Ergo talibus tantùm dandum est.

Item Aug. *Ad Vincentium Donatistam.* VTILIVS *esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm eidem panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat*; Sed qui non vult operari corporaliter ad victum quærendum, cum possit operari; vel qui potest aliunde victum habere sine peccato; si petat victum, iniustè agit, quia contra doctrinam Apostoli, vt probabo; Ergo tali debet panis subtrahi; Ergo non dari.

Probatur Minor. 2. Thes. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet*; Glos. *Vult Apostolus seruos Dei corporaliter operari, vnde viuant, ne compellantur egestate necessaria petere*; Ergo si petit, iniustè agit, contra Apostolum.

Item tales mandat Apostolus euitari ibid. *Si quis verbo nostro non obedierit*, scilicet de acquirendo victum laborando corporaliter, si non habet aliud, vnde viuat, *per epistolam hunc notate*; Glos. *vt possim eum corripere*; ET NE *commisceamini cum illo, vt confundatur*; Glos. *vt erubescat abiectus ab omnibus, & sic se subijciat* præceptis Apostoli, *scilicet*, de operando corporaliter victum; Ergo talis iniustè agit.

Item 1. Thess. 4. *Operemini manibus vestris, vt nullius aliquid desideretis.* Glos. *Operandum est, non otiandum, vt non desideretis rem alterius, nedum rogetis*; Ergo qui sic petit, facit contra Apostolum; Ergo iniustè agit.

Item 1. Thess. 4. *Rogamus vos, fratres, vt operam detis, vt quieti sitis*, Glos. *à curiositate*; ET VT *vestrum negotium agatis*; Glos. *dimissis alienis*; *quod vobis vtile est in emendatione vitæ*; ET OPEREMINI *manibus vestris*; Glos. *quod adiuuat quietos esse; illud enim malum ex otio venit*; Ergo qui hæc non facit, contra doctrinam Apostoli petit; Ergo iniustè agit; Ergo ei subtrahendus est panis; Ergo non dandus.

Item Luc. 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*; Glos. *vendite possessiones, vt omnibus vestris semel pro Domino spretis, posteà labore manuum vestrarum operemini, vnde viuatis, & eleemosynas faciatis*; Ergo post venditionem omnium non est mendicandum, sed operandum; Ergo qui hoc non facit, contra doctrinam Ecclesiæ facit; Ergo iniustè agit.

Item Eph. 1. *Laboret vnuſquiſque manibus ſuis*, non praua opera lucri, ſed *operando quod bonum eſt; vt habeat*, non tantùm vnde viuat, ſed etiam *vnde tribuat neceſsitatem patienti*; Ergo laborandum eſt, non mendicandum.

Item Hieron. *Ad Ruſticum Monachum.* SI APOSTOLI *habentes poteſtatem de Euangelio viuere, manibus ſuis laborabant, ne quem grauarent, & alijs tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritalibus debebant metere carnalia; cur tu in vſus tuos ceſſura non præpares? vel fiſcellam texe iunco, vel càniſtrum lentis plecte viminibus; ſarriatur humus, areolæ æquô limite diuidantur, in quibus, cum olerum iacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ, aquæ ducantur irriguæ.* Et poſt pauca. *Texantur & lina capiendis piſcibus; ſcribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur; in deſideriis eſt omnis otioſus.* De conſecr. diſt. 5. cap. *Numquam*; Ergo omnis Regularis debet operari, maximè ſi non habet aliud vnde viuat; Ergo ſi non facit, iniuſtè facit.

Item Beatus Benedictus *In regula*, cap. *De opere manuum quotidiano.* OTIOSITAS *inimica eſt animæ, & ideo certis horis occupari debent Fratres in opere manuum; certis etiam horis in lectione diuina*; Ergo Regularis operari debet; Ergo ſi non facit, iniuſtè agit.

Item in eodem. *Tunc verè Monachi ſunt, ſi de opere manuum ſuarum viuant, ſicut patres noſtri, & Apoſtoli*; Ergo ſi hoc non faciunt, non ſunt veri Monachi; Ergo non debet eis dari.

Item ex Conc. 4. Carthag. can. 51. *Clericus quantumlibet verbô Dei eruditus, artificiolô victum quærat*, vt habetur diſt. 91. can. *Clericus*; Ergo ſi non facit, iniuſtè agit.

Item in eodem. *Omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt; & artificiola, & literas diſcant*; Ergo ſi non faciunt, iniuſtè agunt; Ergo non eſt eis dandum.

Item Ioan. 21. *Dicit eis Simon Petrus, vado piſcari.* Gloſſ. *Poſt redditum viuum Chriſtum, poſt acceptum eius inſufflationis ſpiritum, poſt verba eius,* SICVT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS; *ſubitò fiunt Apoſtoli quod fuerant*, ſcilicet, *piſcatores, non hominum, ſed piſcium. Sed ſciendum eſt non prohibitos fuiſſe ſuâ arte licitâ victum quærere, Apoſtolatus integritate ſeruatâ, cum vnde viuerẽt, non haberent*; Ergo illi, qui non ſunt Apoſtoli, multò fortiùs debent laborare manibus, vnde viuant; Ergo qui non facit, in-

iustè agit; Ergo non est ei dandum.

Item Aug. *Ad Vincentium Donatistam.* 23. q. 4. cap. *Nimium.* SÆPE *mali persecuti sunt bonos, & boni malos; Illi nocendo per iniustitiam, isti consulendo per disciplinam.* Et post pauca. *Occiderunt impij Prophetas, occiderunt impios & Prophetæ; flagellauerunt Iudæi Christum, flagellauit Iudæos & Christus;* Et post pauca. *In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate? quis pro iniquitate? quis nocendi causâ? quis emendandi?* Ergo illis, qui faciunt contra doctrinam Apostoli, panis est subtrahendus, vt corrigantur; quia qui hoc facit, prosequitur malos.

Item, quod Prædicatores nihil possint petere, probo. 1. Thess. 2. *Neque aliquando fuimus in occasione auaritiæ;* Gloss. *Non dico in auaritia; sed neque feci, neque dixi in quo esset occasio auaritiæ;* Sed in petendo pecuniam, vel sumptus, est occasio auaritiæ; Ergo petere est contra doctrinam Apostoli; Ergo non est dandum eis petentibus.

Item, Prædicator non debet esse in sermone adulationis. 1. Thess. 2. *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis;* Gloss. *Propter quod alij placent hominibus;* Sed qui continuè, vel frequenter petit victum, necesse est vt aduletur. 2. Thess. 3. *Vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Gloss. *Qui frequenter ad alienam mensam conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se; cum tamen Religio Christiana ad libertatem homines aduocet;* Ergo qui Prædicator est, non debet frequenter petere victum; Ergo si petit, non est dandum.

Item 2. Corinth. 12. *Non quæro vestra, sed vos;* Glossa, *Non diuitias in auro & argento, sed saluare vos;* Ergo Prædicatores nihil debent petere.

Item Philip. vlt. *Non quæro datum, sed fructum;* Ergo & veri Apostoli nihil petere debent.

Item. *Qui pro aliquo spirituali recipit pastum, siue ante, siue post, Simoniam committit,* 1. q. 3. cap. *Si quis præbendas;* Ergo pro prædicatione, etiam post prædicationem, non licet recipere pastum illi, cui non debetur, id est, qui non est Apostolus; *Accipere enim est quandocumque arripere,* 1. q. 1. cap. *Eos, qui per pecunias;* Ergo si petit, non est dandum.

Item Giezi seruus Elisæi dicitur commisisse crimen Simoniæ, eò quod petiit aliquid à Naaman Syro, cui Domi-

nus eius Eliæus dederat gratiam ſanitatis 4. Regum 6. Et hoc dicit Greg. Nazianz. 1.q.1. cap. *Qui ſtudet*, vbi ait, *Giezi ſanitatis gratiam Naaman Syro vendidit, eandem gratiam ſanitatis, Eliſæô vindicante, leproſus factus amiſit*; Ergo ſi Frater illius, qui prædicauit, etiam poſt prædicationem petit ab illis, quibus prædicauit, Simoniam committit; Ergo non eſt ei dandum.

Item ſecundum Ius humanum, *Mendicans validus*, ſi ſeruilis eſt conditionis, *efficitur ſeruus prodentis*; ſi liber eſt, *efficitur eius Colonus perpetuus*. Cod. *De mendicantibus validis*, Lege vnicâ; Ergo cum certum ſit *graue eſſe delictum, quod eſt ſeuerius vindicatum*, 24.q.1.ca. *Non afferamus ſtateras doloſas*; relinquitur, quod mendicans validus grauiter delinquit; Ergo qui ſcienter ſe ponit in tali ſtatu, videtur quod non ſit in ſtatu ſaluandorum.

RESPONDEO ſine præiudicio. AD PRIMVM diſtinguo. *Eorum*, qui petunt eleemoſynam, ALII *noti*, ALII *ignoti*; ALII *petunt, quaſi ex debito*, vt Prædicatores & Prælati; ALII *pro ſuſtentatione vitæ*. Si ex debito petit, & quaſi *ratione officij*, ſi conſtat de eius officio, ſiue poteſtate, *recipiendus eſt*; ſi eſt incognitus, *examinandus eſt, an ſit ita*, vt dicit Chryſoſt. *ſuper Epiſtolam* ad Heb. & habetur diſt. 42. can. *Quieſcamus*. Si petit pro nutrimento tantùm, *tunc dandum eſt* indiſtinctè, *niſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligat*, vt dicit Aug. 5.q.5. cap. *Non omnis*. tunc enim *non eſt ei dandum, niſi iam fame moriatur*; diſt. 86. can. 21. *Paſce fame morientem, quos enim paſcendo ſeruare poteras, ſi non paueris, occidiſti*; Sed qui mendicat, cum poſſit viuere de labore corporis, iuſtitiam negligit, quia facit contra doctrinam Apoſtoli, & excommunicari debet, vt dictum eſt ſuprà; Ergo tali non eſt dandum.

OMNES ergo illas authoritates, quæ dicunt *dandum eſſe omni petenti pauperi*, ſic intellige. Verum eſt, vel *rem petitam*, vel *melius*, ſcilicet, *correctionem, ſi iniuſtè petit*; & hoc dicit Gloſ. Matt. 5. *Qui petit à te, da ei, etſi non quod petit, ſed melius, cum iniuſtè petentem correxeris*. Sed conſtat, quod iniuſtè petit, & contra præceptum Apoſtoli, qui poteſt aliunde habere ſine peccato, vt probatum eſt ſuprà; Ergo non eſt ei dandum, ſed potiùs eſt corrigendus.

DE PAVPERIBVS *peregrinis, Scholaribus, & debilibus*,

Digitized by Google

quia casualiter mendicant, *nec ordinauerunt vitam suam ad mendicandum*, non est id dicendum.

QVOD OBIICITVR *de illis pauperibus*, qui erant in Ierusalem, *quibus fiebant collectæ*; Respondemus. Non dicitur ibi quod ipsi peterent, & de illis intelligendum est, vel *qui Discipuli erant, vel Prælati, & miserunt suos Prædicatores ad Gentiles.* Vel *de illis, qui vltra id quod poterant habere de labore, inopiam & penuriam habebant.* 2. Thessal. 3. *Vos autem, fratres, nolite deficere beneficientes*, Glos. *pauperibus; quia etsi operantur, possunt tamen nonnullis indigere; non enim in reprehensionem venit, qui humanus est in largiendo; sed hic, qui cum possit laborem ferre, etiosè vult vitam agere.* Vel omnes *illi forsan prædicabant, & non poterant habere sumptus à contribulibus suis, quibus prædicabant; immò magis persequebantur illos*; sicut Paulus prædicando Corinthiis ab aliis Ecclesiis accipiebat propter auaritiam Corinthiorum. 2. Cor. 11. *Alias Ecclesias spoliaui accipiens stipendium ad ministerium vestrum*; Glos. *vt vobis possem prædicare; & non accepi ab aliquo vestrûm, etiam cum egerem.*

AD ILLVD *communicet is, qui catechizatur, ei qui se catechizat*; dicendum est verum esse, quando *Catechizans potestatem Apostolicam habet.*

AD ILLVD *Excommunicato danda est eleemosyna*; verum est, *in extrema necessitate.*

QVOD QVÆRITVR *de Prædicatoribus*, vtrum possint petere, *credo quod non*, ne videatur esse occasio auaritiæ. 1. Thessal. 2. & ne videatur esse quæstus. 2. Corinth. 4. *Neque adulterantes verbum Dei*; Glos. *pro quæstu prædicantes*; vel ne compellantur adulari, vt dictum est; vel etiam detrahere, Rom. vlt. *Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri*; Glos. *Alijs adulantur, alijs detrahunt, vt possint ventrem suum implere*; vel ne videantur committere Simoniam, si obtentu prædicationis recipiant; præcipuè illi, qui non sunt Apostoli, nec vices eorum gerunt; maximè *cum non tantum à malo, sed ab omni specie mali abstinendum sit.* 1. Thessal. 5.

INCIPIVNT CASVS ET ARTICVLI SVPER QVIBVS ACCVSATVS FVIT MAGISTER GVILLIELMVS DE S. AMORE A FF. PRÆDICATORIBVS CVM RESPONSIONIBVS AD SINGVLA.

PRIMO dixit, quod, qui ad prædicandum mittitur, si petit vel accipit ab ijs, quibus prædicat, peccat mortaliter.

RESPONDET ad hoc Magister Guillielmus de Sancto Amore, hoc non dixi, sed contrarium; vid. quod Prædicator missus licitè potest sumere sumptus, quia ei debentur 1. Corinth. 9. *Ordinauit eos Deus, qui Euangelium prædicant, de Euangelio viuere.* 2. Timoth. 2. *Laborantem Agricolam oportet primum de frugibus accipere.* Glos. *Victum sumere ab eis, quos tanquam cultor vineæ exercet, vel tanquam gregem pascit, non est mendicitas sed potestas.*

Item dixit, quod non licet Religiosis fieri Magistros, vel recipere dignitates.

Respondeo, hoc non dixi; sed dixi, quod Religiosis, qui reliquerunt mundum, & ea quæ in mundo sunt, videlicet, diuitias, & honores, *omne* enim *quod in mundo est, non est ex Patre, sed ex mundo est* 1. Ioan. 2. sicut non licet eis procurare, vt habeant

habeant diuitias, delicias, & honores, etiam si sint vtiles ad regendum populum Dei; quia secundùm Augustinum *locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita teneatur & administretur, vt decet, indecenter appetitur*, vt dicit Glos. 1. Timoth. 3. super illud, *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; Similiter dico, quod non licet procurare eis, vt fiant Magistri; quia Magisterium honor est. Vnde Matth. 4. super illud *statuit eum Diabolus super pinnaculum Templi*, dicit Glos. *In Palæstina plana desuper erant tecta, & ibi erant sedes Doctorum, vnde populo loquerentur, vbi multos cepit vana gloria honore Magisterij inflatos; In eo igitur loco Christum tentat, in quo multos deceperat*; Ergo Magisterium honor est.

Item dixit, quod non licet Religiosis morari in curijs Principum, & Prælatorum.

Respondeo. Hoc non dixi; sed dixi, quod periculosum est Prædicatoribus Religiosis morari in curijs Principum Sæcularium, propter periculum adulationis. Vnde Matth. 11. super illud, *Ecce qui mollibus induuntur, in domibus Regum sunt*, dicit Glos. *Rigida vita & prædicatio, declinare debent mollium palatia, quæ frequentant mollibus indutis adulantes.*

Item dixit, quod qui offert se ad prædicandum habenti curam animarum non vocatus, peccat mortaliter.

Respondeo. Sic non dixi; sed dixi, quod cum officium prædicationis sit officium honoris & præsidentiæ in docendo, non debet se homo ingerere ad illud; sed si vocatus fuerit, debet humiliter obedire; nam, *cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc, etiam ex proprio desiderio, anhelat.* 8. q. 1. cap. *Sciendum.*

Item dixit, quod qui recipit Parochianum alicuius Sacerdotis ad confessionem, peccat mortaliter.

Respondeo. Non dixi sic, sed adieci *sine licentia sui superioris*, secundùm quod notatur *De pœnit.* dist. 6. cap. *Placuit.* Et extrà, *De pœnit. & remiss.* cap. *Omnis vtriusque sexus.*

Item dixit, quod Episcopus prædicans extra suam dioceſim, sine licentia illius Episcopi, in cuius Episcopatu ipse prædicat, duo peccata mortalia committit, *furtum*, scilicet, *& vanam gloriam.*

Respondeo. Non credo me sic dixisse; sed dixi, quod non licet Episcopo extra suam dioceſim prædicare publicè, vel alia

Digitized by Google

negotia Ecclesiastica exercere, sine licentia Diocesani. 9. q. 2. cap. *Nullum Episcoporum.* Item cap. *Nullus Episcopus.* & cap. *Episcopum.* & cap. *Episcopi.* & cap. *non inuitati.* Quia, *Qui per alienam messem transeunt, falcem mittere non debent*, 6. q. 2. cap. *Scriptum est.* Et Deuteron. 23. super illud, *Ingressus vineam proximi tui, &c.* dicit Glos. *In Ecclesia alicuius Episcopi potest aliquis Episcopus aliquos corrigere, vel monere; totam verò plebem non licet ei corrigere, vel magna negotia tractare.*

Item dixit, quod qui dat omnia sua pro Deo nihil sibi retinens, & postea assiduè viuit de eleemosynis, non est in statu saluandorum.

Respondeo. Hoc non dixi; sed, quod homo validus non habens vnde viuat, debet secundùm Apostolum operari manibus, vnde viuat; ne compellatur egestate rem alterius, vel derare; vel rogare. 1. Thessal. 4. *Operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis, & vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Glos. id est, *opus agendum est, non orandum; quia & honestum est, & quasi lux ad infideles; & non desiderabitis rem alterius, ne dum rogetis, vel tollatis.*

Et vt de materia ista, videlicet, *In quibus casibus liceat victum, vel necessaria vitæ, quærere*, me breuiter expediam, sic dico. Qui non habet scientiam operandi, nec habet ignorantiam affectantem, potest mendicare, donec sciat operari. Item qui non habet impotentiam naturalem, vt pueri, & senes, & infirmi; possunt licite mendicare. Item qui habent impotentiam ex consuetudine, vt potè, sicut dicit Augustinus *De opere Monachorum*, qui non meliùs, sicut multi putant; sed, quod verum est, languidiùs educati, id est, delicatè nutriti sunt, & ideo laborem operum corporalium sustinere non possunt; si mendicare voluerint, credenda est eorum infirmitas, & ferenda. Item qui non inuenerunt, qui opera eorum velint conducere, mendicare possunt. Item qui operantur quod possunt, & opus non sufficit eis ad victum, tales ad supplementum sui victus mendicare possunt; vnde 2. Thessal. 3. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes*, Glos. *pauperibus; quia etsi operantur, possunt tamen nonnullis indigere; non enim in reprehensionem venit, qui humanus est in largiendo, sed hic, qui cum possit laborem ferre, otiosè vult vitam agere.* Item si quis vult erudire animum suum ad ea, quæ sunt sibi necessaria in militia Christiana, potest se-

Digitized by Google

cundùm Aug. *De opere Monachorum* victum mendicare, ne opprimatur egestate; vt si horis, quibus ad erudiendum animum ita vacatur, illa opera corporalia geri non possint. Item illi, qui distracti sunt tali occupatione militiæ Christianæ, vt aliud agere non possint, licitè possunt victum quærere, vel potestate sumendo, vel mendicando, secundùm Aug. *De opere Monach.* & si plures inueniantur casus per scripturas Authorum, aut per inconcussam rationem, paratus sum assentire.

Item dixit, quod quicũque est in Religione non habente reditus, vel possessiones, potens laborare opere manuali, & non laborat, sed assiduè viuit de elemosynis; non est in statu saluandorum, nec excusatur per officium prædicationis.

Ad hoc iam responsum est; & est sciendum, quod ea, quæ superiùs de mendicitate dixi, dixi præcipuè propter * * * validos corpore, quorum est in regno Franciæ multitudo infinita; & propter quosdam iuuenes, quos appellant *Bonos Valetos*; & propter quasdam mulieres iuuenes, quos appellant *Beguinas* per totum regnum iam diffusas; qui omnes, cum sint validi ad operandum, parum certè, aut nihil volunt operari, sed viuere volunt de eleemosynis in otio corporali sub pretextu orandi; cum nullius sint Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ. Et extra prædictas, iam est quarta Secta Parisiùs, quæ dicit *numquam operandum manibus, sed incessanter orandum*; & si homines sic orarent, plures fructus terra sine cultura afferret, quàm modò afferat cum cultura.

Item dixit, quod pretiositas vestium non nocet, vel iuuat ad sæculum.

Respondeo. Hoc non dixi; sed dixi, quod licet vti veste pretiosâ, dum tamen non excedat homo, vel mulier, modulum personæ suæ, vel mores prouinciæ; vel non hoc faciat causâ mouendæ concupiscentiæ; vt dicit Glos. super illud 1. ad Timoth. 2. *Non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosâ.* Gloss. *Nè hisomnibus, vltra personæ suæ modum, & moret, occasioni concupiscentiæ studeant.*

Item dixit, quod plùs peccat, qui vltra statum suum portat vilem habitum, quàm qui vltra statum suum portat superbum.

Respondeo. Non sic dixi; sed, quod in vili habitu potest esse superbia, sicut in pretiosa veste; vnde Matth. 6. *Exterminant fa-*

cies ſuas. Gloſ. *Sicut in nitore veſtium iactantia eſt, ſic in nimio ſqualore.* Hieron. ad Nepotianum. *Veſtes pullæ æquè deuita, vt candidas; ornatus, vt ſordes pari modò fugiendæ ſunt; quia alterum diuitias, alterum gloriam redolet.* Item Hieron. *Nec affectatæ ſordes, nec acquiſitæ diuinas laudes pariunt;* Et ſecundùm Aug. de doctrina Chriſtiana, *non ex ijs, quibus vtimur, ſed ex cauſa vtendi, vel modo appetendi, probandum eſt, vel improbandum, quod facimus.* ITEM dixi, quod illa ſuperbia, quæ eſt ex vili veſte, adhuc exam habet ſimulationem, propter quam maius peccatum eſt. Matth. 6. *Exterminant facies ſuas;* Gloſ. *luctuoſis veſtibus, in quibus etiam iactantia eſt; & ſic magis ſub ſpecie humilitatis decipiunt.* Et ſciendum, quod prædicaui hoc propter *Beguinas*, & *Bonos Valetos*, dicentes, quod veſtis pretioſa portari non poteſt ſine magno periculo.

Item dixit coram Domino Epiſcopo Matiſconenſi, & clero, & populo, ante Eccleſiam Sancti Vincentij, quod non excuſat validum corpore viuentem de eleemoſynis aſsiduè officium prædicationis, vel occupatio orationis, vel pſalmodiæ, vel alicuius alterius huiuſmodi labor; & cum diceret Epiſcopus dicto Magiſtro Guillielmo, quod non ſe intromitteret de ordinibus Fratrum Prædicatorum & Minorum, cum ſint approbati per Curiam Romanam, reſpondit idem Magiſter, quod non crederet Domino Papæ contra Apoſtolum; Et primò oſtendere videbatur, quod ſit contra Apoſtolum viuere de eleemoſynis.

Reſpondeo. Iam reſponſum eſt ſuprà, in articulo *De mẽdicitate.* Sed quod ſibi imponitur in hoc articulo, quod Epiſcopus dixit ſibi, *quod ſe non intromitteret de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, per Curiam Romanam approbatis;* Reſpondeo. Non credo dictum Epiſcopum id vmquam dixiſſe, nec me etiam illud vmquam reſpondiſſe.

Item dixit, quod mulieres exiſtentes in ſæculo, mutantes habitum ſuum cauſâ Religionis, peccant grauiter; & quæ cædunt capillos ſuos exiſtentes in ſæculo, credentes hoc facere cauſâ Religionis, peccant; & debent iſtæ & illæ excommunicari; ſiquidem tales ſunt, quæ vocantur *Beguinæ.*

Reſpondeo. Hoc non dixi; ſed dixi, quod non licet Viro, vel Mulieri Sæculari, vel Regulari, mutare habitum ſuæ profeſſionis in habitum alterius profeſsionis. Deuteron. 22. *Non indu-*

eris veſtimẽtô, quod ex lana linoque contextum eſt. Glo. *Lineis veſtibus lanam miſcet, qui inordinatè viuit ex profeſsionibus diuerſi generis, vt ſi Monialis habeat ornamentum Vxoris, & Vxor habeat ornamentum Virginis, ſiue ſpeciem eius gerat.* ITEM dixi, quod ſi Vir, vel Mulier, gerat habitum viliorem, vt alijs diſsimilis videatur, & inter alios ſanctior reputetur, peccatum eſt hypocriſis. Matth. 6. *Exterminant facies ſuas*; Gloſ. *vt alijs diſsimiles videantur, & vt illâ vilitate vltra homines prædicentur.* Hæc autem omnia dixi propter hypocritas, de quibus tunc loquebar.

Item dixit, quod Chriſtus nunquam mendicauit, nec Apoſtoli; ſed poſt Aſcenſionem Domini reuerſi ſunt ad labores ſuos priſtinos.

Reſpondeo. Dixi, quod non memini me in Scriptura inueniſſe Chriſtum mendicaſſe; Immò *cum eſſet Paſtor ouium*, Ioan. 10. *miſſus ad oues, quæ perierant domus Iſrael*, Matth. 15. recipiendo vitę neceſſaria ab eis, quibus prędicabat, non erat mendicitas, ſed poteſtas, vt dictum eſt ſuprà. ITEM nec Apoſtolos legi mendicaſſe; ſed poſt reſurrectionem Domini adhuc ad piſcationem priſtinam redijſſe. Ioan. 21. *Dicit eis Simon Petrus, vado piſcari.* Gloſſ. *Poſt redditum vinum Chriſtum, poſt acceptum eius inſufflationis Spiritum, poſt verba eius* SICVT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS, *ſubitò fiunt Apoſtoli, qui fuerant*, ſcilicet, *piſcatores, non hominum, ſed piſcium, cum vnde viuerent, non haberent; & ſic eis laborantibus adiecit Dominus neceſſaria, quæ promiſit.* Oblata verò, etiam rogati, vix recipere volebant, timore grauaminis. 2. ad Cor. 8. *Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos.* Gloſſ. *Cum timens eis non aſſentirem, obſecrabant nos, vt eis liceret ſua dare, non quaſi propria, ſed quaſi cõmunia.* Et ſuper præmiſſis articulis, ego delatus Magiſter Guillielmus per Fratres Prædicatores apud Dominum Epiſcopum Matiſconenſem, purgaui me coram eodem Epiſcopo, & clero, & populo, perhibentibus teſtimonium veritati rationibus meis.

Item. Iſtæ ſunt rationes, quas Magiſter Guillielmus de Sancto Amore, coram magna multitudine Prælatorum Franciæ, contra ordinationem Domini Papæ tradidit in ſcriptis, ne Fratres reciperentur. PRIMÒ dixit, eos non eſſe admittendos

Digitized by Google

ad noſtram ſocietatem ſcholaſticam, niſi de voluntate nõſtra; quia ſocietas non debet eſſe coacta, ſed voluntaria & gratuita. ITEM timemus, *ne ſint de penetrantibus domos*, quoniam ipſi in domos ſingulorum ſe ingerunt, conſcientias & proprietates hominum rimantur, & quos ſeducibiles ad modum mulierum inueniunt, ſeducunt, id eſt de conſilijs Prælatorum ad ſua conſilia ducunt, & etiam captiuos ducunt aſtringendo eos ad ſua, vel votis, vel iuramentis; & tales præcipit Apoſtolus euitari dicens, *Et hos deuita*. ITEM timemus, *ne ſint de illis*, qui cum vnde viuant non habeant, *viuere volunt otioſi & curioſi*, ſcilicet, *de tractando negotia aliena, & de operibus ſpiritualibus*; cum tamen non ſint Apoſtoli, vel eorum ſucceſſores, id eſt Epiſcopi; nec etiam ſint de 72. Diſcipulis Domini, nec eorum ſucceſſores, id eſt Parochiarum Presbyteri; neque eorum opitulatores, id eſt eorum Vicarij, vt dictum eſt ſuprà; tales enim, qui ſic viuere volunt, præcipit Apoſtolus euitari dicens 2. Theſſ. 3. *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*; Id eſt, vt inquit Gloſſa, per Chriſti authoritatem & obedientiam præcipimus, *vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundùm traditionem, quam accepiſtis à nobis*, vſque ibi, *& nolite quaſi inimicum exiſtimare*. Inſpiciatur Gloſſ. & inuenietis, quod tales ſunt euitãdi, donec reſipiſcant à tali modo viuendi. ITEM cum iſti ſint in ſtatu perfectionis, tenentur ad conſilia; conſilium autem Domini eſt Matth. 23. *Nolite vocari* RABBI; cum ergo velint docere ſolemniter, faciunt vt vocentur MAGISTRI, & ſic viuunt contra Domini conſilium; & ita publicè peccant, & ſcandaliſant; & ſic ſunt euitandi. ITEM quia iſti exercentes officium Magiſterij faciunt contra profeſſionem, per quam mundo abrenuntiauerunt; *In mundo* enim tria ſunt, vt dicitur 1. Ioan. cap. 2. *Concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt.*

Reſpondeo. Ad hæc omnia dico, quod tunc temporis non eram Procurator Scholarium, vel Rector de Collegio eorum; ſed cùm publicè & ſolemniter, ſicut moris eſt Pariſiùs, dimiſiſſem actum legendi coram Magiſtris Scholaribus, reuerſurus ad Eccleſiam Beluacenſem, quæ pro negotiis ſuis, pro debito iuramenti per literam ſuam patentem me reuocauerat; retentus autem fui à quibuſdam magnis viris, vt ad

compoſitionem faciendam inter Fratres & Scholares iuuarem, ſicut & feci; & tractatui illius compoſitionis interfui: Sed cum ante illum tractatum compromiſiſſent dicti Fratres, & Scholares, in quoſdam Prælatos Franciæ, tamquam in Arbitros, & obtuliſſent Fratres ſuam petitionem, & tradidiſſent in ſcriptis, per quam petebant admitti ad ſcholaſticam ſocietatem Scholarium Scholaſticorum, non per ordinationem Domini Papæ, ſed de iure communi, ſicut alij Scholares vndecumque venientes; Scholares quaſdam exceptiones, quod Fratres non deberent eis inuitis ad eorum ſocietatem admitti, dederunt in ſcriptis, petentes inducias ad probandum; quas probationes volentes Prælati admittere, Arbitrium dimiſerunt, & Arbitrium expirauit; & tunc de conſenſu partium facta eſt per eoſdem Prælatos amicabilis compoſitio inter eos. Dictas exceptiones vidi, & tenui; ſed eas non propoſui, nec tradidi, cum Scholarium Procurator non eſſem; nec traditæ fuerunt illæ exceptiones contra ordinationem Domini Papæ, quia de illa tunc non agebatur, nec ſuper illa receperant dicti Arbitri poteſtatem; ſed potiùs traditæ fuerunt dictæ exceptiones contra præfatam petitionem, per quam innitebantur Fratres iure communi.

Item dixit in ſermone *Aſcenſionis Domini*, quod liber Abbatis Ioachimi, qui continet multas heræſes, non poteſt damnari Romæ; quia plures ſunt ibi defenſores, qui defendunt eum.

Reſpondeo. Non ſic dixi; ſed, cum ego, & quidam alij, prædicaſſemus contra errores repertos in libris, qui dicuntur eſſe Abbatis Ioachimi, & qui fuerunt poſiti Pariſiis ad exemplar; & diceret nobis populus, quare non procurabamus illos errores apud Sedem Apoſtolicam reprobari; ideo, dixi, quod de illis erroribus iam aliqui erant damnati, vt intellexeram; reliqui verò non poterãt ita citò inſpici ad damnandum; tum propter magnitudinem & multitudinem illorum; tum etiam propter multiplicem eorum occupationem; quia libri habebant alios defenſores.

Item dixit in ſermone *Ramis-palmarum*, quod tempore Hilarij omnes Prælati fuerunt hæretici; etiam Papa, cui Hilarius reſtitit.

Reſpondeo. Dixi, quod in periculis nouiſsimorum tempo-

rum *aliqui, qui creduntur esse electa membra Redemptoris, Ecclesiam persequentur*, vt dicit Greg. super illud Iob 30. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illicò surrexerunt.* Nec mirandum est, quia olim idem accidit; nam tẽpore B. Hilarij omnes Episcopi, qui columnæ Ecclesiæ videbantur, fuerunt hæretici, exceptô Beatô Hilariô cum paucis; etiam ipse Papa, qui tunc erat hæreticus, *nutu diuinô fuit percussus*; & fortè ille Papa fuit Anastasius 2. de quo habetur dist. 19. can. *Anastasius.*

Item dixit, quod homines diuites debent habere vestes pretiosas; quia in diuitijs, aut delicijs non est periculum, aut in pulchris vestibus.

Respondeo. Non dixi, quod debeant habere; sed dixi, quod licet eis habere; ita tamen quod non excedant modulum personæ suæ, & prouinciæ mores, nec faciant hoc causâ mouendæ concupiscentiæ.

Item dixit in sermone *Cœnæ*, quod illi, qui cum Regibus morantur, vel assumunt Prælationes, non sunt humiles. ITEM dixit in sermone *Pentecostes*, quod maius malum erat, si quis prętermitteret cultum vestium personę suę congruentem, quàm si excederet in pretiositate vestium.

Ad hęc satis responsum est suprà; nec opus est hîc quidquam aliud adiicere.

Item dixit in eodem, quod ad Reges pertinet ferre vestes pretiosas ad dandum pro Deo, & iudicium, & iustitiam facere; & qui aliud facit, peccat mortaliter; non enim dicit Scriptura, quod ad Reges pertinet ferre burellum, vel audire matutinas; & quod magnum periculum imminet illis, qui talia suadent Regi.

Respondeo. Dixi, quod ad Regem pertinet ferre habitum congruentem suæ dignitati; ne contemptibilis habeatur. Vnde Hieron. *Vtere deliciis, non pro te, sed pro regno; vt timorem incutias ad iustitiam exercendam.*

Item dixit, quod melius est Regibus & Principibus facere iudicium & iustitiam, ad quæ tenentur, etiam omissis solemnitatibus diuinorum officiorum in diebus profestis, quę ipsos à prędictis imdiunt; quàm per prædictas solemnitates omittere iudicium & iustitiam, ad quæ tenentur.

Respondeo. Dixi; Non legi, *Regum est audire plures missas in diebus profestis, vel matutinas solemnes*; Sed legi, *Regum officium*

ized by Google

officium proprium est facere iudicium & iustitiam. 23. q. 5. cap. *Regum officium*; Et credo, quod qui contraria eis consulunt, peccant. ITEM dixit in Sermone *Ramis-palmarum*, quod Dominus Iesus habuit tam pretiosam vestem, scilicet, *tunicam inconsutilem*, & quæ tanti pretij erat, quod Crucifixores voluerint eam diuidere; & quod, si aliquis nunc ita pretiosam vestem deferret, *Papelardi* in faciem eius spuerent, sicut Pharisæi spuerunt in faciem Domini Iesu Christi sic induti.

Respondeo. Dixi; quod si peccatum esset habere vestem pretiosam cum debitis circunstantiis supradictis, Dominus noster non habuisset *tunicam inconsutilem de super contextam per totum* Ioan. 19. quæ satis pretiosa erat ratione ipsius paupertatis assumptæ. Et omnia hæc dixi propter falsam humilitatem; quia per hypocritas erunt pericula nouissimorum temporum, de quibus periculis tunc loquebar.

Item dixit, quod si aliqua mulier tantum habeat de suo, quantum aliæ sui status, & conditionis; si ferat vestes humiles in signum, quod non curat de superbia, non est Religiosa; quia Religio non consistit in cibis & vestibus, sed tantùm in corde.

Responsum est suprà; scilicet, qualiter peccatur in veste, & non peccatur.

Item dixit in Sermone *Ascensionis Domini*; quod, qui exponit se paupertati, ita quod oporteat eum mendicare, peccat mortaliter; nisi operetur manibus, vel nisi sit in Religione, in qua possit viuere de bonis Ecclesiæ.

Responsum est suprà, in articulo *De mendicitate*; nec hîc quidquam est addendum.

Item dixit in Sermone, quod qui prædicant, & non sunt Episcopi, qui sunt successores Apostolorum; vel Sacerdotes & Curati, qui sunt successores aliorum Discipulorum; vel nisi vocentur à Presbyteris Curatis; sunt Pseudo-Apostoli, non facientes mentionem de commissione Episcoporum, vel Papæ, vel Legatorum eius.

Respondeo. Dixi, quod illi, qui non sunt Episcopi, vel Curati, vel missi ab eis; si se ingerant prædicationi, Pseudo sunt. Rom. 10. *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* Glos. *Non sunt veri Apostoli, nisi missi.* Et ibidem expressè adieci, quod loquendo

de missis ab eis, maximè intelligimus à Domino Papa, qui est Summus Episcoporum.

Item dixit in eodem, quod signum falsorum Apostolorum est, quod vadunt prædicare, vbi Christus fuit prædicatus, vel prædicatur ab aliis; quia Apostolus dixit de se, quod ipse prædicauit, vbi Christus non fuit prædicatus.

Respondeo. Dixi, cum Apostolus dicat Rom. 15. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus; ne super alienum fundamentum ædificarem.* Glos. *Ne prædicarem iam per alios conuersis.* Et 2. Corinth. 10. *Ne habentes spem gloriari in aliena regula, in his, quæ præparata sunt;* Gloss. *Ab alijs prædicatoribus; quia his prædicabat Apostolus, quibus non erat annuntiatum, vt gloriam suam labore quæreret;* Timendum est, ne illi, qui vadunt prædicare fidelibus iam conuersis & orthodoxis, non ostendentes literas, siue authoritates suę missionis, non sint veri Apostoli; cum in hoc non imitentur veros Apostolos.

Item dixit in eodem, quod signum falsorum Prædicatorum est, quod de iniuriis sibi factis recurrunt ad Dominum Papam, & impetrant literas.

Respondeo. Dixi, quod veri Apostoli patientes erant. Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio Luporum.* Glos. *Qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare.* Item 2. ad Corinth. 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.* Glos. *Patientiam primam commemorat, quæ ad mores Prædicatoris pertinet.* Theophylact. *Primus character Apostoli est patientia, & omnia dextrè ac strenuè ferre.* Et hoc maximè conuenit viris perfectis. Matth. 6. *Diligite inimicos vestros, & benefacite illis, qui oderunt vos.* Falsi verò Prædicatores impatientes sunt. Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos;* Gloss. *Maximè autem per impatientiam cognoscuntur;* quia non solùm lædũt quos odiunt, sed etiam diffamant: vnde super illud, Ierem. 23. *A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram,* dicit Gloss. *Non eis sufficit proximos lædere, sed quos semel oderunt, per totum orbem conantur diffamare.* Vnde illi Prædicatores, qui vexant homines, vel per literas Apostolicas, vel aliô modô, videntur esse contrarij veris Apostolis maximè si sint in statu perfectionis. Vnde 1. Corinth. 6. *Iam quidem omninò delictum est in vobis, quia*

Digitized by Google

iudicia habetis inter vos; quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Gloss. *Perfectis viris licet sua repetere simpliciter, id est, sine causa, sine lite, sine iudicio; sed non conuenit eis inde mouere causam ante Iudicem.*

Item dixit in Sermone *Ascensionis Domini*, quod signum falsorum Prædicatorum est, quia volunt recipi in aliqua ciuitate, vel castro, vel societate, contradicentibus illis de communitate, vel societate.

Respondeo. Dixi, quod veri Apostoli nolentibus eos recipere nullam molestiam inferunt, vt eos recipant; ne videantur aliquid quærere terrenorum; Et hoc præcipit Dominus Matth. 10. *Quicumque non receperint vos, exeuntes foras excutite puluerem de pedibus vestris*; Glos. *Vt ostendatis appetitum terrenorum non esse in vestris affectibus.* Vel, *Excutite puluerem de pedibus vestris*; Glos. *ad contestationem terreni laboris, quem pro eis inaniter susceperant; vel, vt ab eis nec ad victum aliquid accipiant, nec terrenum aliquid ab eis quærere ostendant, vt & puluerem de terra eorum sibi non patiantur adhærere.* Vnde qui faciunt contrarium, veros Apostolos hac in parte non imitantur.

Item dixit in Sermone *Si quis putat se Religiosum esse*; quod si Christus, qui optimè prædicabat, totâ die prædicans in Ramis-palmarum, non potuit habere hospitium in Ierosolima, sed reuersus est Bethaniam, quia non adulabatur, sed dicebat veritatem; sic nec alij Prædicatores, nisi adularentur.

Respondeo. Dixi, quod si Dominus Iesus, qui est optimus Prædicator & gratiosus, de quo dicitur Ioan. 7. *Numquam sic loquutus est homo*, cum totâ die in Ramis-palmarum prædicasset in Ierosolima, *eô quod pauper erat, & nulli adulatus fuit, in tota ciuitate hospitium non inuenit*, vt dicit Glos. Matth. 21. timendum est, ne illi pauperes, qui bona & referta hospitia sibi quærunt, si Prædicatores esse voluerint, sint adulatores, vt libentiùs recipiantur, & meliùs.

Item dixit in Sermone *Pentecostes*, quod qui prædicat, & petit aliquid, vel per se, vel per alium; vel etiam si recipiat per se petitum, quamuis non fuerit petitum ad eius suggestionem; gratiam prædicationis vendit, & est Simonia.

Respondeo. Dixi, si Prædicator non missus post suam prædicationem petat vel peti faciat aliquid ab illis, quibus prædicauit; sperans eos libentiùs esse daturos propter suam prædica-

Digitized by Google

tionem, Simoniam videtur committere, vendendo gratiam prædicationis, ad instar Giezi, qui petiit vestes à Naaman Syro, sperans se ab ipso faciliùs habiturum, eô quod Dominus eius, scilicet, Elisæus dederat illi Naaman gratiam sanitatis: licet vestes illas petiisset Elisæo nolente. 1.q. 1. cap *Qui studet.*

Item dixit in Sermone *Si quis putat se Religiosum esse*, quod sunt in periculo damnationis, qui non sunt infirmi, si relictô labore manuum eleemosynas quærant, etiam si sint Prædicatores; quia non possunt viuere de Euangelio, nisi Episcopi, & Prælati, qui possunt sumere à subditis; quod non est mendicitas, sed potestas.

Responsum est suprà in articulo *De mendicitate*; nec hîc quidquam est addendum.

Item dixit in Sermone, quod, qui non sunt infirmi, peccant mortaliter mendicando; & secundum Ius ciuile debent grauiter puniri.

Responsum est suprà in articulo *De mendicitate*; Et sciendum est, quod lex ponit mendicantes validos in hunc modum; quod *si sint seruilis conditionis*, efficiuntur serui illorum, qui produnt eos; *si autem sint liberæ conditionis*, efficiuntur coloni perpetui eorum, qui produnt eos, Cod. *De mendicantibus validis*, lege vnicâ.

Item dixit in eodem, quod Regularibus non sunt dandæ eleemosynæ.

Respondeo. Dixi, quod mendicantibus validis in casu illicito melius est correctionem dare, quàm illud quod petunt. Lucæ 6. *Qui petit à te, da ei*, Glos. *non quod petit, sed melius, cum iniuste petentem correxeris*; nam secundùm Aug. *vtilius esurienti panis subtrahitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam eidem panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.* 5. q. 5. cap. *Non omnis.*

Item dixit in Sermone *De Cœna*, quod nemo debet reputari bonus, vel humilis, qui portat humiles vestes; vel qui ieiunat, & dat eleemosynas, & Deum orat totâ die in templo; etiam si miracula faciat.

Respondeo. Dixi, quod falsi Prædicatores, qui venturi sunt ad seducendum fideles Christi, venient in specie sanctitatis. Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Glos. *In conspectu hominum similes sunt ministris iustitiæ, cum ieiunant, orant, elee-*

ized by Google

mosynas dant; sed non sunt eorum fructus, quia eis pro vitio reputatur. Item Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Glos. *Qui in humilitate ambulant ex falsa religione; ideoque cauete, ne vos decipiant blanditijs & simulationibus.* Item Coloss. 2. *Nemo vos seducat in humilitate & religione Angelorum.* Glos. *Qui videntur esse nuntij Dei per speciem & humilitatem religionis; & hæc sunt, quibus homines facilè seduci possunt.* Vnde, licet ostendant prædictas species sanctitatis, nihilominùs tamen possunt esse Pseudo, etiam si facerent miracula; vnde Matth. 7. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquam noui eos.* Glos. *Sicut cauere monuit à falsis Prophetis, ita ab illis, qui Dæmonia eijciunt, & virtutes faciunt.* Item. *Prophetare, virtutes facere, Dæmones eijcere, interdum non est meriti illius, qui operatur; sed inuocatio nominis Christi hoc agentis ad damnationem inuocantis, vel ob vtilitatem eorum, qui vident, vel audiunt.*

Item dixit in Sermone *Qui amat periculum*, quod non est reputandus bonus, qui bona prætendit exteriùs; & cauendum est ab illis, quia per tales contingit, quod maior pars Catholicorum pereat; & quod tales persequentur Ecclesiam, & eorum persequutio grauior erit, quàm Hæreticorum, & Tyrannorum.

Respondeo. Dixi, quod illi Pseudo, & Penetrantes domos qui procurabunt pericula nouissimorum temporum, venient sub habitu Religionis, & tantam sanctitatem prætendent, quod videbuntur electa membra Ecclesiæ; vnde Apoc. 6. *Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis,* VENI ET VIDE; *& ecce equus pallidus, &c.* Glos. *Videns Diabolus, nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreses, posse proficere; præmittit falsos fratres, qui sub habitu Religionis obtinent naturam rufi equi, & nigri, peruertendo fidem;* id est, tantam facient persequutionem, quantam fecerunt aperti Tyranni, quos apellauit *rufum equum* suprà, eodem capitulo. Item Iob 30. super illud *Ad dexteram orientis, &c.* dicit Glos. *Ad dexteram orientis illico calamitates insurgunt, quia hi ad persequutionem Ecclesiæ prosiliunt, qui electa membra Redemptoris esse credebantur.* Et ideo huiusmodi homines maximè nocebunt Ecclesiæ Dei,

quia, ſicut dicit Gregorius in Paſtorali, *Nemo plus nocet in Eccleſia Dei, quàm qui peruersè agens nomen habet ſanctitatis, vel Ordinis.*

Item dixit frequenter, quod ſcit ſe paſſurum multa & grauia pericula, rerum & corporis, & etiam mortem, pro his quæ prædicat; ſed non curat, vt dicit, quia paratus eſt mori pro iſta veritate; & hoc frequenter in ſuis ſermonibus atteſtatus eſt.

Reſpondeo. Cum Apoſtolus prophetauit pericula nouiſſimorum temporum, 2. ad Timoth. 3. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, &c.* etiam contra illa tempora periculoſa, &c. inſtanter prædicandum præcepit in ſequenti capite dicens. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu,* Gloſſ. *Adiuro te coram Deo,* &c. *Prædica verbum, inſta opportunè importunè,* &c. Gloſſ. *Prophetia eſt ſancti Apoſtoli, qui præſcius futurorum in doctrina præcipit inſtandum eſſe, vt contra hoc, quod futurum erat, præparetur Eccleſia*; Idcirco ſecundùm præceptum Apoſtoli cæpi prædicare prædicta pericula; ſed cum quidam veritatem prædicationis ſuſtinere non poſſent, quia ſibi illa veritas aſpera videbatur, ſecundùm quod prophetauit Apoſtolus contra, ibidem dicens, *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundùm deſideria ſua coacernabunt ſibi Magiſtros,* Gloſſ. *Qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant; quia veritas illa aſpera videbitur*; Ideo vt nocere mihi magis reformidarent, præcipuè cum multas minas audiuiſſem, aliquando dixi in publicò, quod fortè propter veritatem de periculis nouiſſimorum temporum, quam prædicabam, contingeret me pericula incurſurum; & reuerà quod loquebar accidit.

Item rogauit Auditores ſuæ prædicationis, quod ſi aliquando audirent, quod caperetur, vel incarceraretur, vel decapitaretur, occaſione prædictorum; quod ipſi non recederent ab illa veritate, quam illis prædicauit.

Reſpondeo. Dixi, quod quicquid mihi pro iſtius veritatis prædicatione accideret, non mouerentur homines à ſenſu ſuo; ſed ad confirmandum corda ſua in ipſa veritate conſulerent Theologos, & alios peritos Sacræ Scripturæ, qui hanc veritatem habent in libris ſuis.

Item dixit, quod ſuper iſtis petebat Concilium Generale.

Reſpondeo. Dixi, quod ſi aliquis vellet ſe opponere, quod minùs deberent prædicari pericula nouiſſimorum temporum, & quod minùs eſſent illa pericula prædicanda, quæ dicebam; paratus eſſem ſuper his ſubire definitionem Eccleſiaſtici Iudicij, aut Concilij Prouincialis, aut Concilij Generalis.

Item dixit, quod ſi contrarium prædicaretur eis per Religioſos, quod non crederent eis, ſed remitterent eos ad diſputandum cum Magiſtris Theologię, qui ſecum prędicta ſentiebant.

Ad hoc reſponſum eſt ſuprà propè; nec eſt quidquam hîc addendùm.

Item, cum Dominus Turonenſis Archiepiſcopus, ex deliberato conſilio bonorum & proborum, præſente Rege, & Epiſcopo Pariſienſi, contra huiuſmodi falſitates prædicauiſſet; Magiſter Guillielmus è contra ſequenti Dominicâ, congregatâ maximâ multitudine populi, cum duobus Magiſtris Theologiæ, fecit ibi portari multos libros, & dixit publicè, quod veritatem prædicauerat, & adhuc illam prædicare volebat; ſed non poterat eam confirmare per mitras, & croſſeas, & annulos, nec adducere Archiepiſcopos, & Epiſcopos; & ideo per ſcripturam librorum, qui prędentes erant, volebat illam confirmare, etiam ſub ſigillis congregationis prædictorum Prælatorum, quæ præceſſit; & dixit, quod cum Pariſiùs non eſſent, niſi ſeptem Magiſtri in Theologia, (quia Religioſos non computabat) decem illorum extra villam abſentibus, tres, ſcilicet, ipſe, & Magiſter Odo de Duaco, & Laurentius, & Scholares eorum, parati erant hanc veritatem defendere. Et tunc cœpit prædicare contra hoc, quod Archiepiſcopus prædicauerat de paupertate; & dixit, quod qui intrat Religionem pauperem, & fortis eſt corpore ad laborandum manibus, licet ſit Prædicator, vel quicumque alius, tenetur laborare manibus, & ita acquirere victum ſuum, alias peccat mortaliter mendicando. Et ſi dicatur, quod Fratres Minores, & Prædicatores, habeant priuilegium mendicandi, non intromittit ſe de eis; ſed audacter dicit, quod qui petit tale priuilegium, peccat mortaliter, & qui dat; quia peccatum eſt contra Apoſtolum.

Reſpondeo. Cum à quodam bono viro, cuius nomen ignoro, accepiſſem, quamdam ſcedulam Domino Regi Franciæ

præsentatam, in qua continebantur omnes prædicti errores, qui mihi falsò erant impositi; sequenti Dominicâ in Ecclesia Sancti Innocentij, de consilio sapientiorum, volui me super illis purgare; & cum intellexissem per fide dignos, quod quidam viri Religiosi literati, & promeriti, parati erant illic se mihi opponere, & impugnare, quod dixeram, per scripturas, feci libros Theologiæ ad meam defensionem hîc deferri; & finitô sermone, per quendam Magistrum legi articulos dictæ scedulæ sigillatim; & probaui per adstantes Clericos & Laicos, qui omnes sermones meos illius anni ad populum factos, audierant, quod ego coram eis non dixeram dictos errores. ITEM dixi, quod, quia non habebam mitram, nec annulum, nec authoritatem, per quam mihi crederetur, idcirco attuleram libros Sacræ Scripturæ ad probandum veritatem, quam dixeram, vel prædicaueram, de periculis nouissimorum temporum; sed per Dei gratiam, nullus ibi se opposuit, nec libros oportuit aperiri. Dixi etiam, quod Magistri, & Scholares Theologicæ Facultatis; qui presentes erant, parati erant eandem mecum defendere veritatem. De Turonensi Archiepiscopo, vel contra ipsum, numquam protuli verbum vnum.

Item dixit, quod illi, qui mittuntur ab Episcopo, licet possint audire confessiones, non tamen possunt dare pœnitentiam sacramentalem.

Respondeo. Dixi, quod solùm habentes curam animarum, vel missi ab eis, possunt conferre pœnitentiam sacramentalem.

Item dixit contra illud, *cum Episcopus dat curam, totam dat, & totam retinet*, quod falsum est; quia si totam retinet curam sic omnes Episcopi retinerent curam; & sic essent in damnationem, cum omnes subditos non possent curare, nec eorum confessiones audire.

Respondeo. Dixi, quod cum Episcopus dat curam Parochiæ Presbytero, Presbyter habet exercitium curæ immediatè, Episcopus autem mediante Presbytero, tametsi in aliquibus exerceat eam immediatè per seipsum. Ab ipsa autem cura releuatur Episcopus per Presbyterum; non à toto, sed à tanto, alioquin in maximo periculo essent Episcopi, cum non possint curæ omnium animarum suarum diocesium in omnibus semper esse immediatè.

Item

Item dixit in fine Sermonis, quod modò de nouo impetrata eſt quædam litera, in qua continetur, quod quidam ſuis beneficiis priuantur, quorum primus ego ſum; alii autem priuantur beneficiis habitis, & habendis, niſi recipiant Fratres, & excommunicantur; Nos autem contra ſententiam ipſam apposuimus bonam barram, quia nos posuimus res noſtras, & Scholarium noſtrorum nobis adhærentium in protectione Romanæ Eccleſiæ, ad Concilium appellando; nec timemus excommunicationem Domini Papæ, quia non ligat, quantùm ad Deum; Nos autem peccaremus mortaliter, ſi dictos Fratres reciperemus; & hoc parati ſumus probare; vnde ad recipiendum eos, non poteſt nos cogere Papa, quia non poteſt facere contra Apoſtolum.

Reſpondeo. Dixi, me audiuiſſe rumores, quod quædam litera beneficiis priuationis impetrata erat contra me, & multos alios; quod tamen poſt modùm audiuimus eſſe falſum; quia nondum de impetratione aliquid ſciebatur. Dixi etiam, quod Magiſtri Scholares appellauerant, ponentes ſe ſub protectione Romanæ Eccleſiæ, ne contra eos quicquam iniuſtè attentaretur; & eamdem appellationem de mandato Magiſtrorum & Scholarium innouari. Quod autem dicitur, me dixiſſe in hoc articulo, *Non timemus excommunicationem Domini Papæ*, falſum eſt omninò, & friuolum; ſcio enim, quod *Sententia Paſtoru, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit, eſt timenda.* 11. q. 3. cap. 1.

Item, die Lunæ poſt dictam Dominicam, factâ congregatione Magiſtrorum, & Scholarium, monuit ipſos viriliter ſe tenere; & quod non timeret ſententiam Domini Papæ, quantùm ad Deum. DIXIT etiam, quod dicti Fratres nullo modò erant recipiendi ad ſocietatem eorum, quia ſunt illi, quos præcipit Apoſtolus euitari; videlicet, quia *ſunt Pſeudo-Prophetæ*, item *Penetrantes domos, & Gyrouagi*, ſeu *inquietè ambulantes*; tales enim præcipit Apoſtolus euitari. ITEM dixit, quod non permitterent aliquem in aliqua Facultate, niſi priùs iuraret, quod ſe teneret cum Vniuerſitate, contra omnes in quocumque ſtatu fuerint.

Reſpondeo. Dixi Scholaribus, quod ipſi benè defenderent ius ſuum ſecundùm Deum & iuſtitiam, quia hoc credebam expedire ſucceſſoribus eorum futuris; reliqua verò omnia, quæ continentur in hoc articulo, non dixi.

Item sciant SANCTI PATRES, quod cum Magister Ordinis Prædicatorum detulisset, quosdam Magistros Theologiæ Parisiensis apud Concilium Episcoporum Rhemensis & Senonensis Prouinciarum, celebratum Parisiùs, inter quos erat Parisiensis Episcopus; & cum dixisset eos prædicauisse ac dixisse errores & falsitates, præcipuè in derogationem Ordinis sui; & Ego ab illis dictis Episcopis, cum aliis Magistris, vocatus fuissem, & interrogatus ab eis, vtrum talia dixissem, ac prædicasse m; cumque constanter ea negassem, offerens me per per Scripturas probaturum, quæcumque prædicaueram; paratus, vel corrigere, vel reuocare, quæcumque Concilium corrigenda decerneret, aut reuocanda; ipsi Episcopi deliberatione habitâ, tam Magistro Ordinis suprà dicto, quàm nobis Scholaribus obtulerunt, & parati erant maius celebrare Concilium, in quo decernerentur ea, quæ Magister prædicti Ordinis duceret arguenda, docenda vel non docenda prædicanda, vel non prædicanda; Ego autem in nomine meo, & aliorum Magistrorum, Concilium acceptaui, & vt celebraretur, flexis genibus supplicaui; dictus verò Magister prædicti Ordinis dictum Concilium recusauit, secundùm quod probare possum incontinenti, per literas omnium Episcoporum, qui ad prædictum Concilium interfuerunt; quas literas audiuistis, & vidistis.

Dicet autem aliquis. Etsi illa, quæ prædicata sunt de periculis nouissimorum temporum, contra Pseudo & Penetrantes domos, prædicanda essent tempore suo, scilicet, in nouissimis temporibus, vel quando propinquius erunt illa pericula; non tamen sunt modò prædicanda; & ideo temeraria fuit illa prædicatio, iuxta illud Eccl. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo.*

Respondeo. Cum Apostolus prophetauit dicta pericula 2. Timoth. 3. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, &c.* statim in principio sequentis capituli, cum adiuratione præcepit, ea ex tunc instanter prædicari, dicens. *Testificor coram Deo, &c.* Glos. *Id est, adiuro te teste Deo Patre*, &c. *Prædica verbum, insta*, id est, instanter prædica, *opportunè* volentibus, *importunè* nolentibus, *in omni patientia & doctrina*, Gloss. *vt patienter sustineas repugnantes, & doceas accipientes.* Sed quare modò instanter oporteat illa prædicare, subiungit Apostolus dicens: *Erit enim tempus, &c.* Quasi dice-

Digitized by Google

ret, modò eſt neceſſe, vt prędices, *Erit enim tempus, cum multi ſanam doctrinam non ſuſtinebunt*, Id eſt, non ferent, cum onus ſit eis, *ſed ad ſua deſideria coacernabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus*, Gloſ. *Qui ea doceant, quæ volunt*. Item Gloſ. *Prophetia eſt Apoſtoli, qui præſcius futurorum in doctrina præcipit eſſe inſtandum, vt contra hoc, quod futurum erat, præparetur Eccleſia*. Sic ergo patet, quod contra pericula prędicta pręparanda eſt Eccleſia; & modò ſunt prædicanda; & ſemper à tempore Apoſtoli fuerunt inſtanter prædicanda. ITEM 1. Timoth. 4. vbi loquitur Apoſtolus de eadem materia, dicens, *Spiritus autem manifeſtè dicit*, Gloſ. mihi in corde, *quia in nouiſſimis temporibus*, contra quæ modò ampliùs vigilandum eſt, *diſcedent quidam*, Gloſ. notabiles, *à fide*. Gloſ. *Quæ ſibi Spiritus Sanctus reuelauerit ad inſtructionem, & cautelam Eccleſiæ, non tacet Apoſtolus, vt Eccleſia præmonita ſollicita ſit, ne ab huiuſmodi hominibus circumueniatur*. Sic ergo iterum apparet, quod etiam modò ſunt prædicanda dicta pericula, vt præmoneatur Eccleſia, ad inſtructionem, & cautelam ſuam.

Sed iterum dicet aliquis. Etſi modò ſint prædicanda dicta pericula, non tamen Laicis, & illiteratis, quales nòn ſunt futuri Pſeudo & Penetrantes domos; & ſecundùm Aug. *Aliter ad monendi ſunt Clerici, aliter Laici, aliter Sæculares, aliter Religioſi*.

Reſpondeo, quod licet illa peccata, quę ſuis actoribus nocent ſpiritualiter, coram ipſis actoribus maximè ſint prædicanda, tamen alia peccata, quæ aliis, quàm ſuis actoribus, nocent ſpiritualiter,, ſicut ſunt peccata Pſeudo & Penetrantium domos, per quæ ſpiritualiter alii ſeducuntur, prædicanda ſunt aliis, & maximè Laïcis, & illiteratis, quia illi faciliùs ſeducuntur, ſecundùm quod dicit Apoſtolus 2. ad Timotth. 3. *Ex his ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas*; Gloſſ. *Id eſt rimantur proprietates vniuſcuiuſque, & quos idoneos inueniunt, ſeducunt*. Item *Et captiuas ducunt mulierculas*, hoc eſt, *viros ſeducibiles quaſi mulieres, ſub doloſis & verſutis verbis ſeducunt*, vt dicit Gloſſa. Vnde Apoſtolus contra deceptiones Pſeudo-, non ipſis Pſeudo, ſed illis, qui per ipſos ſeduci poterant, prædicabat dicens Epheſ. 5. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*. Item Coloſſ. 2. *Nemo vos decipiat in ſubtilitate ſermonum*. Item in eodem. *Nemo vos ſeducat in humilitate & religione Angelorum*.

Digitized by Google

Gloſſ. *Qui videntur eſſe quaſi nuntij Dei, per ſpeciem & humilitatem religionis; & hæc ſunt, quibus homines facile ſeduci poſſunt.* Item 2. Theſſ. 2. *Rogamus vos, fratres, vt non citò moueamini à ſenſu veſtro.* Et infrà, *Ne quis vos ſeducat vllomodò.* Item 1. Ioan. 2. *Hæc autem ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.* Sic ergo patet, tam per Beatum Paulum, quàm per Beatum Ioannem Apoſtolos, quod ſimplicibus illiteratis, qui faciliùs ſeduci poſſunt, debent maximè prædicta pericula prædicari.

Sed dicet aliquis, quod ſi prædicta eſſent prædicanda modò, & etiam coram laïcis, vt dictum eſt, non tamen prædicanda erant à Scholaſticis, eô tempore, quô erat contentio inter Fratres & Scholaſticos, ne videantur ea dici propter Fratres, aut contra Fratres.

Reſpondeo primò per interpretationem; quia contentio, quam habuerant Fratres contra Scholares ſuper ſocietate ſcholaſtica, quam ab inuitis petebant, antequam hæc prædicarentur, ſedata fuerat per amicabilem compoſitionem factam per Regem Franciæ, & Prælatos regni eiuſdem.

Secundò dico, quod nec contra Ordinem Fratrum, nec contra eorum perſonas aliquid dicebatur; ſed tantùm contra opera Pſeudo, & Penetrantium domos; & valde ignominioſum eſt Fratribus dicere, quod per talia opera intelligerentur ipſi Fratres; cum hoc eſſe vix, vt exiſtimo, poſſet, niſi in eis talia opera, quod abſit, modô aliquô apparerent.

Tertiò dico, quod ad hoc, quod eſſet contentio inter Fratres, & Scholares, & ideo ipſa quæ dicebantur de Pſeudo, & de Penetrantibus domos, poſſent aliquô modô intelligi contra Fratres, quod abſit; non tamen propter dictam contentionem erat veritas dimittenda, exemplô Apoſtoli, qui contra Pſeudo apertiſſimè prædicabat, non obſtante, quod ipſi Pſeudo contra eum contentionem habebant, vt ipſemet profitetur Philipp. 5. dicens *Quidam propter inuidiam & contentionem prædicant*; Gloſſ. *Quia inuident Apoſtolatus mei gloriæ, & eam habere contendunt.* Item in eodem, *Quidam ex contentione prædicant*; Gloſſ. *Id eſt, ex priuato odio, quia aliunde mecum contendunt.* Et infrà; *Exiſtimantes ſe ſuſcitare preſſuram vinculis meis.* Ecce qualiter contendebant Pſeudo contra Apoſtolum; ipſe tamen nihilominùs contra ipſos publicè prædicabat, & publicè ſcribebat. Sic ergo patet, quod tempore præfatæ contentionis potuiſ-

Digitized by Google

ſent prædicta licitè prædicari; quod tamen factum tunc non fuit.

Nec obſtat, ſi dicatur exinde ſcandalum ſuſcitatum; quia Matth. 18. ſuper illud *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis*, dicit Gloſſ. *Si de veritate ſcandalum eſt, pro ſcandalo veritas relinqui non debet.* Matth. 15. cum Phariſæi, qui inter Iudæos ſanctiores reputabantur, ſcandalizati eſſent propter veritatem, quam Dominus prædicabat; & ob hoc Diſcipuli dixiſſent ad Dominum, *Scis quia Phariſæi auditô verbô hoc ſcandalizati ſunt;* non tamen propter hoc Dominus prædicare dimiſit veritatem ſuam; & reſpondens Diſcipulis ſuis dixit, *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*; & ſecundùm Decretalem, *vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquitur.* Extrà, *De regulis iuris*, cap. *Qui ſcandalizauerit.*

De libello autem, qui dicitur reprobatus eſſe à Domino Papa, & cuius editio mihi imponitur; dico, quod cum Prælati Franciæ ſollicitati, vt cauerent Eccleſiæ Gallicanę ſibi commiſſæ à periculis nouiſſimorum temporum, quæ ſunt ventura per Pſeudo & Penetrantes domos, requiſiuiſſent Magiſtros Pariſienſes, vt authoritates Diuinæ & Canonicæ Scripturæ, de hac materia loquentes, colligerent, & in ſcriptis traderent, quia non poterant vacare inſpectioni librorum; Ego vnà cum aliis Magiſtris & Scholoribus Theologiæ, & Magiſtris Decretorum, collegi authoritates prædictas, per multas collectiones, quas Ego & alij prædicti in vnum volumen ſub certis rubricis redegimus; ſed volumen mutatum fuit quinquies ſucceſſiuè, magis & magis corrigendo, quædam addendo, quædam ſubtrahendo, quædam verò determinando; & ſecundùm quod perpendere potui inſpiciendo volumen illud, quod vos mihi DOMINI MEI CARDINALES reſpiciendum dediſtis, volumen illud, ſecundùm quod poſſum recolere, fuit tertię compilationis, quæ poſtmodùm mutata fuit bis, & correcta, addendo, ſubtrahendo, declarando. Neſcio tamen, vtrum in iſto volumine, quod mihi inſpiciendum dediſtis, quicquam additum, vel ſubtractum fuerit, per vitium falſitatis. Vnde ſi Dominus Papa modum & formam illius compilationis reprobauit (nam authoritates diuinas ibi contentas, vt ipſemet confitetur, noluit, nec intendit) ſententię ſuę non reſiſto, ſed obedio credens firmiter, quod ſi quartam vel quintam compila-

tionem eatumdem authoritatum vidiſſet (cum in eis nihil contineatur, quod offendere debeat animum Chriſtiani) non eas reprobaſſet, ſed potiùs approbaſſet. Hoc autem ſciatur, quod in vnaquaque compilationum dictarum, in principio ſupponitur ipſa compilatio correctioni Eccleſiæ, id eſt Domini Papæ, & aliorum Prælatorum, quibus competit authoritas corrigendi ; propter quod actores earum, cum nullum errorem ſcienter impoſuerint, & ſi quid ibi erat, quod offendere poſſet, correxerint; nec non illud, quod in illa compilatione, quam Dominus Papa dicitur reprobaſſe, ipſi Domino diſplicuit, defenſare non velint; licet tam illa compilatio reprobata, quàm aliæ ad multorum manus peruenerint, in nullo ſunt arguendi, cum dicat Auguſtinus in lib. *Retract.* in principio, *Neque quiſquam, niſi imprudens, ideo, quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit; ſed ſi dicit, non ea debuiſſe à me dici, quæ poſteà mihi etiam diſplicerent, verum dicit, & mecum facit.* Et infrà, *ſed qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ; vt qui non valuit omnia impœnitenda dicere, ſaltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuiſſe.* Et infrà, *Scribere autem iſta mihi placuit, vt hæc emittam in manus hominum, à quibus ea, quæ iam edidi, reuocare emendenda non poſſum.* Igitur, PATRES SANCTI, Ego & alij Socij mei, eadem competenter dicere poſſumus de compilationibus ſupradictis, vt qui primas non potuiſſemus habere partes ſapientiæ, nihil impœnitendum dicendo, ſaltem ſecundas haberemus modeſtiæ, quod diſplicuerat, corrigendo; & qui priores compilationes, in quibus aliqua diſplicebant, de manibus hominum reuocare nequiuimus emendandas, poſteriores edidimus ad priores, ſicut potuimus.

Digitized by Google

COLLECTIONES CATHOLICÆ ET CANONICÆ SCRIPTVRÆ

Ad defensionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ad instructionem, & præparationem simplicium fidelium Christi.

CONTRA PERICVLA imminentia Ecclesiæ generali per Hypocritas, Pseudo-prædicatores, & Penetrantes domos, & Otiosos, & Curiosos, & Gyrouagos.

INCIPIT PROLOGVS.

SAPIENTIAM antiquorum omnium exquiret Sapiens, & in prophetijs vacabit; narrationem virorum nominatorum conseruabit. Ecclesiast. 39. Secundùm sapientiam antiquorum, Glos. *Scilicet Prophetarum*, & narrationem, Glos. *Id est doctrinam*, virorum nominatorum, Glos. *Id est Apostolorum & Euangelistarum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*, in eorum libris diuinitùs exaratam; certò certius est, quod multa sunt pericula Ecclesiæ generalis, quorum quædam fue-

runt in tempore primitiuo, quædam verò sunt in medio, quędam autem erunt in nouissimo, vt legitur in prologo super Apocalypsim; quæ nisi cognita fuerint, vitari non possunt, *cum vitari non possit malum, nisi cognitum*, vt dicit Boetius. Qui autem ea propter defectum scientiæ non euitant, procul dubiô capiuntur in illis, iuxta illud Isa. 5. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*; Et sic capti, vel decepti, propter suam insipientiam pereunt in eis, iuxta illud Baruch 3. *Quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.* Prou. 6. *Ipse morietur, quoniam non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Illi etiam, qui per Scripturas, vel Scripturarum Doctores, vel qualitercumque videntes illa pericula, tamen per negligentiam prędcauere non curant, meritò in eisdem periculis pereunt; Nam qui vident pericula, & ea cauere non curant, videntur amare illa; & *Qui amat periculum*, Glos. quod non curat scilicet, nec studet vitare, *peribit in illo*, Eccl. 3. Illa verò pericula subitò, & ex improuisô inuoluunt, quos propter suam ignorantiam, aut negligentiam inueniunt imparatos; sicut dies Domini subitò & ex improuisô veniet, non vigilantibus & paratis; sed dormientibus, id est ignorantibus, & scire negligentibus, & propter hoc imparatis. Vnde super illud 1. Thessal. 5. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*, dicit Gloss. *Dormientibus & imparatis*; de quibus dici potest illud Deuter. 22. *Gens absque consilio est, & sine prudentia; vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

§. Ideoque Dominus, *qui vult omnes homines saluos fieri* 1. Timo. 2. *nec aliquos vult perire* 1. Petri. 3. vt Ecclesia sua instructa & præparata vitare possit futura pericula; non solùm per seipsum, verùm etiam per Prophetas, & Apostolos prophetantes ea prędnuntiauit, vt ostendetur pleniùs infrà dist. 1. §. *Inter istos autem*, & §. *Apostolus etiam*. NON ENIM *faciet Dominus verbum, nisi priùs reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Amos 3. Præcipuè autem illa pericula, quæ fiunt per Pseudo-Prædicatores, & per illos, qui penetrant domos, per Beatum Paulum Apostolum prophetantem prædixit. Vnde Act. 20. dicit Paulus de Pseudo-Prædicatoribus, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam*, id est, post mortem meam, *lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; & ex vobis ipsis*

ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant Diſcipulos poſt ſe; propter quod vigilate memoriâ retinentes, quod per triennium nocte, & die, non ceſſaui cum lachrymis monens vnumquemque veſtrûm. Item de Penetrantibus domos prophetauit Apoſtolus, & de illis cognoſcendis doctrinam dedit, ac eos euitari præcepit 2. Timo. 3. dicens. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.* Gloſ. dicit, *Sanctis*; quaſi diceret, *Generali Eccleſiæ Chriſti*, quia ſoli Sancti ſecundùm meritum ſunt Eccleſia Chriſti. Sequitur. *Et erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, &c.* Gloſ. *Ex eo quod ſeipſos, non Deum amant, quaſi ex mala quadam radice, hæc, quæ ſequuntur, mala oriuntur*; ſcilicet quod *erunt* CVPIDI, Gloſ. *pecuniæ*, vt potè qui ſemper quærunt, *& ſuum quæſtum reputant pietatem*, id eſt, *religionem.* 1. Timoth. 6. ELATI, Gloſ. *ad dominandum*, vt potè quoniam volunt ſe reputari maiores, & ſedere iuxta Principes & Prælatos. SVPERBI, Gloſ. *de honoribus ſibi impenſis.* BLASPHEMI, Gloſ. *in Deum per hæreſes*, vt qui defendunt hæreſes Ioachimi Abbatis, vel alias. NON OBEDIENTES *parentibus*, Gloſ. *Spiritualibus*, id eſt, *Prælatis.* INGRATI, Gloſ. *de bonis*, vt qui corrigentibus mala pro bonis reddunt. SCELESTI, Gloſ. *in grauibus perpetrandis*; quæ enim *in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt dicere* Epheſ. 5. SINE AFFECTIONE, Gloſ. *Non compatiendo infirmis*, id eſt peccatoribus, *ſed eos dedignantes.* SINE PACE, Gloſ. *Inquietantes alios.* CRIMINATORES, Gloſ. *Id eſt alys crimina imponentes.* INCONTINENTES, Gloſ. *Gulæ vel libidinis, non refrænantes malas cupiditates.* IMMITES, Gloſ. *Id eſt crudeles, exercendo lites*, videlicet contra illos, qui eos non recipiunt. SINE BENIGNITATE, Gloſ. *Id eſt largitate, dum neſciunt ſubuenire alys.* PRODITORES, Gloſ. *Secretorum alterius*, vt qui reuelant confeſſiones. PROTERVI, vel PROCACES, Gloſ. *Humanam verecundiam inuerecundè agitantes.* TVMIDI, Gloſ. *Id eſt inflatô corde.* CÆCI, Gloſ. *Non intelligentes, vel non intelligere ſimulantes, neque quæ loquuntur, neque de quibus agunt.* VOLVPTATVM AMATORES, *magis quàm Dei*, Gloſ. *Carnales delicias ſpiritualibus præponentes.* SPECIEM *quidem pietatis*, Gloſ. id eſt, *Religionis*, HABENTES; *virtutem autem eius*, Gloſ. id eſt, *Pietatis*, ſcilicet, *Charitatem*, ABNEGANTES; Gloſ. *Factis.* Et ſequitur, *Ethos deuita; ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis*

ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Ecce qualiter docet Apoſtolus cognoſcere Penetrantes domos, & qualiter prophetauit de illis, & euitari præcepit. Vnde conſequenter in quarto capitulo ſuper illud eiuſdem materiæ *Coaceruabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus*, dicit Gloſ. *Prophetia eſt Sancti Apoſtoli, qui præſcius futurorum in doctrina præcipit eſſe inſtandum, vt contra hoc, quod futurum erat, præparetur Eccleſia.* Item 1. Timoth. 4. ſuper illud, *Spiritus manifeſtè dicit, &c.* dicit Gloſ. *Quæ ſibi Spiritus Sanctus futura reuelauerit, ad inſtructionem & cautelam Eccleſiæ, non tacet Apoſtolus, vt Eccleſia præmonita ſollicita ſit, ne ab huiuſmodi hominibus circumueniatur.* Ecce qualiter Apoſtolus de futuris per Pſeudo-Prædicatores, & per eos qui penetrant domos, periculis prophetauit.

§. Fideles igitur Serui Chriſti diuinas literas amplexati, *Sapientiam antiquorum*, id eſt, *Prophetarum*, pro modulo ſuo *ſecundùm menſuram donationis Chriſti* Epheſ. 4. diligentiùs exquirentes, *& in Prophetijs*, Gloſ. *intelligendis* vacantes, *narrationem* etiam, id eſt, doctrinam, *virorum nominatorum*, id eſt, *Apoſtolorum, & Euangeliſtarum* iuxta Sanctorum Expoſitorum ſententias fideliter conſeruantes, & ſic in eorum ſcripturis pericula memorata videntes; ſi poteſtatem & libertatem habeant publicè docendi, aut publicè prædicandi, ad inſtructionem, præparationem, & cautelam Eccleſiæ generalis, debent illa pericula minùs peritis, & Scripturas ignorantibus prædicare, iuxta illud Iſa. 33. *Ecce videntes clamabunt foris*; Siquidem *gratiam, quam acceperunt, debent in alterutrum adminiſtrare, tanquam boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*, 1. Petri 4. *Id eſt*, vt inquit Gloſ. *quodlibet donum Spiritus Sancti ad ſubſeruiendum alijs*; & quod explicat Apoſtolus Petrus *de Dono ſcientiæ* dicens, *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Gloſ. *Si quis habet gratiam loquendi Dei, nec præter authoritatem Scripturarum, nec præter vtilitatem Fratrum doceat, nec quod docendum eſt, taceat.* Veritatem, quæ docenda eſſet, tacent illi Prædicatores, qui ſcientes, & videntes in Sacris Scripturis pericula imminentia Eccleſiæ generali, per Pſeudo-Prædicatores & Penetrantes domos, vt oſtenſum eſt ſuprà §. proximô, & oſtendetur pleniùs infrà diſt. 1. &. 3. non tantùm illa pericula aliis prędicare non permittunt, ſed pro viribus ſuis, ne prædicentur, impediunt & reſiſtunt; cum tamen ea

Digitized by Google

Apoſtolus prędicanda pręcipiat, vt oſtendetur infrà eod. §. Veritatem autem hanc tacere non debent Serui Chriſti, ne pœnas culpabilis taciturnitatis incurrant, vt enim dicit Greg. in lib. 4. Moral. *Si aliquando tacere culpa non eſſet, Propheta non diceret*, VÆ MIHI QVIA TACVI, Iſa. 6. *Vterque enim reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.* 11. q. 3. cap. *Quiſquis metu*. Ideo Ioannes Baptiſta mortem ſubire maluit corporalem, quàm tacere moralem & vtilem veritatem, cum dixit Herodi *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Marc. 6. Mori enim pro veritate eſt mori pro Chriſto, qui eſt veritas. Vnde dicit Beda in Homil. ſuper eundem locum, Beatum Ioannem Baptiſtam ſanguinem fudiſſe pro Chriſto, quia pro veritate occiſus eſt, cum Chriſtus ſit veritas, ipſo atteſtante, qui ait *Ego ſum via, veritas, & vita*, Ioan. 14. Si quis verò *Sapientiam antiquorum* exquirens, & *narrationem*, id eſt, doctrinam, *virorum nominatorum* conſeruans, & in eorum libris pericula præſentia, vel futura perſpiciens, poteſtatem aut libertatem publicè docendi, aut publicè prædicandi non habeat; ſaltem Scripturas illa pericula indicantes, in diuinis libris non ſine cauſa diſperſas, & quibuſdam ænigmatibus occultatas, ad vtilitatem & cautelam Eccleſiæ generalis, & præcipuè ad cautelam eorum, qui ſimpliciter ambulant, & Satanæ altitudinem non agnoſcunt; quinimò, vt Falſorum Prophetarum figmenta, à quibus, ſi fieri poſſit, in errorem ducentur etiam electi, quantùm Dominus annuit, deuitare poſſimus, debet colligere, vt faciliùs capi poſſint, & quantùm ſibi poſſibile eſt, ad multiplicandam ſcientiam, propter inſtructionem ſimplicium declarare (Sic enim prædixit Angelus Danieli Daniel. 12. *Claude ſermones, & ſigna librum*, Gloſ. obſcuritatibus, *vſque ad tempus ſtatutum*, Gloſ. id eſt, vſque ad completionem; *pertranſibunt plurimi*, Gloſ. legendo, & veritatem quærendo; *& multiplex erit ſcientia*) propter præceptum Domini per os Salomonis dicentis Eccleſiaſtis 9. *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, &c.* Et propter verbum Iacobi cap. 4. dicentis, *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Gloſſ. *Scientes benefacere, & non facientes, maius peccatum habent, quàm ſi neſcirent.* Et etiam idcirco hoc facere debet, ne ad inſtar Serui inutilis talentum Domini ſui abſcondens, mereatur audire illam vo-

cem terribilem *Seruum inutilem eijcite, & mittite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium* Matth. 25. Sic ergo patet, quod vtilitas mouet ad proponendum, & exponendum dicta pericula; videlicet, instructio & præparatio Ecclesiæ generalis, & præcipuè simplicium, & Scripturas ignorantium, quæ ipsum Apostolum mouit ad prædicendum eadem, & prædicandum, vt dictum est; & quæ necessitas impellit, videlicet, metus pœnæ taciturnitatis culpabilis, & negligentiæ Serui inutilis. Mouet insuper & impellit, præceptum Domini per os Salomonis, & per verbum Iacobi, vt dictum est suprà; nec non per os ipsius Apostoli, qui postquam eadem prædixit & prædicauit, consequenter doctrinam de illis instanter prædicari apud omnes homines, tam volentes, quàm nolentes, cum adiuratione præcepit 2. Timoth. 4. dicens *Testificor.* Glos. id est, adiuro te, *coram Domino & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius, prædica verbum, insta*, Glos. Id est, instanter prædica, *opportunè*, Glos. volentibus, *importunè*, Glos. resistentibus; *Argue*, Glos. negligentes; *Increpa*, Glos. resistentes; *In omni patientia, & doctrina.* Glos. Id est, *itaut patienter sustineas repugnantes, & doceas accipientes*; & causam, quia instanter prædicanda sit dicta doctrina, subiungit Apostolus dicens, *Erit enim tempus*, Glos. Id est, modò, vt prædices, est necesse, *Erit enim tempus, cum multi sanam doctrinam non sustinebunt*, Gloss. id est, non ferent, quasi onus sit eis, *Sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros*; Glos. *Qui ea doceant quæ volunt*; Et infrà, *Tales enim dicit futuros, qui pro desiderijs suis doceri velint, vt à Magistris constantibus & veracibus, ad eos conuertantur, qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant, quia veritas illis aspera videbitur.* Hoc igitur præceptum Apostoli, immò Christi loquentis in Apostolo, iuxta illud 2. Corinth. 13. *An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christus?* si non impleatur, pœnam habet; iuxta illud Hieron. Ad Iouinianum. *Quod præcipitur imperatur; quod imperatur, necesse est fieri; si non fiat, pœnam habet.* 14. q. 1. cap. *Quod præcipitur*; Item Augustinus, de Sermone Domini in monte, *Quisquis præceptis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ.* 14. q. 1. cap. *Quisquis*; Item Clemens in Epistola 4. *Hi, qui mandata Apostolorum postponunt, non solùm rei, sed extorres fiunt; quæ non solùm vobis cauenda,*

ſed & omnibus prædicanda ſunt. 12. q. 1. cap. *Dilectiſſimis*, in fine.

§. Sed fortè dicet aliquis; quod, cum multi & magni viri, ſapientes & literati, nec non Doctores noſtri, qui & ante tempora noſtra, & noſtris temporibus docuerunt, & eaſdem Scripturas, quas nos habemus, habuerunt, & pleniùs cognouerunt; doctrinam ipſam, quam ad præſens intendimus, videlicet *De periculis per Hypocritas, Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, ac Otioſos, & Curioſos, & Gyrouagos*, præſentibus vel futuris, nec inſtanter prædicauerint, nec notabiliter diuulgauerint; præſumptuoſum eſſe videtur, quod quidam moderni pauci, & minùs literati, non alias habentes Scripturas, quàm primi, doctrinam iſtam prædicent & diuulgent, quaſi Deus reuelauerit eis, & alijs noluerit reuelare; præſertim cum illa pericula nondum manifeſtè appareant apud vulgus.

§. Ad quod probabiliter poteſt dici, quod Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres, Gregorius, Auguſtinus, & alij Sancti, Doctores eximij, qui hanc doctrinam, tam contra ſibi preſentia, quàm contra futura pericula, diuinitùs ediderunt; eam contra illos, per quos eorum temporibus imminebant Eccleſiæ illa pericula, publicè prædicarunt; ad inſtructionem verò ſequentium contra ſimilia futura pericula, eamdem doctrinam in ſcripturam publicam redegerunt, ſicut patet in ſcripturis eorum inferiùs annotatis; iuxta illud Rom. 15. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Conſequenter verò aliquando, & alicubi, dicta pericula, vel omninò ceſſauerunt, vel ſub pietatis ſpecie latuerunt. Ideoque Scripturæ illa pericula deſignantes, quaſi clauſæ erant, eô quod earum ſignata, vel minimè, vel minùs lucidè apparebant. Quemadmodùm videmus alibi, quod Scriptura illa Iſa. 7. *Ecce Virgo concipiet, &c.* Et illa Iſa. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, &c.* Et aliæ Scripturę Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Domini, propheticè deſignantes, vſque ad tempus impletioni earum præfinitum, ferè omnibus clauſę fuerunt; iuxta illud Danielis 12. *Vade Daniel, quia clauſi, ſignatique ſunt ſermones, vſque ad tempus præfinitum*; Gloſ. *Id eſt, vſque ad conſummationem, ſiue impletionem.* Illis autem impletis, tunc per Spiritum Sanctum, & per euidentiam Sanctis Apoſtolis, ac per Apoſtolorum prædicationem alijs reuelatæ manifeſtiùs claruerunt. Per eundem modum dicimus, quod

Scripturæ memorata pericula deſignantes, quæ, vt dictum eſt, aliquando, & aliquibus clauſæ fuerunt, nunc aperiri videntur per quorundam ſcripta, in Scripturis diuinitùs præſignata, quæ noſtris temporibus quaſi manifeſtari videntur, vt infrà, opitulante Dominô, pleniùs oſtendetur. Præſertim autem ex eo, quod quidam homines, *per quaſdam vitæ nouitates, & ſuperſtitiones*, id eſt, *ſuper ſtatuta Eccleſiæ obſeruationes, & traditiones*, ſub ſpecie Religionis & ſanctitatis in ſe populum conuertentes, & ſic fauorem popularem quærentes, prout infrà pleniùs oſtendetur, ſuſtinere non poſſunt (quemadmodùm de quibuſdam prophetauit Apoſtolus) quod doctrinæ huius veritas, licet Apoſtolica ſit, & Euangelica, eô quod eis videtur aſpera, prædicetur; ſed eam prædicantes, vel quoquô modô diuulgantes, non ſolùm linguis maledicis, detrahentibus, & diffamantibus; verùm etiam, & per adeptam Maiorum ab eis circumuentorum potentiam, quibus reſiſti non poteſt, modis inſuetis & mirandis, immaniter perſequuntur. Qualiter enim quoſdam Doctorum noſtrorum nuper præcedentium, eô quod ipſorum ſimulationes & fraudes, per teſtimonia Diuinæ Scripturæ aliquatenùs detegebant, tam viuentes, quàm mortuos fuerint perſecuti, adhuc tenent memoriter aliqui modernorum; illos namque viuentes, per ſuas detractiones grauiter diffamarunt, eoſdem verò iam mortuos damnatos eſſe publicè prædicarunt. Quoſdam verò modernorum Doctorum, licet minùs ſcientes, eamdem tamen doctrinam apertiùs ad inſtructionem ſimplicium publicantes, ad terrorem aliorum valde grauiùs perſequuntur; non ſolùm eos publicè diffamantes, verùm etiam facientes eos, non apertè per iudicium, ſed occultè per potentiam Iudicum, per circumuentiones occultas & mirabiles ſibi fauentium, immò ſibi obedientium, quaſi Homicidas, vel Sacrilegos turpiter relegari, ſuiſque corporalibus ſuſtentationibus immiſericorditer ſpoliari; vt videatur in eis impleta Prophetia Ioannis Apoſtoli Apocal. 9. de Præcurſoribus Antichriſti dicentis, *Et locuſtæ exierunt in terram*; Id eſt, *Diſcipuli Antichriſti*, vt inquit Gloſſ. *Et data eſt eis poteſtas, ſicut habent ſcorpiones terræ.* Gloſſ. *Scorpio blandus facie, caudâ pungit occultè*; & poſt ſequitur, *& cruciatus eorum, ſicut cruciatus Scorpionis, cum percutit hominem.* Gloſſ. *Cum data ſit poteſtas cruciandi, non apertè tormentant; ſed apud Principes ſæculi accuſant.*

Digitized by Google

Et ſic ore ſuô, non manibus perſequuntur, vt impleatur in eis Prophetia Dauidis dicentis Pſal. 21. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens, & rugiens.* Et ne fraudes eorum poſſint vlteriùs ab illis Doctoribus, per Scripturas, vt cœperant, reuelari; idcirco poteſtate publicè docendi, & publicè prædicandi, ſimili modô fecerunt eos priuari; vt videatur in eis impleri Prophetia Ioannis Apoſtoli Apoc. 7. dicentis *Poſt hæc vidi quatuor Angelos* ſed malos, *ſtantes ſuper quatuor angulos terræ*, id eſt, *in remotiſſimis etiam locis*, vt inquit Gloſſ. *Tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram*; Id eſt, *prohibentes veritatis Prædicatores, ne veritatem illis aſperam prædicarent.* Vnde Gloſſ. *Quia in tempore tribulationis nihil magis eſt neceſſarium, quàm veritatis prædicatio; ideo nititur Diabolus detinere eam in omni loco.* Nec tamen propter has perſecutiones, debent veri Athletæ Chriſti, à prædicanda veritate verborum Dei, ſaluâ tamen ad Superiores obedientiâ, ratardari; vt poſſint verè dicere cum pſalmiſta, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Recolentes illud Apoſtoli, *Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* 2. Timoth. 3. alioquin infideles eſſent & vani. Vnde ſuper illud 1. Theſſ. 2. *Scitis, Fratres, introitum noſtrum ad vos*, dicit Gloſſ. *Signum eſt fidelis ac deuoti Prædicatoris, ſi in preſſura loqui non timeat; inanis enim eſt ille, qui terrore præſenti formidinem patitur prædicandi.* Item Gregorius lib. 29. Moral. *Qui propter alicuius timorem, ſiue fauorem, veritatem tacuit, lupum vidit venientem, & fugit; qui ſi diſtrictè iudicetur, etſi perſecutio publica defuit, tamen tacendo Chriſtum negauit.* Nec debet erubeſcere Seruus Chriſti, ſed magis in Domino gloriari, ſi propter veritatem Diuinæ Scripturæ patiatur contumelias, cum *Chriſtus ipſe ſit veritas* Ioan. 14. Tunc enim non patitur, quaſi homicida, vel fur, vel aliter criminoſus; ſed magis patitur, vt Chriſtianus, iuxta illud 1. Petri 4. *Nemo veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine, quoniam tempus eſt, vt incipiat iudicium à Domo Dei.* Cum ergo tam prædicta, quàm alia multa pericula, præcipuè autem ſpiritualia, per huiuſmodi homines immineant Eccleſiæ generali, vt infrà pleniùs oſtendetur; opportunum eſſe videtur & neceſſarium, doctrinam de illis cognoſcendis & vitandis,

Digitized by Google

in Eccleſia generali, ſaltem propter ſimplices non habentes Scripturarum peritiam, publicari.

§. Item eſto, quod nullum adhuc ſignum in Eccleſia Chriſti de prædictis periculis appareret, nihilominùs tamen inſtanter prædicanda eſſent; cum ipſe Apoſtolus à mille ducentis annis, & ampliùs, dum adhuc longè diſtarent, quæ modò vel præſentia, vel propinquiùs ſunt futura, non ſolùm ea prædixerit & prædicauerit, verùm etiam inſtanter prædicanda cum adiuratione præceperit, vt oſtenſum eſt ſuprà §. *Fideles igitur Serui Chriſti*. Præcipuè cum Angelus loquens in Apocalypſi Beato Ioanni pericula nouiſſimorum dierum, quæ ſunt remotiora, dicat propè eſſe futura; & ideo doctrinam de illis præcipiat nemini occultandam, ſed omnibus propalandam Apoc. vlt. dicens. *Ne ſignaueris Verba Prophetiæ huius, tempus enim prope eſt.* Quod exponens Aymo dicit. *Idcirco manifeſta fieri debent ea, quæ in hoc libro continentur, quia tempus propè eſt, quô hoc impleatur.* Cum ergo tam Diuinus Apoſtolus, quàm Diuinus Angelus, nouiſſima pericula Eccleſiæ inſtanter manifeſtanda præceperint, tanquam propinqua; multò inſtantiùs manifeſtanda ſunt pericula quæ præcedunt, tanquam propinquiora.

§. Non igitur expectare debet quis, habens cogitationes de futuris periculis, cauſâ vtilitatis publicæ exponendis, vel publicandis, quod exinde nouas recipiat Prophetias, vel nouas Angelorum reuelationes; cum in Sacra Scriptura olim diuinitùs edita plenè comprehendantur, & per eam ſatis valeant conuinci, vel cognoſci. Nam ſicut dicit Gregorius lib. 23. Moral. ſuper illud Iob 33. *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit.* Greg. *Cogitationibus, vel tentationibus ſingulorum, non iam paſſim per Prophetarum Voces; non iam per Angelica officia Dominus ſatisfacit; quia in Scriptura Sacra, quidquid poteſt ſingulis euenire, comprehendit; atque per exempla præcedentium, informare curauit.*

§. Nec expectandum eſt etiam, donec illa pericula manifeſtè omninò appareant apud vulgus; tunc enim tarda eſſet inſtructio & doctrina, cum Eccleſiam iam pro magna parte ſeductam vtiliter præparare, aut prȩmunire non poſſet, iuxta illud.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Si enim Apoſtolus illa pericula prophetauit, & in Scriptu-

ram

ram redegit, vt contra hoc, quod futurum erat, preparetur Ecclesia, vt ostensum est suprà; debent imitatores Apostoli, & eius doctrinam sequentes, si facultatem habeant, eadem etiam, antequam veniant, edocere, ad præparationem Ecclesiæ generalis; & publicè prædicare. Maximè autem illi, *Quos dedit Dominus speculatores Ecclesiæ*, Ezech. 3. *Qui semper in alto stare debent, vt quod futurum est, longè ante prospiciant, & subiectos præmoneant*, vt dicit Glos. super illud Isaiæ 52. *Vox speculatorum tuorum*, &c. Nec opus est scire, post quantum temporis futura sint pericula, quæ certum est futura esse; sed quomodò futura sint opus est scire, *vt curent homines filij lucis esse, & paratò corde vigilare*, vt dicit Glos. loquens de die nouissimo, super illud 1. Thess. 5. *Dies Domini, sicut fur, ita in nocte veniet.*

§. Si quis vero philosophicus, aut sophisticus disputator, contra ea quæ infrà dicenda sunt, duxerit opponendum, vt sic animum Lectoris à veritatis simplicitate auertat; non ideo Lector *citò moueatur à suo sensu* 2. Thess. 2. sed ad viros Ecclesiasticos atque Theologos, Ecclesiam Christi, & eius Hierarchicam ordinationem zelantes, ad confirmandum cor suum in veritate, constanter atque confidenter recurrat; qui si zelum Dei habuerint, non simulatum, sed verum, parati erunt tanquam boni Athletæ Christi prodire in publicum, & ad omnem obiectionem veritatem hanc impugnantem; non in conclaui secreto, sed aut in generali, aut particulari Concilio, authoritate Sedis Apostolicæ celebrando, seu in quocumque Ecclesiæ Christi auditorio, non priuato, sed publico, auxiliante Dominô, respondere: non per disputationem contentiosam, vel altercationem sophisticam (quæ ad nihil vtilis est, nisi ad subuersionem audientium) sed potiùs per Diuinarum Scripturarum collationem Catholicam, *Quæ sola debet esse inter Seruos Christi*, iuxta documentum Apostoli 2. Timoth. 2. dicentis, *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Glossa. *Contentio nihil potest, nisi subuertere audientes, dum verbosus par, vel superior, videtur Catholicô.* Item. *Contentio minùs stabilis sæpe generat scrupulum; solent enim in contentione talia opponi, elimatô maleuolentiæ argumentô, vt moueant animos insipientium fratrum; nec potest esse, quin contentio extorqueat aliquid, quod dicatur contra conscientiam, vt intùs in animo perdat, & foris victor abscedat; Nemo enim patitur se vinci, licet scitu vero non esse,*

quæ audit. Collatio ergo esse debet inter Seruos Dei, non altercatio. Et idcirco dicit Apostolus Philipp. 2. *Nihil per contentionem agentes.* Glos. *Vt si bona dicant, non verbis contentiosis loquantur.* Et sanè contentio, seu altercatio, propriè est Pseudo-Apostolorum, qui sunt improbi disputando; vnde super illud 2. Thess. 3. *Vt liberemur ôb importunis, & malis hominibus*, dicit Glos. *Id est à Pseudo, qui sunt importuni disputando*; procaces enim sunt, & ideo dictis aliorum, quantumcumque veris, è diuerso respondent, ne illis consentiendo inferiores videantur; & quia nihil rectè dictum existimant, quòd ab eorum sensibus sit diuersum. Vnde super illud Iob 11. *Nunquid vir verbosus iustificabitur?* dicit Gregorius lib. 10. Moral. *Mos procacibus esse solet, vt rectè dictis semper è diuerso respondeant; ne si ad prolata consentiant, inferiores esse videantur.* Et infrà. *Praui nihil rectum, nisi quod ipsi senserint, putant; & iustorum verba eô otiosa existimant, quô suis hæc sensibus inueniuntur diuersa.* Isti homines contentiosi ab assertionibus suis, quantumcumque falsis, irreuocabiles sunt, timentes, ne vinci ab hominibus videantur. Vnde super illud Apoc. 16. *Et primus Angelus effudit phialam suam in terram, &c.* dicit Berengosius. *Sunt nonnulli ita irreuocabiles, vt quamuis sciant prauam esse assertionem suam, nullô modò ab ea reuocari possunt, timentes vinci ab hominibus; & ne conuincantur, mendacijs, periurijs, ac flammantibus contentionibus, falsitatem suam defendunt; dumque timent vinci ab hominibus, à Diabolo vincuntur.* De talibus in Diuinis Scripturis contentionem amantibus dicit Augustinus in prima Epistola ad Volusianum. *Non sunt apti huic negotio, qui magis linguæ certaminibus, quàm scientiæ luminibus delectantur*; plus enim attendunt errantes superbi, quid illis respondeant qui suo subiiciuntur errori, quàm vt errore careant, vt suæ intendant saluti. Vnde in persona talium dicit Augustinus in libro *De natura & gratia*, cap. 25. *Procliuiores sumus quærere potiùs, quid contra ea respondeamus, quæ nostrò obijciuntur errori; quàm sint salubria vt careamus errore.*

§. Protestamur autem ab initio, quod omnia, quæ hîc ad memoriam Intelligentium excitandam, & ad cautelam & instructionem eorum, qui Scripturas ignorant, dicturi sumus; non contra certam aliquam personam Ecclesiasticam; non contra statum aliquem per Sedem Apostolicam approbatum, dicere intendimus; sed generaliter contra pericula Ecclesiæ ge-

neralis, & contra illorum astutam malitiam, per quos illa pericula inducuntur. Omnia etiam dicere intendimus, secundùm viam Iuris communis, tam diuini, quàm humani, sine præiudicio sententiæ melioris; potestate, authoritate, dispensationibus, priuilegiis, ordinationibus Summi Pontificis, ac Fratrum, & Superiorum suorum, in omnibus, & per omnia, semper saluis. Si quid igitur in hac compilatione inueniatur generaliter dictum, quod quibusdam, siue Regularibus, siue Sæcularibus, fortè displiceat; Nemo Sæcularis, vel etiam Regularis, exinde offendatur; quoniam in omni statu est inuenire, & bonos & malos, & reprobatio malorum est laus bonorum. Vnde Hieron. *Ad Nepotianum*, cum multas reprehensiones Clericorum & Monachorum ei scripsisset, consequenter subiunxit dicens; *Nec hoc dico, quia in te & sanctis viris ista formidem, sed quia in omni proposito, in omni gradu, & boni & mali reperiuntur; malorum condemnatio laus bonorum sit.* Item Augustinus in libro *De fide* Ad Petrum Diaconum. *Firmissimè tene, in omni professione, siue Clericorum, siue Monachorum, bonos esse simul, & malos; nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos, in quantum exigit fidei & charitatis ratio, tolerandos.*

§. Hanc autem compilationem, seu Scripturarum collectionem, correctioni Summi Pontificis, & aliorum corrigendi authoritatem habentium, per collationem Catholicam, si eis placuerit, faciendæ, supponimus humiliter & deuotè. Non enim pudet nos correctionem recipere, paratiores discere, quàm docere; præsertim cum dicat Augustinus in 1. lib. De *Trin.* cap. 2. *Nec pigebit, si cubi hæsito, quærere; nec pudebit, si cubi erro, discere.*

§. Quoniam autem Romanus Pontifex, qui tanquam generalis Vicarius Iesu Christi, totius orbis Rector & Corrector existit, *Euangelicas, Apostolicas, & aliorum eos sequentium Sanctorum Patrum sententias, debet vsque ad animam & sanguinem confirmare*, vt dicit Beatus Vrbanus Papa 25. q. 1. cap. *Sunt quidam dicentes*; Idcirco caueat quisque Corrector, ne fortè sub prætextu correctionis, præfatas sententias in hoc libello contentas, per errorem corrigere, vel malitiam impugnare præsumat; ne per hoc indignationem Domini nostri Iesu Christi, & eius Vicarij Summi Pontificis periculosè incurrat. Quàm periculosum enim sit Ecclesiæ Christi Diuinas Scripturas, aut

errando corrumpere, aut per malitiam impugnare, ostendit B. Augustinus in 1. lib. *De doctrina Christiana*, dicens. *Titubabit fides, si vacillet Diuinarum Scripturarum authoritas.* Caueat, etiam sub obtestatione Diuini Iudicij, quilibet huius compilationis Corrector, ne Diuinas Scripturas ibi contentas aliter, quàm sensus Spiritus Sancti efflagitat, à quo conscriptæ sunt, intelligat, vel exponat; ne per hoc infidelis valeat reputari. Nam sicut dicit Isidorus, *Etymolog.* lib. 8. cap. 5. *Quicumque Scripturam Sanctam aliter intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti efflagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* Et habetur 24. q. 3 cap. *Quidam autem.* Caueat rursus quisque Corrector, ne Sanctorum Doctorum, seu Expositorum, sententias, solâ suâ opinione corrigere, aut suâ contentione reprobare præsumat, sed vel Scripturæ authoritate, vel inconcussâ ratione; cum dicat Augustinus lib. 3. *De Trinit.* in principio *Noli nostras literas ex tua opinione & contentione, sed ex diuina lectione, aut inconcussa ratione corrigere.* Caueat iterum quisquè Corrector, si placet, ne si quid in hac compilatione tanquam minùs cautè, aut contra eius voluntatem dictum eidem displiceat; reliqua, si qua vera & recta sunt, propter cuiusquam personæ contrarietatem refellat; attendens quod dicit Gregorius lib. 9. Moralium. *Peruersæ mentes, si semel ad studium contradictionis eruperint, siue prauum, siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersis hæc responsionibus impugnant; quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulit, placent. E contrà bonorum corda, quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic peruersa dijudicant, vt quæ rectè dicantur, assumant; discernendis quippe contradicentium sensibus æquissimi arbitri residunt, & sic malè prolata respuunt, vt tamen approbent, quæ ex veritate cognoscunt; Solet namque inter spinarum multitudinem, etiam de frugis semine, spica succrescere. Cautâ ergo manu operantis agendum est, vt dum spina tollitur, spica nutriatur; quatenùs qui studet eradicare quod pungit, nouerit seruare quod reficit.*

§. Quoniam autem pericula, de quibus dicturi sumus, futura sunt, vel præsentia, in Ecclesia generali, per *Hypocritas, Pseudo-Prædicatores & Penetrantes domos, & Otiosos, & Curiosos, & Gyrouagos*, vt iam prætactum est, & magis patebit infrà; Idcirco *Primò* ostendemus, *Qui sint Pseudo-Prædicatores*; & quare

Digitized by Google

dicantur Pseudo, & quot modis Pseudo fiant. Et *Qui sint Penetrantes domos*; & quare sic dicantur; & de processu vtrorumque, in seducendo fideles Christi; & quæ inde pericula subsequantur in Ecclesia generali; & in quibus sint ipsi periculis constituti. *Secundò* dicemus, *Qui sint Otiosi, & Curiosi, & Gyronagi*; & qualiter viuant contra doctrinam Apostoli; & qualiter sint Ecclesiæ periculosi. *Tertiò*, quoniam omnes prædicti per simulationem & hypocrisim decipiunt populum Dei, idcirco ostendemus, quàm multiplici simulatione decipiant fideles Christi; & quàm periculosa sit eorum hypocrisis, etiam sibi. *Quartò*, quoniam species sanctitatis communis est tam bonis, quàm malis, idcirco ostendemus quædam signa, per quæ, seu per quorum collectionem, boni Prædicatores à Pseudo-Prædicatoribus possint competenter discerni. *Quintò* ostendemus, per quos, & qualiter debeant pericula illa repelli; & qualiter punientur, qui in hoc negligentes extiterint, vel remissi; & sic erunt quinque distinctiones huius libelli.

§. Et quoniam authoritates libri Augustini *De opere Monachorum*, tanquam maximè necessariæ, contra illos, per quos dicta pericula fiunt, in sequenti tractatu frequentiùs inducuntur; quem librum ipse Aug. per capitula non distinxit; idcirco, vt illæ authoritates in eodem libro possint faciliùs reperiri, dictum librum vsque ad tractatum *De Monachis criminis*, per XXXI. capitula duximus distinguendum in hunc modum. Primum caput incipit in principio libri, vbi dicitur. *Iussioni tuæ, &c.* Secundùm incipit ibi. *Ita se isti arbitrantur.* Tertium ibi. *Priùs ergo demonstrare debemus.* Quartum ibi. *Enucleatiùs autem.* Quintum ibi. *Quod quisquis putat non potuisse, &c.* Sextum ibi. *Ne quis autem arbitretur.* Septimum ibi. *Sed ad ordinem redeamus.* Octauum ibi. *Aptiùs autem cætera connectit.* Nonum ibi. *Et redit rursus.* Decimum ibi. *Et sequitur & adiungit.* Vndecimum ibi. *Iam verò, quia infirmitati.* Duodecimum ibi. *De hac infirmitate.* Tredecimum ibi. *Hîc fortasse aliquis dicat.* Quartum decimum ibi. *Verumtamen isti, qui tanquam multum negotiosi.* Quintum decimum ibi. *Propter has igitur, vel occupationes.* Sextum decimum ibi. *In his verbis apparet.* Decimum septimum ibi. *Quid enim agant, qui operari corporaliter nolunt.* Decimum octauum ibi. *Deinde ipsi Apostolo.* Decimum nonum ibi. *Ibi etiam dicitur, &c.* Vigesimum ibi. *Hinc oritur alia quæstio.* Vige-

simum primum ibi. *Vmbraculô malæ disciplinæ se contegunt.* Vigesimum secundum ibi. *Nunc verò contra Apostolum Christi.* Vigesimum tertium ibi. *Sed ecce concedant.* Vigesimum quartum ibi. *Sicut aliquis.* Vigesimum quintum ibi. *Quamobrem illi, qui relicta, &c.* Vigesimum sextum ibi. *At enim Dominus ait.* Vigesimum septimum ibi. *Neque enim, quia Dominus.* Vigesimum octauum ibi. *Quæ cum ita sint.* Vigesimum nonum ibi. *Non alligamus.* Trigesimum ibi. *Sanè omnibus, & nobis, & vobis.* Trigesimum primum ibi. *Hæc, mihi charissime.*

§. Notandum etiam, quod quasdam Scripturas, seu Prophetias Hildegardis Prophetissæ Teutonicæ, ad opus propositum pertinentes (cuius Prophetissæ librorum quidam per Beatum Bernardum collecti in Clarevallensi Monasterio continentur) in serie huius libelli posuimus; & illas ideo confidentiùs assumpsimus, quoniam per prædictum Sanctum Virum Spiritum Dei habentem fuerunt collectæ, vt dictum est, & in Archiuo sui Monasterii inter Scripturas Canonicas collocatæ. Vidimus etiam quemdam librum de Archiuo eodem assumptum, quasdam Prophetias dictæ Hildegardis clariùs exponentem, & inter cætera continentem, quod tempore B. Bernardi Clarevallensis, Eugenius Papa libros eiusdem Prophetissæ canonizauit in Concilio Treuirensi.

§. Nota, Lector, quod authoritates Bibliæ, quæ in hoc opere continentur, habent lineam inferiorem de rubro; Paragraphi verò huius libelli, ad quos aliquando remittitur, ne pluries idem dicatur, habent lineam inferiorem de nigro.

§. Noli autem mirari, Lector Sciole, vel offendi, si quandoque in hoc libello prolixentur verba, quæ Sciolis breuiùs possent dici; non enim editus est propter Sciolos, sed propter Simplices & Scripturarum Ignaros. Noli ergo in hoc libello ratiocinationes demonstratiuas, vel philosophicas, quasi per artem Dialecticam, vel Analyticam, expectare. Nam cum sit hæc doctrina moralis, sufficit in ea, iuxta Philosophi documentum, *tipô dicere*, & ea, quæ dicuntur, per authoritates Sanctorum probare.

§. Noli etiam, Lector Pie, de Authore, seu potiùs Compilatore huius libelli, sicût nec de calamo, quô scriptus est, curiosè inquirere; sed attende authoritates Sanctorum in eo contentas, non ab homine, sed à Spiritu Sancto esse, sicut & alia

Digitized by Google

eloquia Sacræ Scripturæ. Vt enim dicit Gregorius lib. 1. Moral. *Ridiculum profectò esset; Epistolarum Authorem scire, sensumque cognoscere; sed quali calamô earum verba impressa fuerint, indagare. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque Authorem Spiritum Sanctum tenemus, quando Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percunctamur?*

§. Noli etiam, Lector Benigne, aut propter imperitiam Compilantis, aut propter rusticitatem sermonis, aut fortè propter inconsequentiam ordinis, ea quæ hîc ad instructionem Simplicium vtiliter colliguntur, antè plenam inspectionem indignando respuere; sed priùs, si placet, animô patienti cuncta diligenter inspiciendo reuolue; post hæc verò, prout tuę insederit rationi, aut recipe, aut contemne; ne si fortè ante contempseris, videaris illa magis ex odio, quàm ex recto iudicio reprobare; quemadmodum dicit Hieron. *In prologo Isaiæ*, his verbis. *Legant priùs, & posteà despiciant; ne videantur, non ex iudicio sed ex odij præsumptione, ignorata damnare.* Et Augustin. dicit in lib. De Mendacio. *Sanè quisquis legis, nihil reprehendas, nisi cum totum per legeris; & ita fortè reprehendes minus.*

Explicit Prologus.

INCIPIT

PRIMA DISTINCTIO

DE

PSEVDO-PRÆDICATORIBVS, ET PENETRANTIBVS DOMOS.

QVI SINT, ET QVALITER Periculosi sint Ecclesiæ Generali.

PRIMA ergo distinctione huius Tractatus, ad sciendum, *Qui sint Pseudo-Prædicatores, & Penetrantes domos; & quomodò periculosi sint Ecclesiæ generali*; notandum est priùs, quod cum duæ persecutiones generales præcesserint in Ecclesia Christi; prima videlicet *violenta*, quæ fuit per apertos Tyrannos, tempore Apostolorum, & primorum Martyrum, Christianos generaliter occidentes; secunda verò *fraudulenta*, quæ fuit per apertos Hæreticos, per fraudem hypocrisis Christianum populum decipientes, & Scripturas peruertentes; tertia sequetur *composita ex vi, & dolo*, similiter generalis, per quosdam Falsos Fratres, vt patebit paulò post; primò per fraudem hypocrisis simplices fideles Christi, tam Prælatos Ecclesiarum, quàm eorum subditos decipientes, vt ostendetur infrà, eadem, & 3. & 4. distinct. tandem verò resistentes sibi, vel sibi non fauentes, per Maiorum adeptam potentiam opprimentes; & ad magis nocendum in vnum se coniungentes

coniungentes; Hæc autem perſecutio præfigurata fuit in illa perſecutione, quam quidam Pſeudo facere inceperunt à tempore Eccleſiæ primitiuæ, prout patet *in Angelo Epheſi*, id eſt, *in Epiſcopo Epheſiorum*; quem, quoniam probabat, ſeu examinabat eos, qui dicebant ſe eſſe veros Apoſtolos Chriſti, cum tamen eſſent Pſeudo; ipſi ad nocendum ei ſimul coniuncti perſequebantur eum, per terrenas poteſtates ſibi fauentes; ipſe autem patienter ſuſtinebat perſecutiones illorum. Vnde Apoc. 2. poſtquam dixit ei Dominus, *Scio*, Gloſ. id eſt, approbo, *opera tua, &c.* Et infrà. *Et quoniam probaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos, & non ſunt*; conſequenter ſubiunxit, *Et patientiam habes*; Gloſ. *In malis, quæ ipſi coniuncti, per terrenas poteſtates ingerunt.* Perſequuntur ergo Falſi Fratres, primò per hypocriſim, deinde verò per potentiam violentam; & ad magis nocendum, ſe in vnum coniungunt. Vnde dicit Gregorius lib. 34. Moral. de Pſeudo-Prædicatoribus Antichriſti. *Idcirco contra bonos vehementiùs prævalent, quia in malo ſe concorditer tenent.* Hunc autem ordinem perſequendi aſſumunt ad inſtar Antichriſti capitis eorum, de quo dicit Ioannes Damaſcenus lib. 4. cap. penult. *Surgit Antichriſtus repente; in primordio regni ſui, magis autem tyrannidis, diſſimulans, id eſt, diuerſis modis ſimulans, iuſtitiam videlicet, per hypocriſim; cum autem fuerit dominator factus, perſequetur Eccleſiam Dei, videlicet per potentiam violentam.* DOMINATIO *enim terrorem apertiſſimè inſinuat*, vt dicit Gloſ. ſuper illud Pſ. 9. *Cum dominatus fuerit pauperum.* Et ideo dicitur perſecutio Antichriſti *compoſita ex vi & dolo*, vt dicit Gloſ. ſuper illud eiuſdem Pſ. 9. *Inſidiatur quaſi Leo in ſpelunca ſua.* Sic & facient Falſi Fratres prædicti. Vnde ſuper illud Apoc. 6. *Et ecce equus pallidus, &c.* dicit Gloſ. de illis, *Videns Diabolus, nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreſes, poſſe proficere, præmittit*, ſupple Antichriſto, *Falſos Fratres, qui ſub habitu Religionis obtinent naturam ruſi & nigri equi, peruertendo fidem.* Id eſt, talem facient perſecutionem, qualem fecerunt aperti Tyranni, quos Ioannes appellauit in eodem capitulo *rufum equum*; Et qualem fecerunt aperti Hæretici, quos appellauit in eodem capitulo *nigrum. equum.* Quaſi diceret, *Iſti Falſi Fratres, quos præmittit Diabolus Antichriſto, ſub habitu Religionis perſequentur Eccleſiam, primò vtendo fraude hypocriſis, ad in-*

ſtar Hæreticorum; deinde violentiâ manifeſtâ, ad inſtar Tyrannorum. Quod autem dicit Gloſ. prædicta, *Quod ipſi pervertent fidem*, iam verum eſt de quibuſdam; in fine autem de omnibus verum erit.

§. De talibus, primò per hypocriſim, deinde per violentiam, perſequentibus, videtur Prophetaſſe Hildegardis Prophetiſſa Teutoniæ, in Epiſtola *Ad clerum Colonienſem*, introducens Diabolum ad illos Seductores loquentem, & hortantem eos, vt ſub prætextu diſciplinæ & correctionis, Clericos ſpoliari faciant, & etiam ſuffocari; quod & in quibuſdam Clericorum dicit eſſe implendum, ſic dicens. *Sed, O vos Subditi mei, & Diſcipuli mei, multò plùs ipſis*, id eſt, Clericis, *coram populo diſciplinati; quia ſic eſtis, erigite vos ſuper illos, & omnes diuitias, & omnem honorem eorum abſtrahite ab eis, ac omninò deſpoliantes ſuffocate eos. Hoc Diabolus in ſemetipſo dicit, quod etiam in multis, iudiciò Dei, ita complebit.* Huc vſque verba Hildegardis. Cum enim dicti Seductores, Principes Sæculares ſeduxerint, diffamabunt apud eos Clericos, & maximè veritatis Prædicatores, & Eccleſiarum Rectores, & procurabunt eos puniri ſub prætextu correctionis & pietatis. Vnde Hildegardis in eadem Epiſtola dicit. *Populus iſte maioribus Sæcularibus Principibus ſe coniungit, quibus & de vobis Clericis dicit ſic. Quare hos vobiſcum habetis? & quare hos vobiſcum eſſe patimini, qui totam terram maculoſis ſuis iniquitatibus polluunt? illi enim ebrij & luxurioſi ſunt; & niſi eos à vobis eiciatis, tota Eccleſia deſtruetur.* Et infrà. *Cumque iſti erroris ſui curſum conſummauerint, Doctores & Sapientes, qui tunc in fide Catholica perſiſtent, vndique perſequentes expellent.* Et infrà. *Quapropter Diuitibus & Principibus conſilium dant, vt Eccleſiarum Rectores, ac reliquos ſpiritales homines*, ſcilicet ſubditos eorum, *fuſtibus & lignis coerceant, quatenus iuſti fiant; & in aliquibus hæc complebuntur, vnde alij territi contremiſcent.* Sic ergo patet, qualiter perſecutio dictorum Seductorum compoſita eſt ex vi & fraude; quia, ſcilicet, primò ſeducunt per fraudem hypocriſis, deinde verò per Maiores ſeductos vehementer perſequuntur alios ſibi reſiſtentes.

§. Iſta tria genera perſecutionum prædicta, præfigurata fuerunt in Domino Ieſu Chriſto, qui primam perſecutionem ſuſtinuit violentam ab Herode quærente illum interfiere, cum

Digitized by Google

mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà. Matth. 2. Secundam verò perſecutionem ſuſtinuit fraudulentam, à Legis Doctoribus, & Scribis, malè interpretantibus Scripturas, & dicentibus, ipſum facere contra Legem, quia curabat infirmos in Sabbato. Vnde dicebant. *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.* Ioan. 9. Tertiam verò perſecutionem ſuſtinuit ab Hypocritis Phariſæis, primò perſequentibus eum per fraudem hypocriſis & dicentibus *eum eſſe peccatorem, quia cum Publicanis & Peccatoribus manducabat;* Et *quia Diſcipuli eius non ieiunabant* Matth. 9. Et *quia peccatores in ſuum conſortium recipiebat.* Vnde quidam eorum dixit. *Hic vir, ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Luc. 7. Deinde ijdem Phariſæi perſecuti ſunt eum per violentiam, *aſſociantes ſibi Herodianos* Matth. 22. Et excitantes contra eum Principes Sacerdotum, & populum, qui conſpirantes in mortem eius, tradiderunt eum Principibus Sæcularibus Pilato, & Herodi, crucifigendum, clamante populô, *Crucifige, Crucifige eum.* Ioan. 19. Vnde Matth. 2. ſuper illud, *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c.* dicit Gloſ. *Quàm citò Chriſtus apparuit in hoc mundo, incepit in eum perſecutio, quæ præfiguravit perſecutionem Sanctorum.* Sic ergo patet, qualiter paſſa eſt Eccleſia perſecutionem, priùs violentam in primitiua Eccleſia, per Tyrannos Martyres occidentes; deinde per apertos Hæreticos, peruertentes Scripturas; tertiò verò per Falſos Fratres paſſura eſt perſecutionem, primò fraudulentam, poſteà violentam.

§. Inter iſtos autem Falſos Fratres, maximè periculoſi ſunt Pſeudo-Prædicatores & Penetrantes domos, vt oſtendetur infrà, ead. diſt. Propter quod Deus, vt Eccleſia ſua præmonita cauere poſſet à Pſeudo, prædixit eos in multitudine eſſe futuros, & multos decepturos, Matth. 24. dicens. *Multi Pſeudo-Prophetæ ſurgent.* Chryſoſtom. *Prophetæ dicuntur Doctores; vnde Pſeudo-Prophetæ Pſeudo-Doctores, vel Pſeudo-Prædicatores intelliguntur.* Sequitur. *Et ſeducent multos.* Gloſ. *Hoc plenè tempore Antichriſti;* quaſi diceret, *Etiam ante tempus Antichriſti multi tales ſurgent, & multos ſeducent, ſed tunc pleniùs.* Et eoſdem Pſeudo cauendos præmonuit idem Dominus Matth. 7. dicens. *Attendite,* Gloſ. diligenter cauete, *A Falſis Prophetis,*

qui veniunt ad vos, Gloſ. vt decipiant, *in veſtimentis ouium.* Gloſſ. Auguſt. *Veſtimenta ouium ſunt blanda verba innocentium, cæteraque Religionis ſigna.* Item Auguſtin. *Ieiunia & orationes ſunt ſimulatis, ſicut & bonis.* Sequitur. *Intrinſecùs autem ſunt Lupi rapaces.* Chryſoſtomus. *Nihil habent dulce, vel manſuetum, niſi vſque ad pellem ouis, id eſt, niſi opera exteriora, quæ ſunt manſuetudinis, & Religionis ſigna.* Item Gloſ. *In humilitate ambulant ex falſa Religione, & ideo cauete, ne vos dilanient blanditijs, & ſimulationibus.* Item ſuper eodem dicit Origenes in Homil. *Nolite ad vultum attendere, ſed ad opera; nolite vultum conſiderare, ſed inſpicite figuram fallaciæ.* Iſtos appellat Dominus *latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem.* Matth. 7. quoniam multos ſeducunt, & ſecum ad perditionem trahunt, vt oſtendetur infrà. Vnde ſuper illud, *Attendite à Falſis Prophetis*, dicit Origenes in Homil. *Quos paulo ſuperiùs latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem nominauit, hos nunc apertiùs Falſos Prophetas oſtendit.* Nec dicas iſta tantùm eſſe intelligenda de Pſeudo Hæreticis, licet de Hæreticis ſpecialiter exponantur in Gloſ. quia ſecundùm eandem Gloſ. ſimiliter poſſunt exponi de Pſeudo non Hæreticis, ſed tantùm Simulatoribus, ſeu Hypocritis. Vnde Gloſ. ibid. *Licet hoc de omnibus illis, qui aliud habitu & ſermone, aliud opere oſtendunt,* id eſt, de Hypocritis omnibus, *poſſit accipi, tamen ſpecialiter de Hæreticis.* Chryſoſtomus autem vult, quod intelligatur hoc, non de Pſeudo Hæreticis, ſed de Pſeudo Hypocritis, ſic dicens ſuper locum iſtum. *Pſeudo-Prophetas, non Hæreticos, hîc mihi inſinuare videtur; ſed eos, qui vitæ ſunt corruptæ, faciem autem virtutis circumindununtur, id eſt, Hypocritæ.* Patet ergo, qualiter Dominus prædixit, Pſeudo-Prophetas in multitudine eſſe futuros, & multos decepturos; & ideo eſſe diligenter cauendos.

§. Apoſtolus autem Prophetizans de futuris periculis 2. Timoth. 3. dicens, *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa,* ſecundùm quod dictum eſt ſuprà in Prologo; & deſcribens eos, qui futuri erant cauſa periculi, dicens, *Et erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, &c.* vnde ibi dicit Gloſ. *Hæc eſt cauſa periculi, quia erunt homines ſeipſos amantes, &c.* præcipienſque illos euitari dicens, *Et hos deuita*; Conſequenter inter illos, qui futuri erant cauſa periculi, ſpecialiter tractat de Penetrantibus domos dicens, *Ex his ſunt,*

Digitized by Google

qui penetrant domos, &c. Quasi diceret, *Ex omnibus prædictis*, videlicet, *cupidis, elatis &c. conuenient aliqui in sectam illorum, qui penetrant domos*; vel, *De numero prædictorum hominum, per quos instabunt tempora periculosa, sunt illi, qui penetrant domos.* Et ne fortè crederetur Apostolus loqui de illis tantùm, qui tempore suô penetrabant domos, eô quod dicit *penetrant* de præsenti, non autem *penetrabunt* de futuro; ideo ostendit Gloss. quod Apostolus intellexerit etiam dè futuris in multitudine maiori venturis. Vnde Gloss. *Iam horùm prænuntij quidam sunt, sed plures in fine futuri sunt.* Quasi diceret. *Iam sunt aliqui in Ecclesia, qui penetrant domos; sed pauci, tanquam præcursores & prænuntij, respectu eorum, qui in fine*, id est, *consequenter, vsque ad finem mundi, in multitudine sunt futuri.* Non ergo dicas *in fine*, id est, *in finali tempore* tantùm illius famosi Antichristi, qui dicitur *Homo peccati, Filius perditionis*, 2. Thess. 2. sed *in fine*, id est, *tempore simili finali* tempori Antichristi; id est, quando imminet similis persecutio persecutionibus Antichristi. Vnde super illud 1. Ioan. 2. *Scimus quia nouissima hora est*, dicit Glossa, *Id est, similis nouissimæ; quia similis est hæc persecutio illi futuræ.* Similis autem persecutio futuræ persecutioni Antichristi, est illa, quæ fit per Pseudo-Prædicatores etiam in præsenti. Vnde de Antichristo loquens Apostolus 2. Thess. 2. dicit, *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Gloss. *Iam in ipsis initiis accessionis inuenitur iniquitas Antichristi, sed mystica; Id est pietatis nomine palliata; vt velint haberi Ministri Christi, cum sint Pseudo.* Ecce quomodò persecutionem, quæ est per Pseudo, appellat persecutionem Antichristi, propter similitudinem. Item 1. Ioan. 2. *Nunc autem multi facti sunt Antichristi.* Glos. *Cum quanto impetu & terrore audistis Antichristum venturum, cum tanta violentia, & isti veniunt*; videlicet, Pseudo Prædicatores. Ecce quomodò Pseudo appellat Antichristos propter similitudinem persecutionis. Quando igitur dicit Glos. de Penetrantibus domos, *Quod iam horum prænuntij quidam sunt, sed plures in fine futuri sunt*; sumitur ibi *In fine* largô modô, scilicet, *pro tempore futuro vsque ad finem mundi*; quemadmodum Apostolus loquens de periculis nouissimorum dierum, *Dies nouissimos* appellauit largô modô, scilicet, *totum tempus futurum ante finem mundi*; sicut & Beatus Ioannes dicens *Nouissima hora est*, 1. Ioan. 2.

nouissimam horam appellauit largô modô, scilicet, *totum tempus futurum ante finem mundi.* Vnde Augustin. in Epistola *Ad Hesychium*, De fine mundi. *Dicit etiam, sicut admones, Apostolus Paulus, in nouissimis diebus instabunt periculosa tempora, & reliqua; sed nunquid ideo docet tempora, quæ Pater posuit in sua potestate? Aut ideo quisquam nouit, quam longa, vel breuia sint eadem ipsa, quæ fatendum est esse nouissima? Cogitare quippe debemus, quàm olim dictum sit, Fratres, nouissima hora est.* Quasi diceret. *Etsi forsan videantur instare in præsenti quædam illorum periculorum, quæ dixit Apostolus futura in nouissimis diebus; non tamen propter hoc credere debemus finem mundi statim instare, quoniam Apostolus nouissimos dies appellauit, totum tempus futurum ante finem mundi, sicut & Ioannes, cum dixit, nouissima hora est.*

§. Isti ergo Deceptores, non solùm expectandi sunt futuri tempore Antichristi; sed etiam quidam præcursuri sunt, & viam præparaturi Antichristo. Vnde Isidorus in lib. *De Summo Bono* cap. 26. *Antequam veniat Antichristus, multa eius membra præcesserunt, & præcipuæ actionis meritô caput proprium præuenerunt.* Item Rabanus super Matth. lib. 7. cap. 43. *Hi tantô plures erunt, & magis abundabunt, quantô magis appropinquabunt ad finem.* De quibus fortè dicit Hildegardis in Epistola supradicta. *Isti autem illi Deceptores non sunt, qui ante diem nouissimum venturi sicut, cum Diabolus in altum volauerit, vt ipse in initio pugnare cœpit, sed præcurrens germen illorum.* Quasi diceret. *Isti Deceptores Ecclesiæ, de quibus nunc loquor, non sunt illi, qui venturi sunt cum Antichristo, sed erunt præcursores & germen illorum, qui futuri sunt tempore Antichristi.* Videtur autem Diabolus volaturus in altum tempore Antichristi; quia tunc soluetur eius potentia, vt magis nocere possit. Apoc. 20. *Soluetur Satanas, & exibit, & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog.* Quod plenius exponetur infrà dist. 3. §. *Non igitur credendum est.*

§. Quoniam igitur futura est persecutio per Falsos Fratres, inter quos præcipui erunt Pseudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, vt dictum est, & ostendetur plenius infrà ead. dist. Ideo primò videndum est, *Qui sint Pseudo-Prædicatores*; deinde verò dicemus, *Qui sint illi, qui penetrant domos*, infrà ead. dist. §. *Post hæc autem*; Tertiô, *Qualiter procedent vtrique in seducendo fideles Christi*, infrà ead. dist. §. *Nunc autem videa-*

igitized by Google

dum. Vt ergo sciamus, *Qui sint Pseudo-Prædicatores*, notandum, quod Prædicatorum quidam sint à Deo missi, quidam verò non missi. Qui ergo non missi prædicant, non veri Apostoli, sed Pseudo sunt. Vnde Rom. 10 super illud, *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* dicit Glos. *Non sunt veri Apostoli nisi missi; nec prædicabunt, nisi mittantur.* Pseudo autem dicuntur, id est, *Falsi*, vel, *Fallaces*; Pseudo enim Græcè, *Falsus*, vel *Fallax* interpretatur Latinè, vnde Pseudolus, *Fallax Seruus*. Isti enim Pseudo sunt, quicumque prædicant falsa; de quibus Ierem. 23. *Seduxerunt populum meum in mendacio suo, cum ego non misissem eos.* Aliquando verò prædicant vera, & nihilominùs Pseudo sunt, id est Fallaces; quia veritatem prædicant ad fallendum, vt ostendetur infrà ead. dist. §. *Quidam autem canonicè*

§. Eorum autem, qui à Domino missi sunt, quidam missi sunt à Domino tantùm, id est, non per hominem; quidam verò à Deo per hominem, vt dicit Augustinus *Ad Orosium*. Missi à Domino, non per hominem; vt Moyses, & Ioannes Baptista, qui missi fuerunt per Angelum, vel per diuinam inspirationem. Tales autem sic missi, probare debent suam missionem, aut per miraculum sibi ad indicium suæ missionis iniunctum, sicut Moyses probauit suam missionem per conuersionem virgæ in colubrum, & è conuerso, sicut ei Dominus iniunxerat. Exod. 7. aut per spiritualem Prophetiam', dictam de ipso, sicut Ioannes Baptista probauit suam missionem, per Prophetiam Isaiæ, quam exposuit de se ipso dicens. *Ego vox clamantis in deserto, sicut ait Isaias Propheta.* Ioan. 1. Aliter enim non crederetur eis, licet dicerent se missos à Deo; quoniam omnes Prædicatores, etiam Hæretici idem dicunt, vt legitur Extrà *De Hæreticis*, cap. *Cum ex iniuncto*; sed nisi desisterent, excommunicari deberent, vt legitur ibidem.

§. Notandum autem, quod sola miracula non essent sufficiens testimonium missionis diuinæ, nisi iniuncta essent à Domino, sicut iniuncta fuerunt Moysi, vt dictum est; *Quia illis, qui non sunt missi, nulla signa, seu miracula, testimonium perhibent*, vt dicit Glos. super illud Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Contingit enim plurimùm, quod Pseudo Hypocritæ infusionem diuini muneris percipiunt, non solùm ad bona opera virtutum, verùm etiam ad miracula facienda, & ad

Digitized by Google

ſciendum futura; ſed quia in eis non Dei gloriam, ſed proprios fauores quærunt, idcirco eis ad maiorem damnationem exiſtunt. Vnde ſuper illud Iob 8. *Numquid virere poteſt ſcirpus abſque humore?* dicit Greg. lib. 8. Moral. *Hypocritarum vita ad bona operâ, infuſionem quidem ſuperni muneris percipit, ſed in cunctis, quæ agit, laudes exteriores appetens, à fructu perfectæ infuſionis inaneſcit. Sæpe namque mira ſignorum opera faciunt, ab obſeſſis corporibus ſpiritus pellunt, & per Prophetiæ donum ventura quæque ſciendo præueniunt; ſed tamen à largitore tot munerum, cogitationis intentione diuiſi ſunt; quia per eius dona, non eius gloriam, ſed proprios fauores quærunt.* Et infrà. *Sed eô poſtmodùm eos diſtrictior ſententia percutit, quô nunc ſuperna bonitas, etiam ingratos, largiùs infundit; ſitque eis amplitudo muneris, incrementum damnationis.* Quod autem per malos plerumque fiant miracula, ſatis patet in Magis Pharaonis, & in Simone Mago, vt oſtendit Auguſtinus 1. q. 1. cap. *Teneamus.* Item Iſidorus lib. 7. cap. 8. in fine dicit. *Habere autem Prophetiam, non ſolum bonus, ſed etiam malus poteſt; nam inuenimus Saulem Regem Prophetaſſe; perſequebatur enim Sanctum Dauid, & impletus Spiritu Sancto Prophetare cœpit.* Miracula igitur Prædicatoris, de cuius canonica miſſione non conſtat, non probant eum miſſum eſſe à Deo, ſed magis reddunt ſuſpectum, ne ſit Pſeudo, quia prædixit Deus tales Pſeudo facientes miracula futuros eſſe Matth. 24. dicens. *Surgent Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna, & prodigia.* Gloſ. *Id eſt miracula, magnum aliquid ſignificantia.* De quibus dicitur Ierem. 23. *Seduxerunt populum meum in miraculis ſuis, cum ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis.* Item Marc. 13. *Exurgent Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna, & portenta, ad ſeducendum, ſi fieri poteſt, etiam electos.* Item Matth. 24. *Multi Pſeudo-Prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Chryſoſtom. *Quem ex parte non moueat Antichriſtus faciens ſigna Chriſti, & Antichriſtiani explentes officia Chriſtianorum? niſi forte conſiderantem, quod ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, & Miniſtri eius in Miniſtros Chriſti.* Sumptum eſt ex 2. Cor. 11. Facientes ergo miracula, & alias nouitates ſpeciem ſanctitatis habentes, non per hoc probantur eſſe veri Apoſtoli, ſed magis, ne ſint Pſeudo, meritò ſuſpecti poſſunt haberi; niſi legitimè conſtet de ipſorum canonica miſſione; & maximè cauendum eſt ab eis. Vnde ſuper illud Matth. 7.

Non

Digitized by Google

Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, dicit Glos. *Maximè cauendum est ab his, qui propter nomen Christi, etiam miracula habent; quæ cum propter infideles Dominus fecerit, monuit tamen, ne à talibus decipiantur, putantes ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi est visibile miraculum. Vnde adiungit, multi dicent in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? &c.* Et infrà. *Quàm mundo ergo, & simplici oculo opus est, vt inueniatur via sapientiæ inter tot deceptiones.* Ita dicit Gloſſa. Præſertim autem appropinquante fine mundi ſuſpecta debent haberi miracula, ne fortè ſint cauſa errorum; quoniam appropinquant fine mundi magis ac magis multiplicabuntur errores. Vnde Matth. 24. dicit Dominus, *Multi venient in nomine meo.* Glos. Antichriſti pro Chriſto. *Et multos seducent.* Chryſoſt. in Glos. *Homo circa mortem phantasias videt sic mundus in exitu suo multos patietur errores; quis enim poterit in finali Ecclesia erroribus non seduduci, cum viderit satellites Antichristi miracula facientes, occidendo Martyres Christi?* De hoc Gregorius lib. 32. Moral. *Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum peruersa patiuntur. Tunc autem Behemoth huius satellites, & cum peruersa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius Martyr, & corpus tormentis subijcit, & tamen ante eius oculos miracula Tortor facit. Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat?* Item Iſidorus in lib. *De summo bono*, cap. 26. loquens de nouiſsimis temporibus ait. *In tempore illo per patientiam glorioſi erunt Sancti, non per miracula, sicut fuerunt priores.* Et infrà. *Proinde & durius bellum sustinebunt, quia non solùm contra persequentes, sed etiam contra miraculis coruscantes dimicaturi sunt.* Ideo igitur ſuſpecta debent haberi miracula in finali Eccleſia, quia tunc ceſſabunt ab Eccleſia virtutes, & ſigna. Vnde Iſidorus in eodem lib. cap. 25. *Antequam Antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia & signa cessabunt; quatenùs eam abiectiorem persequatur audaciùs.* Item ſuper illud Pſal. 9. *Inclinabit se & cadet, cum dominatus fuerit pauperum,* dicit Aug. de Antichriſto, & Miniſtris eius. *Cum illa signa facere cœperit, quantò mirabiliora videbuntur hominibus, tantò illi Sancti, qui tunc erunt, contemnentur, & quasi pro nihilo habebuntur quos ille, cui per iustitiam & innocentiam resistent, mirificis factis superare videbitur.* Idcirco dicit Apoſtolus 2. Theſſ. 2. *Rogamus vos, Fratres, per ad-*

uentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu. Licet igitur Moyſes per miracula ſibi à Deo iniuncta probauerit ſe miſſum à Domino fuiſſe, non tamen ſola miracula probarent hodie aliqua miracula facientem miſſum eſſe à Deo, niſi conſtaret illa data eſſe à Deo ad diuinæ miſsionis indicia; vel niſi ſuam probaret aliter miſsionem.

§. Item notandum eſt, quod licet Ioannes ſuam probauerit miſſionem authoritate Iſaiæ Prophetæ, quam de ſemetipſo expoſuit, vt oſtenſum eſt paulò ante; ſi tamen alius Prædicator vellet probare ſuam miſſionem authoritate alicuius Prophetiæ, quam exponeret de ſeipſo, non eſſet ei credendum, niſi etiam Deus de ipſius miſſione illi teſtimonium perhiberet, ſicut fecit de Ioanne, cum dixit Matth. 11. *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sic ergo habemus, *Qui ſint à Deo miſſi, non per hominem;* & qualiter ſuam probare debeant miſſionem.

§. Miſſi autem à Deo per hominem, ſicut Ioſue per Moyſem, & ſicut Prælati Eccleſiarum per Eccleſiam, vel aliqui non Prælati per Eccleſiæ Prælatos, canonicè mittuntur, id eſt ad reginem animarum eliguntur, vt oſtendetur infrà ead. diſt. §. *Quoniam igitur, vt dictum eſt.* Et talis miſſio probari debet per canonica monimenta, ſicut alia, quæ per Eccleſiam fiunt. 2. q. 1. cap. *Legum Eccleſiaſticarum.*

§. Item eorum, qui miſsi ſunt à Deo per hominem, quidam prædicant veritatem Diuinæ Scripturæ, quidam verò falſa, contra, vel præter authoritatem eiuſdem Scripturæ. Contra veritatem Diuinæ Scripturæ prædicant, non ſolum illi, qui prædicant contra fidem, ſed etiam illi, qui prædicant contra moralem doctrinam Chriſti, vel Apoſtolorum, vel Prophetarum, vel aliorum Sanctorum Patrum. Contra doctrinam autem Chriſti prædicant, qui docent & prædicant opera pœnitentiæ, & alia bona opera, non ſolùm à perfectis, verùm etiam à quibuſcumque infirmis, contra vel præter mores Eccleſiæ, debere publicè oſtentari, id eſt per aliquas nouitates, ſeu alia indicia exteriora oſtendi; hoc enim eſt contra doctrinam Chriſti Matth. 5. & 6. vt oſtendetur pleniùs infrà diſt. 4. in 10. ſigno. §. *Sed ſunt aliqui*, & duobus ſequentibus Paragraphis. Similiter illi, qui prædicant omnes facientes miracula, prop-

ter nomen Christi debere recipi, & ijs credi tanquam nuntijs Dei; hoc enim est contra doctrinam Christi Matth. 6. & Matth. 24. vt ostensum est suprà, ead. dist. §. *Notandum*, & ostendetur infrà dist. 4. in 18. signo. Contra doctrinam Apostolicam, & Sanctorum Doctorum, prædicant illi, qui prædicant mendicationem pauperum Christi, non solùm esse licitam, verùm etiam esse opus perfectionis, licet non sint inualidi, nec occupationibus Ecclesiasticis penitùs impediti, nec aliter à præcepto Apostoli, de operando corporaliter propter victum, legitimè excusati; hoc enim contrarium est doctrinæ Apostoli, & Augustini, & multorum aliorum Sanctorum Doctorum, vt ostendetur plenius infrà, dist. 2. Contra doctrinam Propheticam prædicant illi, qui Canonicam Scripturam, non iuxta expositiones Sanctorum, sed iuxta voluntatem suam, contra Scripturæ veritatem prædicando exponunt; contra illud Ieremiæ 23. *Qui habet sermonem meum, loquetur sermonem meum verè.* Et isti omnes Pseudo prædicant falsa, contra veritatem Scripturæ.

§. Præter veritatem autem Scripturæ prædicant falsa, qui vt Auditoribus suis placeant, quædam fingunt, quæ non sunt Dei verba, sed sua; contra illud Ezech. 3. *Fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* Quasi diceret. *Non verba tua loqueris, sed mea; Id est non verba ficta, sed scripta.* Vnde Glos. *Qui in expositione sacri eloquij, vt Auditoribus placeat, aliud fingit; verba sua loquitur, non Dei.* Sic faciunt illi, qui prædicando fingunt aliqua fabulosa, per quæ magis plausum quærunt populi, & fauorem, quàm eos excitare ad lacrymas, & compunctionem; contra illud Ecclesiastici 22. *Musica in luctu importuna narratio.* Glos. *Eos notat, qui in Ecclesia plausum populi, & fauorem quærunt, nec magnam compunctionem lacrymarum excitant.* Item Bernardus sermone 59. *Illius lubentiùs Doctoris audio vocem, qui non mihi plausum, sed planctum moueat.* Hoc autem est contra doctrinam Apostoli, Timotheum Episcopum, & Prædicatorem Apostolicum instruentis, vt tales fictiones & fabulas in sua prædicatione debeat euitare. Vnde 1. Timoth. 4. *Ineptas autem, & aniles fabulas deuita.* Quidam etiam, vt in maiori honore inter homines habeantur, prædicant quædam falsa ad honorem suum pertinentia, nec scripta, nec tamen scriptis contraria; sub eo prætextu, quod ad lau-

Digitized by Google

dem Dei videantur pertinere; vt qui prædicant Deum per ipsorum, vel collegarum suorum ministerium, feciſſe miracula, quæ non fecit; contra illud Apoſtoli Rom. 15. *Non enim audeo*, Gloſ. vt Pſeudo, *aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.* Gloſ. *Id eſt, ea loquor tantùm, quæ per me, id eſt ministeriò meô, efficit Chriſtus.* Iſti appellari poſſunt falſi teſtes Dei, non Deo in hac parte placentes, ſed eum tali mendaciô offendentes. Vnde ſuper illud 1. Corinth 15. *Inuenimur & falſi teſtes Dei*, dicit Gloſ. *Deus de falſa laude ſua iraſcitur.* Et infrà. *Perhorrendum eſt aliquid falſi de Deo dicere, etſi ad laudem eius videatur pertinere; quia non minori, ſed maiori fortaſſis ſcelere laudatur in Deo falſitas, quàm vituperatur veritas.* Iob 13. *Nunquid Deus indiget mendaciô veſtrô, vt pro eo loquamini dolos?* Gloſ. *Veritas non indiget falſitate fulciri.* Verus enim Prædicator, nec præter authoritatem Scripturæ, nec præter vtilitatem Auditorum ſcienter prædicat, nec quod docendum eſt, tacet, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Fideles igitur ſerui Chriſti.* Terminos enim Sanctorum Patrum debent veri Prædicatores ſeruare, vt non prædicent, niſi veritatem Scripturæ, & qualia ab Apoſtolis acceperunt; nam vt dicit Hieron. *Transferunt terminos, quos poſuerunt Patres eorum, qui commutant mendaciô veritatem, & aliud prædicant, quàm quod ab Apoſtolis acceperunt.* 24. q. 3. cap. *Transferunt.* Vnde Apoſtolus, ne videretur transgredi terminos Patrum, ſuam prædicationem confirmabat authoritatibus Scripturarum; & eodem modô ab alijs Prædicatoribus confirmari mandabat, dicens ad Timotheum. 2. Timoth. 2. *Quæ audiſti à me, per multos teſtes*, Gloſ. Id eſt confirmata per Prophetas, *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Quaſi diceret. *Sicut ego confirmo prædicationem meam authoritatibus Scripturarum, ſic commendo alijs Prædicatoribus, vt confirment prædicationem ſuam authoritatibus Scripturarum.* Sic ergo patet, quod aliqui miſsi à Deo per hominem, Pſeudo dici poſſunt, id eſt, Falſi; eô quod prædicant falſa, contra vel præter veritatem Diuinæ Scripturæ, vel tacent in dolo, quod eſſet docendum. Iſti Pſeudo-*fures & latrones dicuntur.* Ioan. 10. *Quoniam veritatem negant, & tollunt*, vt dicit Gloſ. ſuper illud Philipp. 1. *Quid enim, dum omni modô, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur?* Veritatem enim negant, qui prædicant, vel docent contraria

Digitized by Google

veritati; sed eam tollunt, qui tacent, quod esset docendum.

§. Eorum autem, qui missi à Deo per hominem prædicant veritatem Diuinæ Scripturæ, quidam veritate, id est veraci animô, prædicant veritatem, id est amore veritatis, & vtilitate Auditorum; & isti verè dicuntur *Pastores*. Vnde super illud Philipp. 1. *Quid enim, dum omni modô, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur?* dicit Glos. *Pastor veritate, veritatem annuntiat propter veritatem.* Et dicuntur Pastores, quia non propter aliud, nisi propter Deum, & ex amore pascunt, sicut Filij gregem Patris. Vnde super illud Ioan. 10. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, &c.* dicit Glos. *Præpositi verò*, id est, Prælati, *qui Filij sunt, sunt & Pastores*; id est, *qui ex amore pascunt, sicut Filij gregem Patris.*

§. Quidam verò alii prædicant veritatem Diuinæ Scripturæ sine veritate, id est non veraci animô. Et istorum duo sunt genera. Quidam enim, siue ordinariè, siue extraordinariè, canonicè tamen intrantes ad officium Prædicatoris, sine veritate, id est, non verô animô, videlicet, non ex amore veritatis, nec propter vtilitatem Auditorum, prædicant veritatem; sed ex occasione, id est pro aliqua temporali mercede; & isti propriè *Mercenarij* dici possunt. Vnde super illud Philipp. 1. *Quid enim, dum omni modô, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur?* dicit Glos. *Mercenarius occasione rei temporalis veritatem annuntiat, aliud quærens.* Item super illud Ioan. 10. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor*, dicit Glos. *Mercenarius est, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Christi; qui seruit Deo, non propter Deum, sed pro aliqua mercede; qui culpabilis est, & non filius.* Iste tamen *necessarius est, & tolerandus*, vt dicit Glos. ibid. quoniam plurimùm multis proficit; & ideo etiam tolerabilis est, quia canonicè intrat. Vnde super illud Ioan. 10. *Quotquot venerunt, fures sunt & latrones*, dicit Glos. *Mercenarius benè & canonicè intrat, propter hoc solum Mercenarius, quia venienti Lupo non resistit, sed pro mercede cedit.*

§. Quidam autem canonicè, sed tamen extraordinariè, intrantes ad officium Prædicatoris, sine veritate, id est in dolo, prædicant veritatem subditis alienis, ad quos erudiendos mittuntur; videlicet, vt sic eos sibi alliciant, & per consequentiam, ab eorum Prælatis auertant; & ita eos, quasi suos faciendo seducant, id est, à suis Prælatis, siue à suorum consiliis Præ-

latorum, ad ſe, ſiue ad ſua conſilia, ducant, vt oſtendetur pleniùs infrà ead. diſt. §. *Poſt hæc autem.* & §. *Secundùm verò aliam.* (ſic enim exponitur *ſeducere* Apoc. 20. vbi dicitur. *Soluetur Satanas, & ſeducet gentes*; Gloſ. *Id eſt, ad ſe ducet*) & ſic vlteriùs ab illis ſeductis gloriam, vel lucrum aliquod temporale, acquirant. Et iſti non ſolùm *Pſeudo*, id eſt, *Fallaces*, ſed etiam *Mercenarij* dici poſſunt, propter lucrum, quod intendunt. Vnde ſuper illud 1. Theſſ. 2. *Exhortatio noſtra non fuit de errore* (vbi loquitur Apoſtolus contra Pſeudo, vnde Gloſ. etiam dicit ibi. *Hîc contra Pſeudo-Apoſtolos videtur incipere*) ſubiungit idem Apoſtolus dicens, *Neque in dolo*, ſupple, *fuit exhortatio noſtra.* Gloſ. *Id eſt, in fraude, aſtutia, hypocriſi*; & addit. *Etiam veritas eſt in dolo, quando non pro amore veritatis, & vtilitate Auditorum prædicatur; ſed vt gloria, vel aliud lucrum acquiratur.* Quod autem Pſeudo cum gloria, etiam lucrum intendant, dicit Gloſſa ſuper illud 2. Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus nos, ſicut Dei Miniſtros*, vbi dicitur. *Dei Miniſtri non adulantur hominibus, vt placeant Deo, ſicut faciunt Pſeudo ſtudentes lucro.* Intentio enim, & ſtudium Pſeudo-Apoſtolorum eſt in pecuniis accipiendis, vt dicit Gloſſ. ſuper illud 2. Corinth. 11. *Vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem*, vbi habet. *Sciebat Apoſtolus, quod ſi Pſeudo non acciperent, non diu prædicarent.* Tales igitur Prædicatores, etiam *Mercenarij* dici poſſunt, quia mercedem temporalem intendunt; & nihilominùs *Pſeudo ſunt*, id eſt, *fallaces*, quia per hypocriſim & fallaciam ſuam ſubditos alienos ſeducunt, id eſt, ad ſe ducunt; *Corrumpunt enim ſenſus hominum, & grauant ſaccos*, id eſt burſas, *eorum*, *circumuentione Serpentinæ aſtutiæ*, vt dicit Gloſſa ſuper illud 2. Corith. 7. *Neminem circumueniimus.* Et ideo dicuntur Pſeudo in opere Dei, id eſt, in prædicatione fraudem facere, quoniam ex illa lucrum temporale, vt dictum eſt, vel laudem humanam, vel fauorem humanum intendunt habere. Vnde ſuper illud Iob 9. *Verebar omnia opera mea*, dicit Gregorius in lib. 9. Moral. *Solus ille in opere Dei fraudem non facit, qui cum ad ſtudia bonæ actionis inuigilat; nec ad rei temporalis præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat.* Et quia in opere Dei fraudem faciunt, ideo maximè diſplicent Deo, qui non tam culpas aſpernatur, quàm fraudes. Vnde ſuper illud Lucæ 9. *Vulpes*

foueas habent, &c. dicit Gloſſ. *Attende Dominum, non culpas aſpernatum, ſed fraudes.* Et ſanè, *Virum doloſum abominabitur Dominus*, vt dicit Pſalmiſta Pſalm. 5. Quia verò Deus fraudes Simulatorum, ſiue Hypocritarum, maximè aſpernatur & abominatur; ideo dicuntur Hypocritæ, non ſolùm Deum offendere, quemadmodùm alii peccatores; ſed etiam iram eius prouocare. Vnde Iob 36. *Simulatores & Callidi prouocant iram Dei.* Tales Fraudulatores maledicit Dominus per Ieremiam dicentem cap. 48. *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter,* ſecundum vnam literam; alia litera, *negligenter.*

§. Sic ergo patet ex præmiſſis, quod tria ſunt genera Pſeudo, id eſt falſorum, vel fallacium Prædicatorum; videlicet illi, qui prædicant non miſſi. Item illi, qui miſſi, ſiue ordinariè, ſiue extraordinariè, ſcienter prædicant falſitatem, contra authoritatem Diuinæ Scripturæ, vel præter authoritatem Diuinæ Scripturæ, ac præter vtilitatem Auditorum prædicant quædam falſa populo placentia, propter popularem fauorem; vel prædicant quædam falſa, quaſi ad laudem Dei pertinentia, propter proprium ipſorum honorem; vel in dolo tacent, quod prædicandum eſſet. Item illi, qui miſſi extraordinariè prædicant veritatem in dolo ſubditis alienis; videlicet ad ſeducendum, modô prædictô alliciendo ſibi ſubditos alienos, ad quos erudiendos mittuntur. Horum primi ideo Pſeudo dici poſſunt, quia fallaces ſunt, & quoniam fallaciter ad alienum officium ſeſe ingerunt. Secundi verò Pſeudo dici poſſunt, quia falſi ſunt, & quoniam in ſua prædicatione falſitatem dicunt, vel veritatem tollunt. Tertij verò ideo Pſeudo dici poſſunt, quia iterum, ſicut primi, fallaces ſunt, & quoniam ſubditos alienos fallaciter ſibi alliciunt, & in opere Dei, & in prædicatione fraudem faciunt.

§. Notandum verò, quod illi, qui miſſi prædicant ex occaſione veritatem, videlicet propter commodum aliquod temporale, qui & *Mercenarij* dicti ſunt, vt expoſitum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quidam verò alij*, tolerandi ſunt, *quamdiu Euangelio proficiunt*, vt dicit Gloſſa de quibuſdam ſuper illud Philipp. 1. *Exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Quandò verò ſubditos alienos ſeducunt, id eſt, ad ſe ducunt, auertentes illos à doctrinâ & conſilijs Prælatorum ſuorum, & Doctorum veracium, deinceps tolerandi non ſunt; quia tunc

Pseudo sunt, id est fallaces; & tunc Ecclesiæ Dei magis officiunt, quàm proficiunt; quoniam ex tali seductione mala plurima subsequuntur, vt ostendetur infrà ead. dist. §. *Ex hac autem seductione.* & §. *Contemptus verò.* & §. *Postquam autem.* & Paragraphis sequentibus, vsque ad finem distinctionis.

§. Nec mireris, si Prædicatores missi, aliquando Pseudo dici possunt; quia sicut dicit Gloss. Rom. 10. super illud *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* Etiam *Pseudo bene nuntiantes misit Dominus, qui in bonum mala nouit vti; aliquando etiam malos malis mittit in iram, id est prædicare permittit malos malis, ad eorum pœnam, vt vicissim per se, sicut iustum est, pereant, meritis eorum exigentibus*, vt dicit Glossa ibidem. Nec etiam mireris, si Pseudo quandoque benè annuntient, & prædicent veritatem, & multis proficiant, vt dicit Glossa Philipp. 1. super ilud, *Quid enim, siue per occasionem siue per veritatem Christus annuntietur?* & super illud Ioan. 10. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, &c.* cum idem plurimum prædicent Pseudo, quod veri Apostoli. Vnde 2. Corinth. 11. super illud *Nam si is, qui venit, Christum alium prædicat, quem non prædicauimus, &c.* dicit Gloss. *Pseudo nihil aliud prædicant, quàm ego, sed idem.* Item in eodem cap. super illud, *Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis*, dicit Gloss. *Quidam fauebant Pseudo-Apostolis, à quibus tamen eadem audiebant verbis compositis, quæ ab Apostolo*; Constat autem quod ab Apostolo non audiebant, nisi veritatem; Ergo Pseudo plurimi prædicant veritatem; & tamen nihilominùs Pseudo sunt, id est fallaces, quia prædicant veritatem in dolo, vt ostensum est paulò ante: quemadmodum Diabolus, *quando bona seductoriè dicit*, vt dicit Gloss. super illud 1. Cor. 12. *Alij datur discretio spirituum.*

§. Quoniam igitur, vt dictum est, quidam Prædicatores mittuntur à Deo tantùm, vt ostensum est supra ead. dist. §. *Eorum autem*; quidam verò mittuntur à Deo per hominem, vt ostensum est supra ead. dist. §. *Missi autem*; à Deo autem per hominem mittuntur, qui ab Ecclesiarum Collegijs, vel ab earum Prælatis rectè ad animarum regimen eliguntur, vt probatur per Gloss. super illud Hebr. 5. *Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, vbi dicitur, *A Deo vocatur, qui rectè eligitur*; Sciendum est, quod à Collegiis

Digitized by Google

Collegiis Ecclesiarum, per canonicas sanctiones eliguntur Episcopi, qui Apostolis successerunt, & eorum vices gerunt, vt legitur dist. 68. can. *Quorum vices.* Ab Apostolis verò eliguntur Minores, siue Parochiales Presbyteri, qui 72. Discipulis successerunt, & eorum loca tenent, vt legitur dist. 21. can. *In Nouo Testamento.* Vnde Luc. 10. in principio, dicit Gloss. *Sicut in Apostolis est forma Episcoporum; sic & in 72. Discipulis forma est Presbyterorum secundi ordinis*, id est, *Parochialium.* Nec fuerunt ab initio plures ordines in Ecclesia, ad regendum eam, primò & principaliter constituti; & ideo Chorepiscopi, quoniam præter hos duos ordines fuerant subingressi, & de Episcoporum officio aliquid vsurpabant, de medio sunt sublati. Vnde dist. 78. can. *Chorepiscopi*, dicitur, *Cum enim non nisi duos ordines inter Discipulos Domini cognouerimus, id est duodecim Apostolorum, & septuaginta Discipulorum; Vnde iste tertius ordo processerit, funditùs ignoramus; & quod ratione caret, extirpari, necesse est.* Archidiaconi verò, & Archipresbyteri, & alij quicumque, secundùm diuersos ritus Ecclesiarum diuersimodè instituti sunt in Ecclesia Dei, vt sub Episcopis, vel etiam sub Presbyteris, vel vice Presbyterorum exerceant regimen animarum, *Opitulationes* appellati sunt, id est *opem Maioribus ferentes.* Vnde 1. Corinth. 12. super illud, *Deinde Gratias curationum, Opitulationes, &c.* dicit Gloss. *Opitulationes, id est opem Maioribus ferentes, vt Titus Paulo, & Archidiaconi Episcopo.*

§. Istorum autem, qui *Opitulationes* dicti sunt, iam sunt quidam per Ecclesias ordinariè instituti, vt sunt Archidiaconi, & Archipresbyteri; verumtamen, Ecclesiarum necessitate, vel vtilitate exigentibus, augeri possunt Opitulationes extraordinariè per delegationem Maiorum. Vnde Opitulationes extraordinariæ dici possunt, quos Episcopi nonnullis occupationibus impediti, mittunt per suas Dioceses, ad exercendum vice ipsorum regimen animarum, secundùm quod ipsi Episcopi iudicauerunt expedire, vt legitur Extrà, *De Officio Ordin.* cap. *Inter cætera.* Quod etiam eadem ratione dici posset de Minoribus Prælatis, vt sunt Plebani, & alij Ecclesiarum Rectores; videlicet, quod per suas Parochias possint Prædicatores mittere, vel vocare, vel inuitare, vt legitur 7. q. 1. cap. *Episcopi, vel Presbyteri.* Opitulationes etiam dici possunt.

quos Dominus Papa, qui est summus Episcoporum, & Ordinarius singulorum, ex causis prædictis, secundùm quod iudicauerit expedire, mittit per diuersas Ecclesias, vel Prouincias, ad prædicandum, vel ad aliud regimen animarum. Extrà, *De Hæreticis*, cap. *Cum ex iniuncto.*

§. Verùm si Dominus Papa infinitis & incertis, à se, vel ab Ecclesia, non electis, & sibi non cognitis, vel probatis priùs (V. G. vniuersis Monachis *Cluniacensis, aut Cistercienſis Ordinis, aut quoscumque Abbates eorum duxerint destinandos) concedat in generali licentiam prædicandi, confessiones audiendi, pœnitentias iniungendi, in quibus maximè consistit regimen animarum; non est verisimile, quod per talem licentiam in generali concessam intendat, eos facere vniuersales Apostolos, vel etiam vniuersales Opitulationes Ecclesiæ vniuersæ, habentes scilicet generalem & liberam potestatem exercendi prædicta officia in omni Ecclesia Christianorum, irrequisitis Prælatis Ecclesiasticis, vel inuitis; cum Dominus Iesus Christus (cuius est Vicarius generalis, & propter quod debet eum in suo regimine imitari, tamquam eius generalis Minister, iuxta illùd Ioan. 10. *Qui mihi ministrat me sequatur*, Gloss. *Id est, me imitetur*) dum esset in carne mortali, non nisi certas personas à se electas, conuersatione expertas, & in suo disciplinatu probatas, miserit ad prædictum regimen animarum; videlicet, duodecim Apostolos, Luc. 9. & septuaginta duos Discipulos, Luc. 10. dicens eis Matth. 10. ECCE *ego*, Gloss. *qui elegi, qui docui*, MITTO *vos*, Gloss. *id est, de Discipulis, missos vos facio; ideo sitis mansueti, humiles, innocentes.* Quasi diceret. *Ideo elegi vos, & docui, & probaui in meo disciplinatu, antequam mitterem, vt sitis quales esse oportet, scilicet, mansueti, &c.* Ideo autem elegit Dominus, & probauit Discipulos suos, antequam mitteret; non quod ipse probatione indigeret, qui nihil ignorat; sed vt daret formam mittentibus, quod non mitterent passim, & sine delectu; sed deligerent electos, doctos, & diu probatos; præsertim *Cum sit Ars Artium Regimen Animarum*, Extrà, *De ætate, & qualitate Præficiendorum*, cap. *Cum sit Ars Artium*, & ideo non sine examine, nec passim quibuslibet, sed solis idoneis committendum. Vnde 2. Timoth. 2. dicit Apostolus. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei*

Digitized by Google

sint & alios docere. Gloss. *Illis enim committendum est prædicandi officium, qui apti sunt illi officio.* Ecce qualiter Apostolus, per hoc quod dicit, *Qui idonei sint*, docet Timotheum, vt quos missurus est ad prædicandum, priùs studeat examinare. Item 1. Timoth. 2. Præcipit Apostolus, vt Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, qui ad regimen Ecclesiæ canonicè eliguntur, priùs probentur, quàm eis administratio verbi Dei, & aliorum spiritualium, committatur, dicens. *Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Multô magis ergo probandi sunt, qui electione canonicâ non præmissâ, se offerunt, vel, quibuslibet inuitis, se ingerunt ad prædicandum, & ad omne regimen animarum.

§. Beatus etiam Paulus, post Domini Ascensionem ab eodem Domino electus, iuxta illud dictum de ipso Paulo Act. 9. *Vas electionis mihi est iste, &c.* quamuis in lege *secus pedes Gamalielis eruditus*, vt legitur Act. 22. nihilominùs tamen, antequam mitteretur ad prædicandum, in raptu suo à Domino est edoctus, *cum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, 2. Corinth. 12. & licet sic edoctus, non tamen statim factus est generalis Apostolus (*Annô enim Passionis & Resurrectionis Domini ad fidem veniisse probatur*) sed per multos annos expertus & probatus, *decimotertiô annô post suam conuersionem, generalem Gentium Apostolatum accepit*, vt dicit Gloss. Bedæ super principio Epistolæ *Ad Rom.* Item Act. 13. super illud, *Segregate mihi Saulum & Barnabam, &c.* dicit Gloss. *Tertiodecimô annô post Passionem Domini, videtur Saulus secundùm ordinem Historiæ, Apostolatum cum Barnaba, & Pauli nomen accepisse; quartodecimô autem annô, iuxta conditum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, ad Magisterium Gentium profectus est; cui consentit Ecclesiastica Historia.* Cum igitur secundùm Apostolum, omnes, quibus committitur prædicationis officium ante commissionem sint à committente probandi; cum etiam Saluator noster, qui errare non potest, certas & à se electas, & sibi experimentô cognitas, & probatas personas miserit ad regimen animarum; & hoc tantùm ad instructionem sequentium Ministrorum suorum fecerit, vt dictum est suprà; *Cum omnis eius actio, nostra sit instructio*, vt dicit Gloss. super illud Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque effudit ad eum, qui posset saluum illum facere à morte*; Non est

verisimile, summum Pontificem, Apostolicum, successorem & Christi Vicarium, ac generalem Ministrum, & ob hoc ad eius imitationem, vt ostensum est, obligatum mittere velle, vel intendere, ad illud regimen, personas infinitas, incertas, à se, vel ab Ecclesia canonicè non electas, nec sibi cognitas, nec probatas, vt Opitulationes generales, habentes scilicet generalem & liberam potestatem eiusdem regiminis per Ecclesiam vniuersam.

§. Item certum est, quod nullus Apostolorum, præter Paulum, fuerit generalis Prædicator totius orbis Gentium; sed singuli ad singulas fuerunt Prouincias destinati. Vnde Rom. 1. super illud, *Segregatus in Euangelium Dei*, dicit Glos. *Destinatus est Paulus Apostolus Gentibus totius orbis Prædicator; ac reliqui singulis Prouincijs facti sunt Legati & Prædicatores.* Item B. Gregorius, licet summus Pontifex esset, tamen nihilominùs vniuersalem Pontificem se prohibet appellari; *quoniam alijs subtrahitur, quod alteri, plusquàm ratio exigit, præbetur*, vt legitur dist. 99. can. *Ecce in præfatione.* Non est ergo visimile, quod Dominus Papa, Christi Vicarius & imitator, infinitis & incertis personis, & à se, vel ab alio Prælato canonicè non electis, nec experimentô probatis, concesserit generalem Apostolatum, seu Pontificatum totius orbis, vel etiam generalem Opitulationem, seu Legationem; videlicet prædictam potestatem liberam eis generaliter concedendo, ne illi per hoc, maiores, vel discretiores Apostolis, vel Episcopis omnibus videantur; & ne Prælatis Ecclesiæ vniuersis subtrahi videretur, quod illis infinitis & incertis personis, plusquàm ratio exigit, præberetur; & sic vilesceret nomen Episcopi, & status Ecclesiæ turbaretur. Nam, vt dicit Damasus Papa, *Si vilescat nomen Pontificum, omnis status Ecclesiæ perturbatur.*

§. Item in Euangelio Matth. cap. 10. Apostolorum à Domino electorum, & certus numerus, & certa nomina ideo exprimuntur, vt præter hos, qui futuri erant Pseudo, tamquam incerti, & non electi à Domino excluderentur. Vnde Matth. 10. super illud, *Duodecim apostolorum nomina hæc sunt*, dicit Glos. *Catalogus Apostolorum ideo hìc ponitur, vt præter hos, qui Pseudo futuri erant, excluderentur.* Præuidebant enim Apostoli multos Pseudo-Apostolos, & multos falsos Doctores in Ecclesia Dei futuros, & Prædicatores, sub nomine Chri-

sti, voluntatem tamen Diaboli facturos; propter quod prohibuerunt omnes Prædicatores admitti, præter quàm ipsos, & ipsorum legitimos successores, vel qui ab eis testimonium haberent. Vnde in lib. 4. Historiæ Sancti Clementis Papæ, in fine, ex Sermone Beati Petri Apostoli in Ciuitate Tripoli, ita legitur. *Ne vnius & veri Dei repararetur Religio vera, Diabolus festinat continuò in hunc mundum immittere (postquam ei dixit Dominus,* DOMINVM DEVM TVVM ADORABIS, ET ILLI SOLI SERVIES) *deterritus & metuens, Pseudo-Prophetas, & Pseudo-Apostolos, falsosque Doctores, qui sub nomine quidem Christi loquerentur, Dæmonis tamen facerent voluntatem; propter quod obseruate cautiùs, vt nulli Doctorum credatis, nisi qui Iacobi Fratris Domini ex Ierusalem certum detulerit testimonium, vel eius, quicumque post ipsum fuerit; nisi enim quis illuc ascenderit, & ibi probatus fuerit quod sit Doctor idoneus & fidelis ad prædicandum Christi verbum; nisi, inquam, inde detulerit testimonium, recipiendus omnino non est. Sed neque Propheta, neque Apostolus in hoc tempore speretur à vobis aliquis, præter nos; vnus enim est verè Propheta, cuius nos duodecim Apostoli verba prædicamus.* Videtur ergo, quod præter Episcopos, qui Apostolis, & præter Presbyteros, qui Septuaginta duobus Discipulis successerunt, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Quoniam igitur*, alij Prædicatores incerti, ab Ecclesia, vel à Prælatis Ecclesiæ non electi, vel de quorum electione, aut canonica missione non constat, Pseudo sint censendi.

§. Item non est intentionis summi Pontificis, vel imminuere, vel arctare, vel infringere, vel impedire honorem, potestatem, iurisdictionem, & officia Fratrum & Coëpiscoporum suorum, iuxta illud Gregorij, *Nec honorem meum esse deputo, in quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco; meus namque honor est honor vniuersalis Ecclesiæ; meus honor est Fratrum meorum solitus vigor; tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.* dist. 99. can. *Ecce in præfatione.* Item Gregorius. *Absit hoc à me, vt statuta Maiorum Consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi iniuriam facio, si Fratrum meorum iura perturbo.* 25 q 2. cap. *Quod verò dicitis.* Item Gregorius, *Si sua vnicuique iurisdictio non seruatur; quid agitur aliud, nisi per nos, per quos Ecclesiasticus ordo illæsus custodiri debuit, confundatur?* 11. q. 1. cap. *Peruenit.* Constat autem quod potestas

& officium Episcoporum est probare, siue examinare, Prædicatores ignotos; de hoc enim commendatur Episcopus Ephesi Apoc. 2. à Domino ei dicente, *Scio*, id est approbo, *opera tua, & laborem tuum, &c.* Et infrà. *Et probasti eos, qui se dicunt esse Apostolos, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.* Talis examinatio præcipitur 1 Ioan. 4. vbi dicitur, *charissimi*, NOLITE CREDERE *omni spiritui*, Glos. *Id est, omni spiritualiter loquenti*, SED PROBATE *spiritus, si ex Deo sunt*, Glos. *Id est, si secundùm Deum spirituales sint, & si charitate innitantur.* Quasi diceret. *Probate, si non cupiditati, non ambitioni, non alteri peruersæ intentioni seruiant.* Et causam huius probationis, seu examinationis subiungit dicens. *Quoniam multi Pseudo-Prophetæ exierunt in mundum, &c.*

§. Item potestas & officium Episcoporum est, resistere Pseudo-Prædicatoribus. Vnde 1. Timoth. 1. *In principio*, dicit Glos. *Timotheo in Asia relicto Episcopo scribit Apostolus de Episcopali officio; videlicet quomodò resistat Pseudo-Apostolis.* Ecce quod officium & potestas Episcoporum est examinare Prædicatores, & resistere Pseudo Prædicatoribus.

§. Item in hoc consistit honor, iurisdictio, & potestas Episcoporum, & ius & distinctio, & pax Ecclesiarum, vt in vna Dioecesi, non sit, nisi vnus Episcopus; in vno Archidiaconatu, nisi vnus Archidiaconus; in vna Parochia, nisi vnus Rector Parochialis; vt enim dicit Hieron. *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi*, supple in vno Archidiaconatu, *singuli Archiepiscopi; & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur*; quasi diceret, *non alienis.* 7. q. 1. cap. *In apibus.* Ecclesia enim vna non debet habere plura capita, quasi monstrum, Extrà, *De Offic. Ordin.* cap. *Quoniam in plerisque*; alioquin Ecclesia *non esset vxor, sed scortum.* 21. q. 2. cap. *Sicut in vna.* Ideo non debet in Dioecesi vnius Episcopi alter Episcopus publicè prædicare, aut alia officia publica facere, vel plebem regere, nisi à Dioecesano, vel eius Presbyteris, fuerit inuitatus. 7. q. 1. cap. *Episcopi, vel Presbyteri.* 9. q. 2. cap. *Nullus primas.* cap. *Nullum Episcoporum.* cap. *Nullus Episcopus.* cap. *Episcopum.* cap. *Episcopi*, & cap. *Non inuitati.* Et Deut. 23. super illud, *Ingressus vineam proximi tui, &c.* dicit Glos. *In Ecclesia alterius Episcopi potest alter Episcopus aliquos corrigere, vel monere; totam verò plebem non licet ei regere, vel magna negotia tractare*; quia *per*

alienam messem transiens, falcem mittere non debet. 6. q. 3. cap. *Scriptum est*; & est sumptum ex Deuter. cap. 23. Item 7. q. 1. cap 27. *Placuit, vt à nullo Episcopo vsurpentur plebes alienæ, nec aliquis Episcoporum supergrediatur in Dioceſi Collegam suum.* Item Leo Papa. *Suis terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.* 7. q. 1. cap. *Si quis Episcopus mediocritate ciuitatis suæ.* Vnde si quis à Domino Papa non missus, officium Episcopi sibi vsurpet in Dioceſi aliena, inuitô Dioceſanô ipsô factô excommunicationem incurrit, & etiam debet inuocari contra eum, si necesse fuerit, brachium sæculare. Extrà *De Officio Ordinariorum*, cap. *Quoniam in plerisque*, in fine. Si ergo hoc non potest Episcopus in Dioceſi aliena, multô minùs ille, qui per ordinationem Ecclesiæ nulli præest iurisdictioni, aut Ecclesiasticæ potestati.

§. Cum igitur, vt dictum est, potestas Episcoporum sit examinare Prædicatores, & resistere illis, si Pseudo fuerint inuenti; & iurisdictio, & honor eorum sit, vt vnius Dioceſis vnus sit Episcopus, & vnius Ecclesiæ vnus Rector; & quod nullus à Domino Papa non missus, debeat eis irrequisitis, vel inuitis, in eorum Dioceſibus, officia Ecclesiastica exercere; nec sit intentionis Domini Papæ minuere, vel alterare, vel impedire potestatem, vel honorem, vel iurisdictionem eorumdem Episcoporum, vt ostensum est suprà; constat autem, quod si præfatæ infinitæ, & incertæ personæ, sine mandato, aut legatione Domini Papæ speciali, possent Ecclesiastica officia in qualibet Dioceſi, & in qualibet Ecclesia, irrequisitis, vel inuitis Episcopis, publicè exercere; ita quod non possent Episcopi ratione Prælationis suæ illos prohibere, vel saltem examinare, nec ijs possent resistere, etiamsi Pseudo essent inuenti; Restat quod per hoc minueretur, immò infringeretur & turbaretur Prælatio, id est potestas, honor, & iurisdictio Episcoporum. Restat etiam per consequentiam quod ex hoc ordo vniuersæ Ecclesiæ confunderetur, *Non enim posset ipsius Vniuersitas vllâ ratione subsistere, nisi eam Prælationis & Subiectionis ordo seruaret*, vt legitur dist. 89. can. *Ad hoc.* Turbatô etiam Prælationis ordine, pax Ecclesiæ turbaretur; *cum ordo, & gradus Prælationis inuentus extiterit ad concordiam Ecclesiæ Vniuersæ*, vt legitur dist. 93 can. *Legimus* versu, *Quod autem posteà vnus.*

§. Cum igitur non sit intentionis summi Pontificis, Recto-

ris Ecclesiæ generalis, confundere ordinem Ecclesiæ vniuersæ, vel turbare pacem Ecclesiæ, quæ duo per ordinem Prælationis & Subiectionis seruantur; sed potiùs sit intentionis eius, Ecclesiam constituere, & ordinem seruare; Restat, quod secundùm intentionem Summi Pontificis, vt videtur, prefatę infinitę, & incertę personę, per prædictam Ecclesiam generalem non possunt dici Opitulationes generales Ecclesię vniuersę, vt per hoc liberè valeant in Ecclesia generali Ecclesiastica officia publicè exercere, irrequisitis Prælatis Ecclesiasticis, vel inuitis; sed potiùs debent ab Episcopis horum authoritatem requirere; nisi aliter missionem suam, vel legationem sibi à Domino Papa commissam canonicè ostendant, quemadmodùm dicitur in Decretali. Quod si Dominus Papa concesserit aliquibus Regularibus, vt Ecclesias suas, cum vacauerint, possint in proprios vsus conuertere, illis tamen vacantibus, non possunt authoritate illius concessionis eas intrare; sed necesse habent Episcoporum authoritatem nihilominùs implorare; quia per talem generalem indulgentiam non intendit Dominus Papa Episcoporum iuribus derogare, nisi & hoc exprimatur in eius concessione. Extrà, *De priuilegijs*, cap. *Pastoralis.*

§. Item, vt ostendit Augustinus in lib. *De Opere Monach.* à 3. capitulo, vsque ad 12. certum est, quod potestas sumendi sumptus ex Euangelio, consequens est ad potestatem prędicandi; vnde non potest Prædicatori auferri, quia potestas prædicandi, & potestas viuendi de Euangelio non possunt ab inuicem separari. Et hoc ex præcepto Dominico Deuter. 25. *Non alligabis os boui trituranti.* Glos. *Id est, non prohibebis Prædicatorem sumere necessaria.* Et 1. Cor. 9. super eodem verbo, *Non alligabis os boui triturant*, dicit Glos. *Id est, non prohibebis Prædicatorem viuere de prædicatione.* Nam sicut dicitur 1. Corinth. 9. *Ordinauit Deus his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Glos. *Vt expeditiores sint ad prædicandum verbum Dei.* Et ideo dicit Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 10. 11. 12. quod *Prædicatoribus missis debentur sumptus ex Euangelio, iure Dominicô*, id est, *iure diuinô.*

§. Veruntamen diuersimodè debent sumi sumptus; nimirum, secundùm missiones diuersas. Si enim missi fuerint ordinariâ missione, vt sunt Episcopi, & alij curam animarum habentes, sumere possunt sumptus, tamquam stipendia militiæ suæ sibi

ſibi debita à plebibus ſuis, quibus prædicant, tamquam à Prouincialibus ſuis; *ſi tamen ſine ſcandalo ſumi poſſunt*, vt dicit Auguſtin. in lib. *De opere Monach.* cap. 5. Item 2. Timoth. 2. *Laborantem Agricolam oportet primum de fructibus percipere*, Gloſ. Id eſt, *neceſſaria ab Auditoribus*. Scandalum enim in hoc vitandum eſt, 10. q. 3. cap. *Cauendum*. Vnde Luc. 9. ſuper illud, *Nihil tuleritis in via*, dicit Gloſ. *Neceſſaria vitæ debentur Prædicatoribus ab eis, quibus prædicant, quando ſine ſcandalo ſumi poſſunt*. Si verò miſſi fuerint delegatâ miſſione, tunc diſtinguitur; Aut enim miſſi ſunt à Summo Pontifice, aut ab Inferioribus Prælatis. Si à Summo Pontifice; tunc ſumere poſſunt ſumptus ab eis, ad quorum regimen mittuntur, tamquam Legati mittentis. Extrà, *De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus*, cap. *Cum inſtantia*. Si autem miſſi fuerint tales Prædicatores delegati, ab Epiſcopis, vel ab aliis Minoribus Prælatis, qui propter onus regiminis ſubditorum ſuorum habent ab eis ſtipendia conſtituta; tunc debent illi mittentes illis miſsis neceſſaria miniſtrare, vel præbendas aſsignare, de quibus in officio ſibi commiſſo competenter valeant ſuſtentari. Extrà, *De Officio Iud. Ordin.* cap. *Inter cætera*. Et hoc ad inſtar Imperialis Legati in Prouincia deſtinati, qui non de rebus Prouincialium, ſed de rebus fiſci Imperatoris viuere debet, eô quod à Prouincialibus recipit Imperator tributa conſtituta, vt legitur in Authentica *Vt nulli iudicum. §. Nulli*. Collat. 9. quod non eſt in ſummo Pontifice. Non igitur tenentur ſubiecti Epiſcoporum exhibere procurationes Prædicatoribus extraordinariis, ab Epiſcopis deſtinatis, niſi fortè ipſi Epiſcopi facerent illos Vicarios ſuos, non ſolùm ad prædicandum, ſed etiam ad viſitandum, & ad exigendum, & recipiendum procurationes ſibi debitas vice ipſorum.

§. Si verò dicatur, quod Epiſcopi compellere poſſunt Parochiales Presbyteros, vt omnes Prædicatores ab eis deſtinatos procurent, videtur hoc eſſe iuri contrarium; quoniam exinde Presbyteri grauarentur & ſcandalizarentur. Conſtat enim quod Epiſcopi, etiam quando viſitant ſuas Dioceſes, non poſſunt grauare, vel ſcandalizare ſubiectos Sacerdotes, in procurationibus propriis exigendis. Vnde in Concilio Cabilonenſi legitur. *Si quando Epiſcopis ad peragendum miniſterium ſuum, à Fratribus, aut à Subditis aliquid accipiendum eſt, hoc ſummo-*

perè obseruare debent, ne quem scandalizent, aut grauent. 10. q. 3. cap. *Cauendum.* Multô minùs igitur grauare debent subiectos Presbyteros, in procurando destinatos ab eis; præsertim cum vltra statuta Patrum nihil possint exigere à subiectis. Vnde in Concilio Leonis Papæ legitur. *Nulli Episcoporum liceat à subiecto Sacerdote, vel ab alio quolibet Clerico, vltra statuta Patrum exigere, aut superposita in Angarijs inferre.* 16. q. 1. cap. *Nulli.* Item, cum secundùm doctrinam Dominicam & Apostolicam, Prædicator Apostolicus, seu canonicè missus, debeat sumere necessaria vitæ ab Auditoribus suis, id est ab illis quibus prædicat, vt ostensum est suprà §. proximô; Restat, quod non magis tenetur Presbyter Parochialis ad procurationem illius, quàm vnus ex aliis Auditoribus eiusdem; nisi fortè ille Prædicator ad supplendum defectum Presbyteri mitteretur, tamquam in spiritualibus Coadiutor. Quod faciendum non esset, nisi cum causæ cognitione, vel Presbyterô hoc petente. 7. q. 1. cap. *Scripsit mihi*, & cap. *Quia Frater.*

§. Patet igitur ex præmissis, quod illis, qui canonicè mittuntur ad prædicandum Euangelium, non potest potestas viuendi de Euangelio adimi, vel auferri; Sed diuersimodè sumere debent sumptus, secundùm diuersas missiones. Patet etiam, quod omnes Prædicatores missi à Domino Papa viuere debent de Euangelio, & ministrari illis debent sumptus ab ijs, ad quos mittuntur, & hoc iure Dominicô, id est, ex præcepto diuino. Contra præceptum verò Domini, vel eius ordinationem dispensare, vel ordinare non licet. 25. q. 1. cap. *Sunt quidam dicentes.* Huic etiam potestati Prædicator renuntiare non potest, cum non sit introducta in fauorem eius, sed in fauorem Euangelij; videlicet, vt per hoc expeditior sit ad prædicandum Euangelium, vt ostensum est paulò ante; Et vt per hoc in labore Euangelij vires valeat reparare, vt dicit Glos. super illud Luc. 10. *Dignus est Operarius mercede suâ*; & super eodem verbo 1. Timoth. 5. *Dignus est Mercenarius mercede suâ.* Quia tamen vsus huius potestatis non est præceptus, sed tantùm permissus, vt probat Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 6. Ideo Euangelista, si hoc viderit Euangelio expedire, potest non vti illâ potestate, militando scilicet stipendijs propriis, videlicet victum suum proprijs stipendijs transigendo, ad instar Apostoli sic facientis, & sic ampliùs erogantis, secundùm quod probat August.

Digitized by Google

in eodem lib. cap. 5. per authoritatem Apoſtoli 1. Corinth. 9. dicentis, *Sed non ſumus vſi hac poteſtate, &c.*

§. Cum igitur quilibet Prædicator miſſus à Domino Papa poteſtatem habeat viuendi de Euangelio ab Auditoribus ſuis; quæ poteſtas ei auferri non poteſt, nec eidem poteſt ipſe Prædicator renuntiare, vt oſtenſum eſt ſuprà; Relinquitur, quod ſi præfatæ perſonæ incertæ, & infinitæ, per prædictam Domini Papæ licentiam generalem poteſtatem haberent liberam prædicandi in omni Eccleſia Chriſtianorum, per conſequentiam poteſtatem haberent ſumendi neceſſaria vitæ, ſeu procurationem, in qualibet Eccleſia Chriſtianorum. Conſtat autem, quod propter eorum multitudinem, & frequentem fortè aduentum, ex tot eorum procurationibus enormiter Eccleſiæ grauarentur. Non eſt autem veriſimile, quod Summus Pontifex, per prædictam licentiam generalem, intendat Eccleſiam grauare, contra illud Apoſtoli 2. Theſſ. 3. dicentis, *Nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, &c.* Præſertim cum hoc cederet ad impedimentum Euangelij, contra illud 1. Corinth. 9. *Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Gloſ. *Ne forte odirent Apoſtolum, ſi ab eis acciperet.* Si Apoſtolus timebat odium Auditorum ſuorum, ſi ab eis acciperet; quantô magis timere deberent, qui Apoſtolo non ſunt pares in poteſtate? Non eſt igitur veriſimile, quod per prædictam generalem licentiam datam perſonis prædictis, intendat Dominus Papa, quod illæ perſonæ, tamquam generales Opitulationes, habeant liberam facultatem exercendi regimen animarum in omni Eccleſia Chriſtianorum, irrequiſitis Prælatis Eccleſiaſticis, vel inuitis.

§. Sed contra hoc fortè obiiciet primarum cathedrarum in ſynagogis Amator, volens oſtendere per multitudinem talium Prædicatorum Eccleſias non grauari, nec offendiculum Euangelio fieri, dicens. Etſi poteſtas Apoſtolica viuendi de Euangelio Prędicatori miſſo auferri non poſsit, & eidem poteſtati ipſe Prędicator renuntiare non poſsit, vt oſtenſum eſt ſuprà; poteſt tamen Prædicator ſecundùm Apoſtolum illâ poteſtate non vti, hoc modô; videlicet, ſi ab Auditoribus ſuis victum petat, non poteſtatiuè tamquam ſibi debitum, ſed indicatiuè, petendo ſcilicet propter Deum; & ſic ſumendo ſumptus non grauantur Auditores, quia dant gratis tantùm, & ideo non fit offendicu-

lum Euangelio Christi. Sed veriùs dici potest, vt asserunt, ipsis Auditoribus gratiam fieri, & eis ampliùs impendi, siue ampliùs erogari, iuxta illud Luc. 10. *Quidquid ampliùs erogaueris, ego cum rediero, reddam tibi*; & sic in Euangelio, ad instar Apostoli, qui nihil ab Auditoribus suis recepit, misericordiùs & laboriosiùs conuersari.

§. Ad quod dicendum est, quod ille, qui hoc dicit, sub specie humilitatis & pietatis mirabiliter fallit, & falsum dicit. *Primò*, quia cum Prædicator missus Pastor sit, necessaria sumere ab ijs, quibus prædicat, non est mendicitas, sed potestas, vt dicit Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 14. in fine; Et idem dicit Glos. super illud 2. Timoth. 2. *Laborantem Agricolam, &c.* vbi dicitur, *Castum Euangelistam securum facit Apostolus, & vult, vt intelligat, quod Prædicatorem sumere sumptus ab illis, quos tamquam gregem pascit, vel tamquam cultor vineam exercet, non est mendicitas sed potestas.* Patet igitur, quod Prædicator canonicè missus non potest sumere sumptus ab Auditoribus suis mendicitate, sed magis potestate, licet petat illos propter Deum; & sic vtitur Apostolicâ potestate. *Secundò* fallit, & falsum dicit, quia cum necessaria vitæ debeantur Prædicatori Apostolico, id est canonicè misso, Iure Dominicô, id est Iure Diuinô, vt dicit Augustinus in eodem libro cap. 11. constat, quod qui petit ea propter Deum, aut propter Dominum, petit ea potestatiuè, quia petit ea eô iure, quô petere potest, scilicet Iure Dominicô; nam aliô modô non potest ea petere Prædicator, nisi fortè per constitutiones canonicas & humanas, in quibus tantùm cauetur de Prædicatoribus ordinariis, id est de Prælatis, & Legatis Summi Pontificis. Prædicator igitur Apostolicus petens sumptus ab Auditoribus suis propter Deum, petit eos potestatiuè; Ergo non petit eos mendicatiuè, sed vtitur Apostolicâ potestate.

§. Item Augustinus in eodem lib. cap. 8. ita dicit. *Si Apostolus de spirituali opere victum & tegumentum quæreret, id est, vt ab eis hæc reciperet, quos in Euangelio ædificabat; non consequenter diceret, Sed non sumus vsi hac potestate.* Ex hac Authoritate habetur manifestè, quod Prædicator Apostolicus, qui victum aut tegumentum accipit ab illis, quibus prædicat, vtitur potestate viuendi de Euangelio; Ergo accipit ea, non mendicatiuè, sed potestatiuè, quia ex debito re-

Digitized by Google

cipit, id est Iure Dominicô, licet petat ea propter Deum; & tamen nihilominùs recipit ea gratis tantùm; idem enim est in Prędicatore, petere vel recipere sumptus gratis, videlicet propter Deum tantùm, & petere vel recipere illos ex debito, id est Iure Dominicô, quia debentur ex debito Charitatis. Vnde super illud 1. Timotth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, dupli honore digni habeantur*, dicit Gloss. *Necessitatis est in Prædicatore accipere vnde vivitur, Charitatis autem præbere.* Panis igitur Prædicatoribus debitus, quia ex Charitate debetur, gratuitus est; & gratuitus appellari debet. Vnde Augustinus in eodem libro cap. 7. *Apostoli, sicut constituit Dominus, ex Euangelio viventes, panem gratuitum manducabant ab eis, quibus gratuitam gratiam prædicabant.* Dicitur autem panis Prædicatorum gratuitus, licet sit ex Charitate debitus, quia sine corporali labore recipitur, vt dicit Augustinus in eodem lib. cap. 3. in his verbis, *Vt tantummodò spiritualiter operantes*, videlicet prædicando, *manducent panem à corporali labore gratuitum.* Ecce quod panis Prædicatorum gratuitus est, & gratuitus appellatur in Scripturis, licet Iure Dominicô debeatur. Restat igitur, quod Prædicator missus, petens vel recipiens sumptus ab Auditoribus suis, licet propter Deum tantùm accipiat, tamen non accipit mendicatiuè, sed potestatiuè; & sic sumendo vtitur Apostolicâ potestate. Falsum ergo dicunt huiusmodi Prædicatores, dicendo se recipere sumptus ab Auditoribus suis, non potestatiuè, sed mendicatiuè, eò quod petant propter Deum.

§. Quod autem dicunt Aduersarij veritatis, Auditores à talibus Prædicatoribus non grauari, nec scandalum Euangelio fieri, quia non dant nisi gratis, falsum est hoc; immo dant frequentiùs propter præsentem pudorem, aut propter petentium importunitatem, aut propter diffamationis, aut alterius nocumenti timorem. Cuiusmodi datum non est gratuitum, neque meritorium, sed magis grauatiuum; quia in tali dato *perditur & res, & meritum*, vt dicit Gloss. super illud 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Item Cassianus lib. 10. De institutis Monachorum. *Si Apostolus, qui Euangelium prædicabat, signis illud virtutibusque commendans, ne grauaret quempiam, gratis panem manducare non audebat; quomodò illi æstimant non grauare, qui quotidie illum manducare otiosi præ-*

Digitized by Google

ſumunt? Item Ambroſ. ſuper Epiſtolam ad Timoth. *Sic grauatur Eccleſia, cum cogitur veſtire, & paſcere plures; & plebs, quæ pro poſſe ſuo libenter miniſtrat, aut murmurat propter plures, aut tardiùs occurrit.* Per tales igitur Prædicatores frequenter Auditores grauantur, & ſcandalum Euangelio generatur.

§. Quod verò dicunt, Prædicatorem Apoſtolicum petentem & recipientem ſumptus propter Deum tantùm, ampliùs impendere, ſiue ampliùs erogare; & ſic in ipſo Euangelio miſericordiùs & laborioſiùs conuerſari; non eſt verum. Nam, ſecundùm Auguſtinum in eodem lib. cap. 5. Apoſtolus prædicando, ideo dicitur ampliùs erogaſſe, & in Euangelio prædicando miſericordiùs & laborioſiùs conuerſatus fuiſſe; quoniam ab Auditoribus ſuis nullomodò petebat, nec recipiebat, ſed magis victum quotidianum ſuis laboribus tranſigebat, & ſic ſuis ſtipendijs militabat, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Huic etiam poteſtati.* Illi ergo Prædicatores, qui ſiue miſſi, ſiue non miſſi prædicant, ſi de labore ſuo corporali, vel aliter de proprio ſuo quotidianum victum non tranſigant, ſed ſemper propter Deum, vel aliter ab Auditoribus ſuis petant, vel etiam indifferenter recipiant, non poſſunt verè dici ſuis ſtipendiis, ſed alienis potiùs militare; & ideo nec ampliùs erogare, nec in Euangelio miſericordiùs conuerſari; ſed magis videntur eſſe de illis, qui contra ſententiam ipſius Apoſtoli *quæſtum exiſtimant pietatem* 1. Timotth. 6.

§. Redit ergo Concluſio ſupradicta ead. diſt. § *Cum ergo quilibet Prædicator.* Videlicet, quod ſi prædictæ infinitæ & incertæ perſonæ, abſque legatione, vel licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, poſſent vbique terrarum, irrequiſitis, vel inuitis Epiſcopis, vel Presbyteris, extraordinariè publicè prædicare, vel alia officia Eccleſiaſtica publicè exercere, & per conſequentiam in vniuerſis Eccleſijs, inuitis earum Prælatis, procurationes recipere; procul dubiô Eccleſiæ vniuerſæ, propter eorum multitudinem, & aduentum fortè frequentem, enormiter grauarentur, & infinita ſcandala in Dei Eccleſia naſcerentur; quod nunquam intendit Chriſti Vicarius generalis, vt oſtenſum eſt ſuprà ibidem.

§. Item fortè obiiciet primarum cathedrarum Amator, volens oſtendere propter multitudinem talium Prædicatorum, Prælatis Eccleſiarum præiudicium minimè generari, dicens.

Non præiudicatur Epiſcopis, quando eximuntur Abbates ab eorum poteſtate, ſed potiùs releuantur ab onere regiminis & curæ illorum; ſimiliter ergo non præiudicatur Prælatis Eccleſiarum, quando alienæ perſonæ, licet etiam infinitæ, de licentia Superioris exercent regimen plebium ſuarum, eis etiam irrequiſitis, vel inuitis; ſed potiùs releuantur ab onere prædicandi, & confeſſiones audiendi; cum non teneantur plebes illæ, ſaltem eodem annô, facere illis confeſſione ſuas; immò Prælati debent reputare ſubditos ſuos plenè & ſufficienter confeſſos & abſolutos, ex quo per illos, qui habent prędictam generalem licentiam à Supetiori, fuerunt confeſſi & abſoluti.

§. Ad quod dicendum eſt, quod non eſt ſimile; quia cum Dominus Papa eximit Abbatem à poteſtate Epiſcopi, ex toto liberatur Epiſcopus à cura & regimine Abbatis illius; & ideo ſpiritualiter non præiudicatur Epiſcopo, ſed magis ipſe ſpiritualiter releuatur. Sed per prædictam licentiam generalem datam infinitis & incertis perſonis prædictis, non intendit Dominus Papa eximere plebes à poteſtate Prælatorum ſuorum, nec liberare Ptælatos à cura & regimine plebium ſuarum, quominùs teneantur inde reddere rationem Deo, ſecundùm quod legitur 13. q. 1. cap. 1. vbi dicitur. *Vnuſquiſque taliter plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, vt ante tribunal æterni iudicis de omnibus ſibi commiſsis rationem reddat*; alioquin erunt animæ Prælatorum pro animabus ſubditorum, iuxta illud 3. Regum 20. *Cuſtodi virum hunc, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ipſius.* Multùm ergo intereſt Prælatorum curam animarum habentium, perſonaliter regere populum ſibi commiſſum, prædicando, confeſſiones audiendo, pœnitentias iniungendo, ſecundùm quod eis viderint expedire; ad hoc etiam eos, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendo, ſecundùm tenorem Concilii generalis, Extrà, *De pœnitentijs & remiſsionibus*, cap. *Omnis vtriuſque ſexus.* Nam ſicut dicit Gregorius. *Ille ſubditorum vitas competenti regularique debet moderatione diſponere, qui pro commiſsis eorum animabus compellitur rationem reddere.* 18. q. 2. cap. *Cognouimus.* Propter quod præceptum eſt Prælatis curam animarum habentibus, quod ipſi cognoſcant vultus pecorum ſuorum, id eſt conſcientias ſubditorum ſuorum. Prouerb. 27. *Agnoſce vultum pecoris tui.* Gloſ. *Paſtori Eccleſiæ dici-*

tur: Diligenter attende ijs, quibus te præesse contigerit; Agnosce animos actusque singulorum; & si quid vitij repereris, statim emendare memento. Constat autem, quod animos & actus singulorum non potest Prælatus considerare, nec plenè cognoscere, nisi audiendo confessiones illorum; *Quis enim scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* 1. Corinth. 2. Ideo statutum est in Concilio generali prædicto, *Quod confessiones singulorum audiat Sacerdos proprius, saltem semel in anno, nisi ex causa legitima, petitâ & obtentâ licentiâ proprij Sacerdotis, confiteatur alieno.* Extrà *De pœnitentijs*, cap. *Omnis vtriusque sexus.* Alienus autem, *si aliter subditum alienum ad pœnitentiam susceperit, gradus sui periculo subiacebit*, vt habetur *De pœnitentia*, dist. 6. cap. *Placuit.*

§. Sed dicunt Aduersarij veritatis, quod *Sacerdos proprius* appellatur, non solùm *Parochialis Sacerdos*, sed etiam *Episcopus, vel eô superior, vel destinatus ab eis*; cum tales dici non valeant alieni.

§. Ad quod dicendum est, quod licet Episcopus, vel eô superior, vel canonicè destinatus ab eis, dici non valeant alieni; tamen *nullus eorum in iure nouissimo Sacerdos proprius appellatur.* Quod patet per Decretalem, quæ per disiunctiuam coniunctionem manifestè insinuat differentiam inter proprium Episcopum, & proprium Sacerdotem, dicens. *Quod excommunicatus minori excommunicatione absolui potest ab Episcopo suo, vel à proprio Sacerdote.* Extrà, *De sententia excommunicationis.* cap. *Nuper*, in fine. Vbi nota, quod ponit disiunctionem inter proprium Episcopum, & proprium Sacerdotem, cum dicit *Ab Episcopo suo, vel proprio Sacerdote*: Proprius ergo Sacerdos appellatur in iure nouissimo, *non proprius Episcopus, sed proprius Presbyter Parochialis.* Sic etiam interpretatur Martinus Papa 4. verba prædicta posita in dicto Concilio generali, cap. *Omnis vtriusque sexus*, in priuilegio, quod super confessionibus audiendis Fratribus Minoribus dicitur indulsisse, vbi sic legitur. *Volumus autem, quod ij, qui Fratribus confitebuntur, eidem suis Parochialibus Presbyteris confiteri, saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, nihilominùs teneantur; quodque ijdem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter, secundum datam eis à Domino gratiam, exhortentur.* Ibi enim loquitur procul dubiô de dicto generali Concilio, & de Canone, *Omnis vtriusque sexus.* Ex quo patet, quod

Digitized by Google

quod *per proprium Sacerdotem* intelligit, *non Episcopum proprium, sed Parochialem* tantummodò *Sacerdotem.*

§. Ex præmissis igitur patet, quod licet non prę iudicetur spiritualiter Episcopis per exemptiones Aboatum, cum ex hoc eis nullum præiudicium spirituale paretur; præiudicatur tamen vniuersis Prælatis curam animarum habentibus; & eorum dignitas, & iurisdictio, atque potestas infringitur, si eis irrequisitis, vel inuitis, præfatæ infinitæ & incertæ personæ, in eorum subditis non exemptis, exercere valeant passim & indifferenter regimen animarum. Si enim generaliter habeant officia Prælatorum in regimine animarum, & dignitatem ipsorum poterunt vendicare; *Officium enim est, per quod dignitas constat*, vt dicit Gloss. super illud 1. Corinth. 12. *Non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarij.*

§. Periculum etiam spirituale paratur eisdem Prælatis, si propter confessiones à suis subditis non exemptis factas præfatis infinitis & incertis personis prędictis, impediantur Prælati audire confessiones illorum, & ad hoc etiam eos compellere, si necesse fuerit, per constitutionem Concilij memorati; cum non illæ infinitæ personæ, sed Prælati prædicti de animabus subditorum suorum, vt dictum est, teneantur reddere in districto iudicio rationem, vt ostensum est paulò ante in illo §. *Item fortè*; quod facere non possent, nisi eorum confessiones audirent, vt ostensum est suprà eodem §. Constat autem ex prędictis, quod non intendit Dominus Papa Prælatis Ecclesiarum iurisdictionem, potestatem, vel honorem auferre, vel minuere, vel infringere, vel arctare, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Item non est intentionis*; nec etiam eis periculum spirituale parare. Non est ergo verisimile, quod intendat idem Dominus Papa, quod præfatæ infinitæ & incertæ personæ, per præfatam licentiam generalem, potestatem habeant supradictam in Ecclesijs vniuersis.

§. Sed iterum dicet aliquis. Nonne expedit Ecclesiæ Dei, & Prælatis eiusdem, vt ad regimen earum detur eis multitudo Opitulationum siue, Coadiutorum? cum dicatur Sap. 6. *Multitudo Sapientium*, Gloss. id est, cœtus Prædicatorum, *Sanitas est orbis terrarum*. Et Matth. 10. dicitur, *Messis quidem multa*, Gloss. Id est turba populorum suscipiendo verbo, & ferendo fructui apta, *Operarij verò*, Gloss. Id est Prædicatores, *pauci.*

Item Numer. 11. legitur, quod, cum in caſtris filiorum Iſrael, Eldad & Medad præter mandatum Moyſis, qui erat Prælatus illius populi, prophetarent, & ob hoc Ioſue filius Nun dixiſſet, *Domine mi Moyſes, prohibe eos*; ipſe tamen non prohibuit, ſed reſpondit, *Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet?* Videtur ergo, quod Prælatus Prædicatores, etiam præter mandatum ſuum eius populo prędicantes, non debeat prohibere, ſed magis deſiderare & gaudere, iuxta illud Apoſtoli Philipp. 1. *Quid enim, dum omni modò, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur? Et in hoc gaudeo, ſed gaudebo.* Item Luc. 9. cum prohibuiſſent Apoſtoli quendam facientem in nomine Ieſu Chriſti miracula, ne ampliùs faceret, eò quod non ſequebatur eos, ait eis Ieſus, *Nolite prohibere; Qui enim non eſt aduersùm vos, pro vobis eſt.* Ergo à ſimili videtur, quod habens gratiam prædicandi, non debeat prohiberi à prædicando in nomine Ieſu Chriſti. Item Act. 18. legitur, quod Apollo Iudæus Alexandrinus, cum eſſet eloquens, & potens in Scripturis, & edoctus viam Domini, *Feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu, ſciens tantùm baptiſma Ioannis*; id eſt nondum baptizatus baptiſmò Chriſti, ſed baptiſmò Ioannis tantùm; non tamen fuit repulſa eius prædicatio à Diſcipulis, ſed recepta. Ergo quicumque potens in Scripturis, & edoctus viam Domini prædicare velit, non eſt prohibendus, ſed admittendus; præcipuè cum Epiſcopi multi perſonaliter occupati, animarum regimini, ſicut expedit, vacare non poſſint; vtpotè *Quos oportet non ſolum de animarum regimine verùm etiam de extrinſeca vtilitate & cautela eſſe ſollicitos*, vt dicit Gregorius diſt. 38. can. *Petrus.*

§. Ad quod dicendum eſt, quod Eccleſia Chriſti per Apoſtolos, & per ſequentia Sanctorum Patrum ſtatuta, ſic diuinitùs ordinata exiſtit, tam de Prælatis Maioribus, quam de Minoribus, & eorum etiam Opitulationibus iam ordinariè inſtitutis; quod vnaquæque Dioceſis habet ſuum Epiſcopum, & ſuas Opitulationes, ſcilicet Archidiaconos, & Archipresbyteros ordinariè inſtitutos; & vnaquaque Parochia habet ſuum Rectorem Presbyterum; qui ſi non ſufficiant propter populi excrementum, poſſunt multiplicari Epiſcopi, *ita tamen, ne dignitas Epiſcopalis vileſcat.* 19. q. 1. cap. *Præcipimus.* Poſſunt

Digitized by Google

etiam multiplicari ob eamdem cauſam & Presbyteri, Extrà *De Eccleſiis ædificandis*, cap. vlt. Si autem tam multa eſſet meſſis, quod Eccleſia indigeret Opitulationibus extraordinariis, Epiſcoporum tamen eſſet, hanc indigentiam, ſi eſſet, ſignificare Domino Papæ, & ſuper hoc eum rogare; ipſe autem rogatus deberet tales Prædicatores ad ferendum opem alijs deſtinare; Dominus enim ſciens meſſem multam quidem eſſe, Operarios verò paucos, non tamen prçcipitanter multiplicauit Operarios; ſed dixit Apoſtolis, quorum loca tenent Epiſcopi. *Rogate Dominum meſsis, vt mittat Operarios in meſſem ſuam*, Matth. 10. *Ipſi autem rogauerunt eum*, vt legitur diſt. 21. can. *In Nouo Teſtamento*, verſùs finem; & ipſe rogatus miſit dicens, *Ite, ecce ego mitto vos, &c.* Luc 10. quod non eſt veriſimile à myſterio vacare; *Cum omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio*, vt oſtenſum eſt ſuprà, ead diſt. §. *Beatus etiam Paulus.* Vel ipſi Epiſcopi mittere poſſunt per ſuas Dioceſes certos Operarios, id eſt certos & probatos Prædicatores in meſſem Domini, ad inſtar Apoſtolorum, qui quoniam non ſufficiebant omnibus, mittebant Diſcipulos ſuos ſibi experimentô probatos, vt Paulus Timotheum; vnde 1. Corinth. 4. dicit Apoſtolus, *Miſi ad vos Timotheum, qui vos commonefaciat vias meas, quæ ſunt in Chriſto Ieſu.* Et ſuper hoc etiam eſt edita conſtitutio ſupradicta in Concilio generali, Extrà, *De Officio Iud. Ordin.* cap. *Inter cætera.*

§. Ad illud autem, quod obiectum eſt de Moyſe, qui non prohibuit Eldad & Medad Prophetizare, dicendum eſt; quod Moyſes ſciens illos duos eſſe de ſeptuaginta viris electis à Domino, quibus dederat Deus Spiritum Sanctum ad prophetandum, ſicut & Moyſi, vt legitur in lib. Numer. paulò ante, noluit eos, ſicut nec debuit, prohibere, vt potè à Superiori, id eſt à Domino deſtinatos. Vnde poſtquam dixit Moyſes, *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet?* continuò adiunxit, *& det eis Deus Spiritum Sanctum ſuum*; ac ſi diceret, *Vellem omnes prophetare, quos ſcirem habere Spiritum Domini ad prophetandum, ſiue à Domino electos*; quales erant duo prædicti. Sic etiam Prælati non debent prohibere, ſed magis deſiderare, quod illi prædicent, quos ſciunt à Domino, ſiue à Superiori ſuo Canonicè deſtinatos. Hoc tamen argumentum non cogit, quia *Prophetare* non ſumitur ibi *pro prædicare*, ſed *pro laudes Deo canere*; quod

nulli Clerico, vel Monacho prohibetur.

§. Ad illud autem Philipp. 1. *Quid enim, dum omni mod, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur?* dicendum eſt, quod loquitur ibi Apoſtolus; non de Pſeudo, ſed de Mercenarijs, qui licet ſint miſſi, tamen prædicant propter lucrum; qui tolerandi ſunt, quamdiu Euangelio proficiunt; & ſic exponit Gloſſ. dicens. *Ideo Apoſtolus non prohibet Mercenarios, ſed permittit, quia & ipſi vtiles ſunt ad aliqua.* Item dicendum eſt, quod prædicatio, *actio*, id eſt actio prędicationis illorum, qui prædicabant Chriſtum occaſione terrenâ, vt dicit Gloſſa, non placebat Apoſtolo; quia illi ſic prædicando, peccabant; & ſic Apoſtolus gaudendo de peccato peccaret; ſed prædicatio, *paſſio*, id eſt effectus, vel profectus prædicationis illorum, qui Deò authore inde proueniebat, placebat Apoſtolo, & de hoc gaudebat, ſicut dicitur de crucifixione Chriſti. *Actio diſplicuit, paſſio grata fuit.*

§. Ad illud verò Luc. 9. *Nolite prohibere, &c.* dicendum eſt, quod opera miraculorum permiſſa ſunt etiam malis, & à Deo non miſſis, ad damnationem eorum, & vtilitatem aliorum, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Notandum autem*, & infrà diſt. 4. ſigno 18. oſtendetur; Prædicatio verò nulli permittitur, quantumcumque prædicet in nomine Chriſti, niſi miſſis à Domino tantùm, vel à Domino per hominem, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quoniam igitur*, & §. *Eorum autem*; Vnde Rom. 10. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* alioquin Pſeudo-Prædicatores non eſſent prohibendi, cum & ipſi prædicent in nomine Chriſti, & plurimùm idem, quod veri Apoſtoli, vt oſtenſum eſt ſuprà, ead. diſt. §. *Nec mireris.* Item, etſi facientes in nomine Chriſti miracula non debeant prohiberi, quoniam nullius vſurpant officium, nec cuiquam iniuriantur; tamen publicè prædicantes in Dioceſibus alienis abſque canonica miſſione prohiberi debent, quoniam Epiſcoporum & Presbyterorum vſurpant officium, & eis iniuriantur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item in hoc conſiſtit*, cum duobus ſequentibus Paragraphis.

§. Ad illud verò, quod obiectum eſt de Apollo; quod quamuis non eſſet miſſus, non tamen fuit à prædicando prohibitus, reſponderi poteſt duobus modis. Primò, quod licet fortè non eſſet miſſus ab homine, tamen miſſus erat à Deo,

quia *feruens ſpiritu*, ſcilicet, *ſancto*, vt legitur ibidem, *loquebatur*, id eſt, *ducebatur à Spiritu Sancto*; & ideo non erat prohibendus à Diſcipulis, *quorum aliqui habebant diſcretionem ſpirituum*, vt legitur 1. Corinth. 12. *Qui enim ſpiritu Dei ducuntur, non ſunt ſub lege.* Galat. 5. Poteſt etiam dici, quod etſi fortè non eſſet miſſus ab homine, non tamen erat prohibendus, quia nulli Prælato iniuriam faciebat, cum nondum diſtincta eſſent, vel diſtributa officia Eccleſiaſtica; *ex qua tamen diſtinctione, hodie in Eccleſia quidam Prælati, quidam verò Subditi appellantur*, vt legitur 2 q. 7. §. *His ita reſpondetur, Chriſtus quamuis eſſet Paſtor, &c.* Licet enim iam eſſent Apoſtoli, & Apoſtolatus officium, non tamen ſic ſe habebant illius Apoſtolatus diſcurſus, ſicut modò ſe habent, vt dicit Aguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 19. Et per hanc vltimam rationem poteſt etiam reſponderi illi obiectioni de Moyſe, qui non prohibuit Eldad & Medad Prophetare. Numer. 11. Et de Apoſtolo dicente Philipp. 1. *Quid enim, dum omni modò, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur? &c.*

§. Cum igitur, vt dictum eſt, iam ſint in Eccleſia Operarii multi ordinariè inſtituti; & ſi Eccleſia indigeret, adhuc poſſent plures ordinariè inſtitui; videtur, quod non multùm eſſent extraordinarii multiplicandi; ſed curandum eſſet, vt ordinarii eſſent idonei. Qui ſi tales non eſſent, deberent canonicè amoueri, & alii qui eſſent idonei, deberent canonicè ſubrogari. Extrà, *De Hæreticis*, cap. *Cum ex iniuncto* in fine, & cap. ſequenti in fine (nam ſecundùm iura, *dum habetur ordinarium auxilium, non debet ad extraordinarium recurſus haberi*, vt legitur ff. *De Minoribus.* L. *In cauſæ cognitione.* 1. ff. &. §. 1. & 2.) Vel ſaltem ſolis inſufficientibus Prælatis, & minùs idoneis, & non aliis (niſi hoc ipſi requirerent) eſſent tales Opitulationes, ſeu Coadiutores extraordinarii deputandi. 7. q. 1. cap. *Quia Frater.*

§. Item, cum in tempore primitiuæ Eccleſiæ, pauci eſſent Apoſtoli, multi autem infideles, nondum ad fidem conuerſi, & ad conuerſionem parati, iuxta illud Luc. 10. *Meſſis quidem multa* Gloſ. *id eſt*, Turba populorum ad ſuſcipiendum verbum Dei, & fructificandum apta, *Operarij verò*, id eſt Prædicatores, *pauci*; nunc autem multi ſint eorum ſucceſſores Epiſcopi, & multi Presbyteri, & multi Opitulatores ordinariè inſtituti,

quorum omnium officium eſt prædicare publicè verbum Dei; pauci verò ſint in locis, in quibus prædicant, conuertendi; videtur, quod modò non ſit tanta neceſſitas Opitulationes extraordinarias multiplicandi, quanta tunc erat. Maximè cum non debeat aſſiduari prædicatio, ne vileſcat; Sicut enim dicit Gloſ. ſuper illud Heb. 6. *Terra ſuper ſe venientem ſæpe bibens imbrem, &c.* Doctrina Sacra *ad inſtar imbris, ſi rara eſt, non ſufficit; ſi aſſidua, vileſcit.* Item Seneca *Ad Lucilium*, Epiſt. 29. *Minuitur frequentioris monitoris authoritas, nec habet apud eos tantùm ponderis, quos poſſet corrigere minùs ſolefacta*, id eſt, *minùs ſolita.* Item Auguſtin. *De Ciuitate Dei*, lib. 18. cap. 39. de Actoribus Sacræ Scripturæ, ſiue de Prophetis, vel Prædicatoribus, ita dicit. *Ipſi ſanè pauci eſſe debuerunt, ne multitudine vileſceret, quod Religione charum eſſe oporteret.*

§. Sed dicunt Aduerſarii veritatis, quod quia, vt præuidit Dominus, & prædixit Matth. 24. in finali Eccleſia *abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas*; Ideo Dominus prouidere volens finali Eccleſiæ, miſit in eam, præter Prædicatores ordinarios, id eſt, præter Eccleſiarum Prælatos, multitudinem extraordinariam Prædicatorum Religioſorum, & in diuinis literis prouectorum, & prædicare aſſiduè paratorum, ad extirpandum in ea multitudinem peccatorum.

§. Ad quod dici poteſt ſine præiudicio ſententiæ melioris, quod huius dicti contrarium videtur eſſe dicendum; cum enim, vt iam probatum eſt, in Eccleſia primitiua, teſtante Dominô Luc. 10. *Meſsis quidem eſſet multa, Operarij verò ab initio valde pauci*, videlicet duodecim tantùm Apoſtoli, quibus ſolis commiſerat Dominus officium prædicandi, Luc. 9. propter quod oportebat tunc Prædicatores multiplicari, iuxta illud Matth. 9. & Luc. 10. *Rogate ergo Dominum meſsis, vt mittat Operarios in meſſem ſuam*; non tamen Dominus adiecit Apoſtolis Prædicatores infinitos, nec etiam multos, ſed in certo numero definitos, & paucos; videlicet Septuaginta duos Diſcipulos, Luc. 10. non paſſim, & indifferenter aſſumptos, nec etiam inexpertos, ſed à ſe ipſo, qui falli non poteſt, electos, & in ſuo diſciplinatu probatos, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Verùm Dominus.* Cum igitur in finali Eccleſia, propter abundantiam iniquitatis, vt verè dictum eſt, futura ſit meſſis rara, & quantô magis ad finem acceditur, tantô rarior inuenitur; vnde ſu-

Digitized by Google

per illud Psal. 7. *Et propter hanc in altum regredere*, dicit Glos. *Quod Ecclesia gentium, quæ nos sumus, in fine est à Domino recessura, iuxta illud, Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Luc. 18. Et Origenes super Ieremiam, Homil. 14. *Tanta incredulitas in vniuerso genere humano futura est, vt Saluator noster, qui omnia, quæ ventura sunt, cognouit, loqueretur dicens. Putas, Filius hominis veniens inueniet fidem super terram?* Verisimile est, quod in Ecclesia finali, secundùm prouidentiam Domini consuetam, iuxta raritatem messis Domini, debeat Operariorum, id est, Prædicatorum numerus moderari, & non augeri; præcipuè quia, secundùm veritatem Diuinæ Scripturæ, quantô plùs acceditur ad finem mundi, tantô maior sit futura multitudo Pseudo-Prædicatorum in Ecclesia Dei, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Isti ergo Deceptores.* Si ergo in Ecclesia finali videantur Prædicatores surgere infiniti, ab Ecclesia canonicè non electi, nec canonicè delegati; sed importunè se ingerentes animarum regimini; non innocentes, vel humiles, vel mansueti, quales debent esse Prædicatores Christi, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Verùm si Dominus*; sed è contrario austeri, & superbi, & ferè toti Ecclesiæ onerosi, licet humilitatem & mansuetudinem superstitiosè prætendant in gestu & habitu exteriori; videtur quod talis Prædicatorum multitudo, non sit ex prouisione Dei; præsertim *cum multitudo onerosa nihil habeat honesti*, vt legitur in Authentic. *De Referendarijs*, circa finem, Collat. 2. Et ideo formidandum esse videtur Ecclesiæ generali, & maximè Summo Pontifici eius Rectori; ne sint de illa multitudine reprobabili, quam prædixit Dominus venturam in Ecclesia sua finali, Matth. 24. dicens, *Multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos.* De quibus etiam prædixit Apostolus 2. Timoth. 4. *Quod in nouissimis diebus erunt homines speciem pietatis habentes, virtutem autem eius*, Glos. *Id est pietatis*, scilicet, charitatem, *abnegantes*, Glos. *factis*, vt ostensum est pleniùs suprà ead. dist. §. *Apostolus etiam.* De quibus etiam dicit Beatus Petrus 2. Pet. 3. *Quod venient in nouissimis diebus, in deceptionem Illusores.* Glos. *Tempore Antichristi, cuius iam sunt isti præcursores.* Sequitur. *Iuxta proprias concupiscentias ambulantes*, Glos. *Nouis peccatis ac præceptis*, id est nouis præceptis, quæ sunt peccata, *gaudentes*; quales videntur esse illi, qui mendicationem tradunt esse opus perfectionis, vt

Digitized by Google

oſtendetur infrà diſt. 2. §. *Item non ſufficit*; qui etiam alias ſuperſtitioſas vanitates inueniunt ſub ſpecie Religionis, vt oſtendetur infrà diſt. 4. in 12. ſigno; & qui procul dubiô illudere non valerent, niſi aliud agerent, & aliud ſimularent. De quibus dicit B. Iudas in Canonica ſua. *Chariſsimi, memores eſtote verborum, quæ prædictaſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in nouiſsimis temporibus venient Illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus*; Id eſt, *non præcedentium Patrum vitæ formam ſequentes, ſed pro ſuis deſiderijs ſibi viuendi modum ſtatuentes, non in pietate, ſed in pietatis ſimulatione.* Sequitur. *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos*, vitam ſcilicet ſuam alijs diſſimilem prætendentes, *animales*, id eſt, animæ concupiſcentias ſequentes, *& Spiritum* Sanctum *non habentes.* Sic ergo patet, tam per authoritatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm per authoritates Apoſtolorum, quod in finali Eccleſia futuri ſunt Pſeudo-Prædicatores in multitudine, ad ſeducendos fideles Chriſti; Vnde cum magis ac magis appropinquet finis mundi, valde timendum eſſe videtur, cum infinita & extraordinaria multitudo Prædicatorum videtur exurgere in Eccleſia Dei.

§. Item, cum in primitiua Eccleſia tempore Beati Pauli eſſent, vt dictum eſt, Prædicatores pauci, fide autem & charitate ab initio magis feruidi, quàm moderni, vt dicit Hieron. in lib. *De Illuſtribus viris*; de illa paucitate, ferè omnes facti ſunt Mercenarii, teſtante ipſô Apoſtolô, qui de illis ait Philipp. 2 *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Vbi dicit Gloſ. *Quia non deuotô animô prædicabant, ſed propria lucra quærentes.* Vbi etiam dicit alia Gloſ. *Hoc tempore, cum Apoſtolo erant Mercenarij multi, filij verò, vel Paſtores nulli, niſi tantùm Timotheus.* Si igitur iſtis temporibus appareant Prædicatores extraordinarii infiniti, ſe importunè ingerentes publicæ prædicationi, minùs charitate feruentes, & magis ſæculo adhærentes, vt creditur, quàm illi Prædicatores antiqui; timendum eſſe videtur, ne in tanta multitudine ſint Mercenarii multi; qui licet in primitiua Eccleſia, quamuis eſſent culpabiles, & non filii, tamen propter aliquas vtilitates erant aliquatenùs tolerandi, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quidam verò alij*; præſertim cum nondum diſtincta eſſent officia (*ex qua tamen diſtinctione hodie in Eccleſia quidam ſubditi quidam*

Digitized by Google

dam verò appellantur Prælati, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sed iterum dicet*; Versiculô, *Potest etiam dici*; Hodie tamen, distinctis illis officijs, videtur, quod non sint Mercenarij tolerandi, sed potiùs coercendi; maximè autem illi, qui conantur seducere, id est ad se, siue ad voluntatem suam, ducere simplices fideles Christi, licet non sint eorum Prælati, nec ad eos regendos canonicè delegati, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Quidam autem canonicè.*

§. Item, etsi Episcopi occupati essent circa exteriora negotia, vt obiectum est suprà ead. dist. §. *Sed iterum*; non tamen propter hoc essent ijs Opitulationes, quoad spiritualia, deputandæ, saltem in multitudine infinita; sed meliùs esse videretur, quod in illis exterioribus negotijs, quæ non sunt de substantia Sacerdotij, haberent Oeconomos, seu Procuratores, secundùm quod dicunt iura canonica, 9. q. 3. cap. *Cum simus.* 16. q. 7. cap. *Quoniam in quibusdam*; Ipsi verò spiritualibus, id est doctrinæ & prædicationi, quæ sunt de substantia Sacerdotij, particulariter vacarent, *Substantia enim Sacerdotij est vera Diuinarum Scripturarum disciplina*, dist. 38. can. *Omnes psallentes.* Vnde in Concilio Toletano *Omne opus Sacerdotum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ.* Et habetur dist. 38. can. *Ignorantia.* Vnde etiam B. Petrus, *quando asciuit sibi Coadiutores Linum & Cletum, non eis potestatem Pontificij, aut ligandi & soluendi, vel prædicandi tradidit, sed exteriorum ministrationem; ipse verò verbo & orationi instabat*, vt legitur 8. q. 1. cap. *Si Petrus.*

§. Si autem ex causis necessarijs, licet nobis incognitis, multiplicandi essent per vniuersam Ecclesiam Coadiutores extraordinarij, non tamen est credendum, eos in læsionem, & periculum Prælatorum Ecclesiæ, sicut suprà dictum est, ead. dist. §. *Item non est intentionis*, & §. *Periculum etiam*, à Domino Papa velle multiplicari; Iam enim non essent Coadiutores, siue Opitulatores, id est, opem Maioribus ferentes, sed potiùs Impeditores, Turbatores, & Destructores. Non est ergo verisimile, præfatas infinitas & incertas personas, propter prædictam licentiam generalem, Coadiutores, siue Opitulatores esse omnium Prælatorum Ecclesiæ, ipsis Prælatis irrequisitis, vel inuitis.

§. Sed adhuc dicet aliquis, Quid ergo confert prædicta Do-

Digitized by Google

mini Papæ licentia perſonis ſæpe dictis, ſi per eam non valeant publicè prædicare, & alia prędicta officia Eccleſiaſtica, ſine conſenſu Prælatorum Eccleſiæ, publicè exercere? cum priuilegia principis ſic debeant interpretari, vt aliquid nouum concedant, quod ſine priuilegio non licebat. Extrà, *De Priuilegijs*, cap. *In his.* Ex quo videtur, quod illæ perſonæ prædictæ, per ſupradictam Domini Papæ licentiam generalem, prædicta officia Eccleſiaſtica liberè valeant in omni Eccleſia exercere, etiam ſine licentia Prælatorum, vel etiam ijs inuitis.

§. Ad quod dicendum eſt, quod *licet Ordo Prædicatorum*, id eſt Prælatorum, *in Eccleſia Dei ſit præcipuus*; Extrà, *De Hæreticis*, cap. *Cum ex iniuncto*; Et *prædicandi officium priuilegiatum exiſtat*; Extrà, *De ſtatu Monach.* cap. *Quod Dei timorem*; in hoc ſcilicet, *quod nullus prædicare valeat, niſi miſſus*: Extrà, *De Hæreticis*, cap. *Excommunicamus.* §. *Quia verò*; Tamen prædicandi licentia non videtur Prædicantis priuilegium debere appellari, ſed quædam prouiſio ſubditorum; cum non in fauorem ipſius Prædicantis, ſed potiùs in fauorem Auditorum eius, & commodum concedatur; videlicet, *vt per ipſum paſcantur pabulò verbi Dei, & ædificentur verbò eius pariter, & exemplò*; Extrà, *De Officio Ordin.* cap. *Inter cætera.*

§. Sed datò, quod talis licentia generalis priuilegium dici poſſit, non tamen credendum eſt Summum Pontificem velle per tale priuilegium generale, poteſtati & honori Fratrum, & Coëpiſcoporum ſuorum, generaliter derogare, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item non eſt intentionis*; quod quidem contingeret, ſi tale robur, quale ſuprà dictum eſt, priuilegium illud haberet, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Conſtat autem*, cum ſequentibus tribus Paragraphis. Nec etiam credendum eſt Summum Pontificem Hierarchiam Eccleſiaſticam, cuius ipſe principalis Rector, ac Summus Hierarcha exiſtit, per præfatum priuilegium generale, velle confundere, immò penitùs reuerſare; quod etiam contingeret, ſi robur prædictum illud priuilegium obtineret. Et hoc ſic poteſt oſtendi. Viri enim Regulares, qui propter Deum ſæculum cum ſuis oblectationibus relinquentes, *triſtitiam, non huius ſæculi, quæ mortem operatur, ſed triſtitiam, quæ eſt ſecundùm Deum, quæ & pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, vt dicit Apoſtolus, 2. Corinth. 7. ſalubri conſiliò elegerunt; propter quod Græcè *Monachi* appel-

Digitized by Google

lantur, à *Monos*, quod est *vnus*, & *achos*, quod est *tristus*, vt legitur 16. q. 1. cap. *Placuit nostro communi consilio*; cum ipsi secundùm ordinem & gradum, quem tenent in Ecclesiastica Hierarchia, constituti sint in inferiori ordine *Perficiendorum*, & *non Perficientium*, licet *in summo gradu illius inferioris ordinis locati existant*, vt dicit Dionysius in lib. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, cap. 6. Immò secundum ordinem & gradum suum, nec purgare possunt alios, nec illuminare, nec consummare, videlicet publicè docendo, publicè prædicando, publicè baptizando, publicè pœnitentias iniungendo, vel alia Sacramenta Ecclesiæ ministrando, vel alia officia Prælatorum curam animarum habentium publicè exercendo (huiusmodi enim actus pertinent ad *Perfectiuos*, siue *Perficientes*, id est ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, seu Ministros Ecclesiarum plebes habentium, vt patet in eod. cap. Sed potiùs debent Monachi à memoratis Perficientibus perfici, tamquam eis inferiores & subiecti; propter quod dicit Dionysius ibidem, *Monachicum ordinem non esse aliorum adductiuum* (alia translatio, *non esse alijs prælatum*) *sed in se ipso stantem, in singulari & sancta statione Sacerdotalibus Ordinibus obsequentem.* Vnde idem Dionysius in Epistola *Ad Demophilum Monachum*, inuehitur contra illum, pro eô quod, cum esset de inferiori ordine Ecclesiasticę Hirarchię, de sua tamen scientia, vel sanctitate pręsumens, quędam ad ordinem superiorem, ac ad Perficientes pertinentia, superbè ac temerè vsurpabat; ostendens idem Dionysius, quod nemini licet etiam sancta & iusta exequi, nisi quatenùs spectant ad eius officium, vel ad eius pertinent dignitatem; Vnde dicit sic contra pręsumptionem Demophili. *Et quidem, si de principatu gentis aliquis inuasisset, quod sibi à Rege ordinatum non fuisset, iustè puniretur.* Et infrà. *Et hoc oportet dicere, quando super dignitatem aliquis præsumens, tamen conuenientia facere videretur; Etenim neque hoc licitum est vlli. Quid enim inconueniens Ozias faciebat, incensum offerens Deo? Quid autem Saul sacrificans? Quid autem Tyrannici Dæmones theologantes Iesum? Sed interdictus est à Theologia omnis alienus Episcopus.* Nota, quod alienum Episcopum appellat hîc Dionysius, omnem hominem vsurpantem officium superioris, seu Pręlati, ad quod non est ordinatus. Sequitur in eadem Epistola. *Et vnusquisque erit in ordine ministrationis suæ; & so-*

Digitized by Google

lus Princeps Sacerdotum ad ſancta ſanctorum ingreditur ſemel in anno, & hoc ſeruatâ omni, quam lex præcipit, munditiâ. Sacerdotes autem ſancta circumtegunt; & Leuitæ non tangunt ſacra, vt non moriantur. Et iratus eſt furore Dominus in proteruitatem Ozæ. Et Maria leproſa fit, Legislatori Fratri legem ponere conata; Et in filios Sceue inſiluerunt Dæmonia; & non mittebam eos (inquit Dominus) & ipſi currebant; & non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Et infrà. *Dicentibus autem rurſus ipſis, Domine, in nomine tuo virtutes multas fecimus, Non noui vos, reſpondetur eis; Diſcedite à me omnes operatores iniquitatis. Quare non eſt fas, ſicut ſancta eloquia dicunt, ea quæ ſunt iuſta & ſancta, non ſecundùm dignitatem exequi. Oportet autem vnumquemque ſibi attendere, & non altiora intendere; deliberare autem ea ſola, quæ ſunt ſecundùm dignitatem ei ordinata.* Ecce quod Regulares viri, qui Græcè *Monachi* appellantur, quantumcumque ſint ſancti & iuſti, ac eminenter literati, non tamen debent etiam ſancta & iuſta ad eorum officium impertinentia exercere; vnde non debent alios purgare, illuminare, conſummare; Et ideo non debent officia Eccleſiaſtica publicè exercere, ſed debent à Perficientibus, id eſt à Prælatis Eccleſiaſticis perfici tamquam ſubiecti eis.

§. Sed fortè opponet Monachus, ſeu vir Regularis, primatum cathedratum Amator, dicens; quod cum *Eccleſiaſtica Hierarchia ad inſtar Cœleſtis Hierarchiæ diuinitùs extiterit ordinata*, vt dicit Dionyſius in libro *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, cap. 5. non eſt inconueniens, ſi quis de inferiori ordine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ exerceat officium ſuperioris, cum ſimile videamus in Hierarchia Cœleſti; Angelus enim ille, qui purgauit labia Iſaiæ Prophetæ, licet fuerit de infimo ordine, tamen dictus eſt eſſe de Seraphim ſupremo ordine. Iſa. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit. Ecce tetigi hôc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quod non aliâ ratione dictum eſſe videtur, vt aiunt, niſi quia ille Angelus, licet eſſet de infimo ordine, tamen officium Seraphim exercebat *incentiuè* purgando labia Iſaiæ, *Seraphim* enim interpretatur *incendium*. Et hoc videtur dicere Dionyſius, vt aiunt, in libro *Cœleſtis Hierarchiæ* cap. 13.

§. Ad quod dicendum eſt, quod aliquis de inferiori ordine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, in his quæ ſunt iuriſdictionis, non

ordinis, potest exercere officium superioris, ex ipsius delegatione, vt Diaconus officium Patriarchæ, & etiam Subdiaconus officium Summi Pontificis, vt legitur dist. 93. can. *Præcipimus*, & dist. 94. can. *Valde*. Sed non potest illud inferior ex ordinaria potestate, sicut in Cœlesti Hierarchia, nec Angelus inferior potest superioris officium exercere ex ordinaria potestate; nec etiam legitur, quod possit ex delegatione.

§. Ad illud autem, quod dictum est de Angelo Isaiæ, quod purgando labia Isaiæ exercebat officium alienum, videlicet officium supremi ordinis, qui propriè dicitur *Seraphim*, dicendum, quod falsum est; nec hoc dicit Dionysius in cap. prædicto, sed magis contrarium; purgando enim Prophetam, qui erat de humana, siue Ecclesiastica Hierarchia, non exercebat officium alienum, sed proprium, cum esset de infimo ordine Angelorum; cuius ordinis proprium est officium regere, ac regendo purgare humanam, seu Ecclesiasticam Hierarchiam, tamquam sibi immediatè subiectam, vt dicit Dionysius in *Hierarchia Cœlesti* cap. 9. Dictus est tamen ille Angelus esse de Seraphim, non quod esset de supremo ordine, qui propriè appellatur Seraphim; nec quod exerceret officium illius; sed quia purgabat Isaiam incentiuâ virtute, quam participant omnes Angeli secundùm magis & minùs, sicut Seraphim supremus ordo purgat omnes Angelos inferiores incentiuâ virtute, quam habet primò & principaliter post Deum. Vnde non dicitur Seraphim propriô nomine, sed æquiuocè propter incentiuam purgationem, à qua denominatur Seraphim. Vnde Scriptura simpliciter dicit *Volauit ad me vnus de Seraphim*, hoc est, *de incendentibus nostram Hierarchiam*; & non specificat supremum ordinem, qui Deo immediatè assistit. Et hanc solutionem dicit Dionysius in eodem lib. cap. 13. Consequenter subiungit idem Dionysius alteram solutionem dicens, quod etiam ideo dictus est Angelus ille esse de Seraphim, quia virtutem incentiuam, quâ purgauit labia Isaiæ, attribuit primo Seraphim, à cuius influentiâ mediantibus aliis ordinibus Angelorum recepit illam incentiuam virtutem, etsi non immediatè, tamen principaliter post Deum, qui est princeps, ac summum & perfectum principium omnium Hierarchicarum Virtutum. Per exemplum igitur Hierarchiæ Cœlestis, non potest probari aliquam perso-

Digitized by Google

nam Eccleſiaſticæ Hierarchię poſſe ſupplere, vel exercere officium ſuperioris ſui, ſed magis contrarium probari poſſet.

§. Secundùm igitur prælibatam ordinationem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ diffinierunt Sancti Patres in Canonibus, quod *Monachis* non habentibus populum canonicè ſibi ſubiectum, etiam eminenter literatis, ſicut nec Laïcis, *non liceat* ſine licentia Sacerdotum, id eſt Prelatorum Eccleſię, *publicè prædicare, cuiuſcumque ſcientiæ nomine glorietur* 16. q. 1. cap. *Adÿcimus.* Et hoc ideo, quia ſunt de ordine inferiori, vt oſtenſum eſt ſuprà eâd. diſt. §. *Sed datô.* Monachorum enim vita *ſubiectionis verbum habet, & diciplinatus, non docendi, vel præſidendi, vel paſcendi alios*, vt legitur 7. q. 1. cap. *Præcepit Sancta Synodus.* Item, cum Regulares viri, qui Græcè *Monachi* appellantur, ob hoc, vt etiam ipſi aſſerunt, reliquerint ſæculum, vt à peccatis valeant faciliùs abſtinere, & contemplationi vacare; Reſtat, quod eis maximè expedit, & ad eorum ſpectat propoſitum, ſolitarios & quietos eſſe, & in clauſtro ſuo morari, & tacere, iuxta illud Threnorum 3. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe*; Vnde Arſenius, cum à Palatio recederet, vt fieret Monachus, audiuit vocem à Domino dicentem ſibi, *Arſeni, fuge, tace, quieſce; hæc enim ſunt radices non peccandi.* Si ergo deſideret Monachus exire de clauſtro ad publicè docendum, vel ad aliud publicum officium exercendum, videtur, quod non ſeruet Monachale propoſitum; & etiam videtur quod non ſit compoſitę mentis, cum non poſſit in clauſtro morari. Nam ſicut dicit Seneca ad Lucilium, *Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe ſecum conſiſtere, & ſecum morari.* Item Auguſtinus, *Non placet Deo quidquid ei obtuleris, eô neglectô ad quod teneris. ℣. De præcepto & diſpenſatione.* Item videtur, quod omittendo proprium officium, vſurpet officium alienum. Nam, vt dicit Hieronymus ad Deſiderium & Riparium, *Monachus, non Doctoris, ſed plangentis habet officium, qui ſe, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduentum.* 16. q. 1. cap. *Monachus.* Ideo etiam dicit Eugenius Papa. *Sedeat Monachus ſolitarius & taceat, quia mundo mortuus eſt, Deo autem viuit.* Nota quod dicit, *taceat*; quaſi diceret, *non publicè prædicet.* Et infrà, *Sedeat triſtis, & officio ſuo vacet*; quaſi diceret,

Digitized by Google

non officio Clericali, seu officio alieno. Item super illud Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas*, dicit Bernardus, *Scimus Monachi esse officium, non docere, sed lugere; & certum est, quod publicè prædicare, nec Monacho convenit, nec Novitio expedit, nec Nonmisso licet.* Item Alexander 2. *Monachos à populorum prædicatione omninò cessare censuimus; nisi fortè quis de animæ suæ salute sollicitus, vt eorum habitum sumat, eos intra claustra consulere voluerit.* 16 q. 1. cap. *Iuxta.* Nota quod dicit, *intra claustrum*; quasi diceret, *Monachus non debet exire de claustro ad prædicandum, vel docendum, vel consilium dandum, licet in claustro suo hæc possit de mandato Prælati sui.* Et hoc verum est regulariter loquendo. Ecce quod Monachis, dum sunt in inferiori gradu Ecclesiasticæ Hierarchiæ, id est dum sunt in statu Monachali, subiecti videlicet, non licet quemadmodùm nec Laicis publicè prædicare.

§. Rursus, iuxta præfatam ordinationem Ecclesiasticæ Hierarchiç, diffinierunt Canonicę Sanctiones, quod Monachis non habentibus populum canonicè sibi subiectum, non liceat publicè baptizare, pœnitentias populo dare, infirmos visitare, mortuos sepelire, publicas missas cantare. Vnde 16. q. 1. cap. 8. *Placuit nostro communi Concilio, vt nullus Monachorum præsumat pœnitentiam dare, neque filium de baptismo suscipere, neque baptizare, neque visitare, neque mortuos sepelire, neque quibuscumque negotiis sese implicare; sit claustrô suô contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vitâ, ita sine Monasterio Monachus.* Item in ead q. cap. 10. *Interdicimus Abbatibus & Monachis, publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, vnctiones facere, & publicas missas cantare.* Hæc autem omnia prohibita sunt Regularibus viris, qui Græcè *Monachi* appellantur, non propter defectum vitæ, aut scientiæ; sed propter discrepantiam Ordinis Ecclesiasticæ Hierarchiæ; tenent enim ordinem subiectionis, non Prælationis, vt ostensum est; & ideo non debent alios purgare, illuminare, & consummmare, sed ab alijs, scilicet à suis Superioribus, videlicet à Prælatis Ecclesiarum, ista recipere, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sed datô.* Vnde Dionysius in Epistola *Ad Demophilum Monachum* dicit. *Igitur qui sunt ordinati à Domino, vt alijs principentur, distribuunt sequentibus & obedientibus ea, quæ sunt secundùm dignitatem.* Et infrà. *Et neque peruertetur ordo super ordinem, sed vnusquisque in ordine suo, & in ministratione sua erit.* Ecce quod

Monachis & alijs, qui ſunt de inferiori ordine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, non licet Eccleſiaſtica officia publicè exercere, quæ pertinent ad ordinem ſuperiorem.

§. Item, ideo prohibita ſunt officia prædicta Monachis, ſeu Regularibus viris, quoniam publica ſunt illa officia; Monachi verò habent, vel habere debent vitam, non publicam & communem, ſed priuatam & ſingularem, ſicut legitur in Nicena Synodo, vbi dicitur. *Placuit omnibus, vt Monachorum conuerſatio & vita, ſecundùm etymologiam nominis, ab omnibus diſcrepet; Monachus enim Græcè, Latine Singularis. Vnde Monachum per omnia ſingulariter agere oportet.* 16. q. 1. cap. *Placuit.*

§. Adeò enim ſegregati debent eſſe Monachi, non ſolùm à Sæcularibus viris, verùm etiam à Clericis, & ab officiis Clericorum; QVOD NEC MONACHIS *liceat in Eccleſijs Clericorum publicas miſſas facere*, 16. q. 1. cap. *Interdicimus*; NEC CLERICIS, *nec etiam Epiſcopis liceat in Monachorum Monaſterijs miſſas publicas celebrare* 17. q. 2. cap. *Abbatem*. Et hoc ratione prædictâ, videlicet quia Monachum per omnia ſingulariter agere oportet; & etiam propter hoc, *Ne in Monachorum ſeceſſibus & receptaculis, vlla præbeatur occaſio popularis conuentus, quia non expedit animabus eorum*, vt legitur 18. q. 2. cap *Luminosô Abbate.* Sicut enim ad militiam Clericalem pertinet frequentia hominum, propter eorum ſalutem, quam Clerici, hoc eſt Eccleſiarum Prælati, prædicando, confeſſiones audiendo, pœnitentias iniungendo, ſacramenta Eccleſiaſtica populo miniſtrando, procurant; ſic ad vitam Monachalem pertinet ſolitudo. Vnde Hieronymus ad Nepotianum. *Si officium vis exhibere Presbyteri; ſi Epiſcopatus te, vel opus, vel honor forte delectat; vel viue in vrbibus & caſtellis, & aliorum ſalutem. faclucrum animæ tuæ. Si autem cupis eſſe, quod diceris, Monachus, id eſt ſolus; quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum?* Item Alexander 2. *Monachos inter clauſtrum morari præcipimus, vicos, caſtella, ciuitates peragrare prohibemus.* 16. q. 1. cap. *Iuxta.* Item Hieronymus ad Nepotianum. *Vrbibus, & frequentiâ vrbium derelictâ, in agello habites, vt & vrbe careas, & propoſitum Monachi non omittas.* Nota, quod frequentia vrbium aufert Monachale propoſitum. Item Hieronymus Ad Ruſticum Monachum. *Viderint alij quid*

igitized by Google

quid ſentiant; mihi oppidum carcer eſt, & ſolitudo Paradiſus. Quid deſideramus vrbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur? Monachus enim Græcè, Latinè Singularis interpretatur, vt oſtenſum eſt ſuprà paulò ante. Nota, quod dicit Hieronymus, *Mihi oppidum carcer eſt, ſolitudo Paradiſus.* Illi ergo, qui contra mores Hieronymi, nolunt in ſolitudine, ſiue in clauſtro morari, ſed ſub prætextu prædicationis, vel alterius regiminis animarum ſemper volunt extra clauſtra vagari, falsò dicunt contra Hieronymum, *Mihi ſolitudo, ſeu clauſtrum, carcer eſt, oppidum verò, ſiue ciuitas*, id eſt *eſſe in multitudine ſæculi, Paradiſus.* Item lib. 8. Hiſtoriæ Tripartitæ, quam Caſſiodorus tranſtulit de Græco in Latinum, legitur, quod inter Monachos Iſidorus fuit, qui vndique Monaſterium muniens curabat vt nullus egrederetur, ſed omnia neceſſaria haberent interiùs.

§. Ideo etiam prohibetur Monachis Clericalem militiam, ſiue Eccleſiaſtica officia exercere; quia cum alterutrum dictorum officiorum, ſcilicet tam Monaſticum, quàm Eccleſiaſticum, ſatis occupet hominem, ita quod alteri vix ſufficere poſſit; reſtat quod eadem perſona non ſufficeret ad vtrumque. Vnde Gregorius. *Si quis Clericus in Abbatis loco permanere decreuerit, Clericatus nullatenùs permittatur habere militiam; ſatis enim incongruum eſt, ſi cum vnum ex his pro ſui magnitudine diligenter quis non poſsit explere, ad vtrumque videatur idoneus*, 16. q. 1. cap. *Presbyteros.* Ideo dicit idem Gregorius, *Nemo poteſt Eccleſiaſticis obſequijs deſeruire, & in regula Monachorum ordinatè perſiſtere; vt ipſe deſtrictionem Monaſterij teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere.* 16. q. 1. cap. *Nemo.* Item Pelagius. *Satis valde amariſsimum habeo, de Monachali propoſito, ad illud homines deduci officium, in quo nullomodò, quæ à Monachis Deo promiſſa ſunt, valeant adimpleri.* 16. q. 1. cap. *De præſentium portitore.*

§. Sed fortè dicet aliquis *ad excuſandas excuſationes in peccatis*, quod prædictæ authoritates, quæ prohibent Monachos prædicare, pœnitentias dare, Sacramenta Eccleſiaſtica populo miniſtrare, loquuntur ſecundùm antiqua tempora, in quibus Monachi erant Laici & illiterati; videlicet vſque ad tempora Euſebij, Zozimi, Siricij Romanorum Pontificum, vt legitur 16. q. 1. §. *Superiori authoritate*, in fine, & cap. *Generaliter*

quando etiam Abbates erant inferioris gradus Acolythis & Oſtiarijs, diſt. 93. can. *A Subdiacono*; Nunc autem, cum ſint & Clerici, & Presbyteri, & literati licitum eſt eis prædicta officia exercere. Vnde Ambroſius. *Doctos & probos Monachos Presbiterij honore dedicatos, prædicare, baptizare, pœnitentiam dare, moderatà diſpenſatione commendamus.* 16. q 1. cap. *Doctos.* Ad idem inducunt aduerſarij veritatis 16. q. 1. cap. *Si Monachus*, & cap. *Ex authoritate*, & cap. *Sunt nonnulli*, & cap. *Sic viue.*

§. Ad quod dicendum eſt, quod prædictæ authoritates, quæ prohibent Monachos publicè prædicare, pœnitentias dare, Sacramenta Eccleſiaſtica populo miniſtrare, intelligi debent de Monachis in ſtatu Monachali exiſtentibus & literatis, *cuiuſcumque ſcientiæ nomine glorientur*, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. paulò ante. Intelliguntur etiam de Monachis in Clericos, ſcilicet in Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros ordinatis, & quantumcumque literatis; conſtat enim, quod Monachi tales erant, ſcilicet Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, & literati, tempore B. Bernardi; qui tamen dicit, quod *publicè prædicare Monacho non conuenit*, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. paulò ante. §. *Sciendum igitur.* Quod autem dicunt capitula in contrarium allegata, quod *Monachis Presbyterij honore dedicatis licet prædicta officia exercere*, dicendum eſt, quod illa capitula intelliguntur de Monachis ad Epiſcopatum, vel ad aliam Prælationem Eccleſiarum plebes habentium canonicè ſublimatis, quibus licitum eſt, ſicut & alijs Epiſcopis, aut Prælatis, qui Monachi non fuerunt, Eccleſiaſtica officia exercere. Vnde *honor Presbyterii* appellatur ibi *Epiſcopatus, vel Rectoria Eccleſiæ plebem habentis*; quod patet ex eo, quod in illo cap. *Doctos, &c.* ſequitur, *quod poſſunt debita miſeris relaxare*, id eſt abſoluere, & indulgentias dare; & *quod debent decimas, primitias, oblationes à plebibus recipere, viuentes de altari cui ſeruiunt*; quæ conuenire non poſſunt, niſi Epiſcopis, vel aliis Parochialium Eccleſiarum Prælatis. In illo verò cap. *Si Monachus*, appellatur Clericatus, *Prælatio ſuper plebem*, cum dicitur, *Si Monachus ad Clericatum promoueatur, beneficia ei dentur, &c.* vnde ſequitur ibi, *quod debent plenè, & ſine minoratione recipere decimas, vt poſsint adiutorium facere ad opera Eccleſiaſtica, & ad reſtaurandas Eccleſias ſuas*; quod conuenire non poteſt, niſi Parochialium

Digitized by Google

vel Cathedralium Ecclesiarum Prælatis. In illo autem cap. *Ex authoritate*, cum dicitur, *Monachus Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare*, &c. appellantur Monachi Sacerdotes Apostolorum figuram tenentes, *Monachi facti Episcopi*; soli enim Episcopi tenent figuram Apostolorum *in iurisdictione, & potestate*; dist. 68. can. *Quorum vices*. Presbyteri verò *in Sacramentorum exhibitione*, 12. q 3. cap. *Absit*; Monachi verò *in proprietatis abdicatione*; & sic loquitur illud cap. *Ex authoritate*, vt patet per Glos. ibidem. In illo verò cap. *Sunt nonnulli*, appellatur Sacerdotalis officij dignitas *Episcopatus*, cum dicitur, *Quod Monachi non sunt indigni potentiâ Sacerdotalis officij, quominùs possint soluere & ligare, per Sacerdotalis officij sibi iniunctam dignitatem*; Id est, *si ad Episcopatum fuerint euocati*. Vnde in Originali subiungitur. *Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ compar Sedis Beatissimus Gregorius Monachicô cultu pollens, ad summum nullatenùs apicem conscenderet; Augustinus quoque eiusdem Sanctissimi Gregorij Discipulus, Anglorum Prædicator egregius, ac Pannoniensis Martinus, cuius sanctitatis famam longè lateque diffusam totus personat mundus, alijque quamplurimi pretiosissimô Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulô Pontificali subarrarentur; si quia Monachi fuerunt, prædictis vti prohiberentur*. Quasi diceret, *Si Monachi fieri non possent Episcopi, B. Martinus, & alij Sancti prænominati, qui priùs fuerunt* Monachi, *quàm Episcopi, nunquam facti fuissent Episcopi*. Et hoc dictum est contra quosdam æmulos, qui dicebant, quod Monachi fieri non debebant Episcopi. Patet igitur quod in illo capitulo *Sunt nonnulli*, appellatur Sacerdotale officium *Episcopalis dignitas*. In illo etiam cap. *Sic viue*, appellatur Clericus *Prælatus*, cum dicitur, *Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse inueniaris*; Id est, *Prælatus, siue Episcopus*. Vnde sequitur. *Quod si populus, vel Episcopus, te in Clericum elegerit, age ea, quæ Clerici sunt*; Id est, *quæ pertinent ad Prælatum*; constat enim, quod Monachi non eliguntur in Clericos, vel Presbyteros; sed quando constituuntur in Ecclesiarum plebes habentium Prælatos. Officium etiam Clericatus, & Sacer ordo, appellatur *Episcopatus*. Vnde Gregorius. *Studendum nobis est, vt si quispiam Monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium, vel sacrum ordinem accesserit*, Glos. id est Ad Episcopatum, *non illic*, scilicet

Digitized by Google

in Monaſterio, *aliquam habeat vlteriùs poteſtatem.* 16. q. 1. cap. *Ne pro cuiuslibet.* Et ſic relinquitur, quod Monachis, & literatis, & in Presbyteros ordinatis, non licet prædicta officia exercere, ſine licentia Prælatorum Eccleſiæ plebes habentium, niſi fuerint ad tales Prælationes canonicè ſublimati. Et ſic terminat Gratianus hanc quæſtionem, 16. q. 1. §. *Ecce*, vbi dicitur, *Ecce ſufficienter monſtratum eſt, quod Monachis Presbyterij honore decoratis, à populo electis. ab Epiſcopo, inſtitutis, eadem liceant, quæ, & alijs Sacerdotibus*; Id eſt *eadem liceant Monachis factis Epiſcopis, ſeu Prælatis, quæ & alijs Prælatis, qui Monachi non fuerunt.* Et quod dicitur *à populo electis*, loquitur ſecundùm antiquorum conſuetudinem, quando populus eligebat ſibi Prælatum; nunc autem populus non eligit, ſed electo à Clericis conſentit, vt legitur diſt. 93. can. *Noſſe.* Reſtat igitur, quod prædicta capitula, quæ prohibent Monachos publicè docere, vel publicè prædicare intelliguntur, non ſolùm de Monachis non ordinatis in Presbyteros, vel illiteratis, quales erant ſecundùm antiqua tempora; ſed etiam de Monachis in Presbyteros ordinatis, & quantumcumque literatis; niſi ſublimati extiterint ad regimen Eccleſiæ plebem habentis; vel niſi de licentia talium Eccleſiæ Prælatorum; *Eccleſia enim habet Senatum, cœtum Presbyterorum, ſine quorum Concilio nihil Monachis agere licet*, vt dicit Hieronymus *Ad Ruſticum Monachum*, & habetur 16. q. 1. cap. *Eccleſia habet Senatum.*

§. Item oculi Eccleſiæ ſunt Doctores, & Prædicatores. Vnde ſuper illud Cantic. 3. vbi loquitur Chriſtus ad Eccleſiam dicens, *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum*, dicit Gloſ. *Id eſt in vnitate Doctorum.* Auditus verò Eccleſiæ ſunt Laici & Monachi. Vnde Benedictus in Regula ſua in capitulo *De gradibus humilitatis*, dicit *Magiſtrum loqui & docere condecet, Diſcipulo tacere & audire conuenit*; appellans Epiſcopum Magiſtrum, & Monachum Diſcipulum, ſicut patet ibidem. Si ergo Monachi, vel Laici, qui ſunt auditus, dum manent in ſuo gradu Perficiendorum ſubiecti, aſſumant ſibi ſine licentia Sacerdotum, id eſt, ſine canonica miſſione Prælatorum, qui ſunt oculi Eccleſiæ, officium publicè docendi, aut publicè prædicandi, quod eſt officium oculorum, iam fiet auditus oculus, contra illud Apoſtoli 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, vbi auditus?*? Et ſi illi, qui habent officia aliorum mem-

Digitized by Google

brorum, assumant sibi officia oculorum, iam fient omnia membra vnum membrum, contra illud Apostoli 1. Corinth. 12. *Si omnia membra vnum membrum, vbi corpus?* Gloss. *Si omnia membra Ecclesiæ essent vnius officij, & vnius dignitatis; non discernerentur membra, quod esset inconueniens.* Ideo dicit Gregorius. *Sicut varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem præstat; ita varietas personarum per diuersa distributa officia, & fortitudinem & venustatem scientiæ Dei manifestat Ecclesiæ. Et sicut indecorum est, vt in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officiô; ita nimis noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerunt distributa.* dist. 89. cap. *Singula.* Item super illud Iob 38. *Indica mihi, si habes intelligentiam*, dicit Gregorius lib. 28. Moralium. *In præcipiti pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit.* Et infrà. *Membrorum nostrorum tunc bene ministerijs vtimur, cum sua ijs officia distincte seruamus; lucem quippe oculis cernimus, vocem verò auribus audimus. Si quis autem mutatô ordine voci oculos, luci aures accommodat, his quàm in cassum vtatur patet. Si quis odores velit ore discernere, sapores nare gustare, vtriusque sensus ministerium, quia peruertit, interimit; dum enim hoc propriis vsibus non aptatur, & sua officia desunt, & ad extranea non assurgunt.*

§. Item vnusquisque debet seruare ea, quæ apta sunt conditioni suæ, nec debet ei displicere sua conditio; vnde Hieronymus. *Ornat doctrinam Domini, qui ea quæ conditioni suæ apta sunt, facit; vt è diuerso confundit eam, qui non est subiectus in omnibus, & cui conditio sua displicet.* 24. q. 5. cap. *Si apud carnales.* Igitur, cum Clerici & Monachi differentis sint conditionis & gradus, & diuersa sint membra Ecclesiæ, & diuersa habeant officia in Ecclesia Dei, *& vnusquisque manere debeat in ea vocatione, in qua vocatus est*, 1. Corinth. 7. Restat, quod Monachis, dum sunt in inferiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, id est, dum sunt in statu Monachorum subiecti, non licet de iure communi exercere prædicta officia Ecclesiastica, quæ sunt officia Clericorum; nec debet eis subiectionis suæ conditio displicere, sed quantum in eis est, debent in ea perpetuò permanere; videlicet, nisi ad Clericatum, siue ad regimen animarum, siue ordinariè, siue extraordinariè canonicè prouehantur.

§. Item, quod Regularibus viris, seu Monachis in gradu Monachali manentibus, non liceat publica, seu Ecclesiastica officia exercere, videtur aliâ ratione. Dominus enim Iesus Christus Matth. 24. secundùm Glossæ expositionem, assignat in Ecclesia sua tres status saluandorum, & totidem damnadorum; videlicet, statum Prædicatorum, seu Prælatorum Ecclesiæ, qui negotiis Ecclesiasticis occupantur, quasi in agro Dominico operantes per Prædicationem & regimen animarum dicens. *Duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Glos. *Duæ differentiæ Prædicatorum sunt in Ecclesia, quasi in agro laborantium; eorum qui sincerè Christum annunciant; & eorum, qui verbum Dei adulterant.* Item assignat statum hominum Sæcularium, qui negotiis sæcularibus occupantur dicens. *Duæ molentes in mola, vna assumetur, altera relinquetur.* Gloss. *Duæ differentiæ sequentium orbem rerum mobilium, in fœminino genere designantur; quia maiorum consiliô reguntur, vt fœminæ à viris.* Item assignat statum Regularium, seu Comtemplatiuorum, qui mundi sollicitudinem relinquentes, nec sæcularibus, nec Ecclesiasticis debent negotiis occupari, dicens. *Duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Glos. Augustini, & Rabani. *In lecto sunt, qui otium eligunt & quietem silentij, quæ lecti nomine significantur.* Illi ergo qui sunt in lecto debent esse otiosi à curis sæcularibus, & debent silere à publicè prædicando. Vnde sequitur in Gloss. *Nec in sæcularibus, nec in Ecclesiasticis negotijs occupati.* Isti sunt viri Regulares, qui Græcè *Monachi* appellantur, vt sequitur in Glos. *Vnus assumetur, qui continentiæ propter Deum studet, vt sine sollicitudine viuens cogitet quæ Dei sunt; Qui autem cum humana laude, vel aliqua vitiorum corruptione Monasticam vitam duxerit, relinquetur à Deo.* Patet igitur, quod in lecto dicuntur esse Monachi, seu Regulares viri; & quod ipsi secundùm Glos. Augustini, & Rabani, nec in sæcularibus, nec in Ecclesiasticis debent negotiis occupari. Cum igitur publicè prædicare populo, pœnitentias dare, Sacramenta Ecclesiastica populo ministrare, sint negotia publica, seu Ecclesiastica, & pertinentia ad militiam Clericalem, siuè ad officia Prælatorum, vt ostensum est suprà; Relinquitur, quod ista de iure communi, videlicet secundùm ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, illicita sunt illis, *qui sunt in lecto*, videlicet Monachis, seu Regularibus viris, non habentibus populum, dum

in gradu ſuo Perficiendorum manent ſubiecti. Si ergo inueniantur aliqui *non verè exiſtentes in agro Dominico*, quia nec ſunt Prælati, nec ab eis canonicè delegati, *nec verè exiſtentes in mola*, quia non ſunt Sæculares, vel Laici, *nec verè exiſtentes in lecto*, quia nec ſeruant otium à curis ſæculi, nec quietem ſilentij; cum non ſint plures ſtatus Saluandorum in Eccleſia Chriſti, vt oſtenſum eſt; videtur, quod tales in nullo ſtatu Saluandorum valeant reperiri.

§. Cæterùm adhuc dicet Vir Regularis, primarum cathedrarum Amator, quod ſicut ſtatutus eſt in Eccleſia vnus Ordo Regularium ad alendum corporaliter egentes cibô corporali, & curandum infirmos corpore, quæ ſunt opera charitatis; videlicet *Ordo Hoſpitalariorum*; & eſt ſimiliter in Eccleſia quidam Ordo Regularium, ad militandum contra hoſtes Eccleſiæ corporales, videlicet *Ordo Templariorum*; Eodem modô debet eſſe in Eccleſia aliquis Ordo Regularium, ad alendum egentes ſpiritualiter pabulô verbi Dei, videlicet per prædicationem, iuxta illud Matth. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; & ad curandum ſpirituales infirmos, videlicet per confeſſionem, & pœnitentiam; & ad militandum ſpiritualiter, contra hoſtes Eccleſiæ ſpirituales, videlicet per duo prædicta, id eſt per prædicationem, & confeſſionem; vnde debet eſſe in Eccleſia *Ordo Regularium Prædicatorum & Confeſſorum.*

§. Ad quod dicendum eſt, quod Ordo Prædicatorum, & Confeſſorum, olim inſtitutus eſt à Domino in Eccleſia ſua, in Apoſtolis & Septuaginta duobus Diſcipulis, quando dictum eſt eis. Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*; & Matth. 10. *Infirmos curate, Dæmones eijcite*; quod intelligendum eſt ſecundùm Gloſ. de ſpiritali & corporali curatione, & eiectione. Et poſteà per Apoſtolos inſtitutus eſt dictus Ordo, in Epiſcopis & Presbyteris, qui eis & Septuaginta duobus Diſcipulis ſucceſſerunt, & eorùm loca tenent, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quoniam igitur, vt dictum eſt.* Qui ſi non ſufficiant propter eorum paucitatem, multiplicandi ſunt, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sed iterum dicet.* Si verò inſufficientes ſint in ſcientia & in vita, debent alij, qui ſufficientes ſint, canonicè ſubrogari, vt oſtenſum eſt ſuprà ibidem, & §. *Cum igitur, vt dictum eſt, iam ſint.*

§. Si verò dicatur, quod Regulares viri propter ſanctitatem vitæ, & quia magis poſſunt ſtudio vacare, magis idonei ſunt ad publicè prædicandum, & publicè docendum, & pœnitentias populo iniungendum, quàm Sæculares Prælati; Reſponderi poteſt, quod hoc indiget probatione; quia nec loca Regularium, nec Ordines eorum faciunt homines ſanctiores, ſed bona vita illorum, quæ & in Prælatis Sæcularibus poteſt eſſe. Vnde Gregorius. *Non loca, vel Ordines Creatori noſtro nos proximos faciunt; ſed nos, aut merita bona ei coniungunt, aut mala diſiungunt.* diſt. 40. can. *Non loca, vel Ordines.* Sed poſitô, quod ſanctiores ſint, & magis literati, & ideo magis idonei, quoad vitam & ſcientiam; non tamen idonei ſunt quoad ſtatum; quia non habent ordinem, ſeu gradum in Eccleſiaſtica Hierarchia, prædicta officia exercendi; ſed diſcrepant illa officia ab eorum profeſſione & gradu, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sed datô*, & Paragraphis ſequentibus, vſque ad locum iſtum.

§. Ad inductam verò ſimilitudinem de Ordine Hoſpitalariorum, & Templariorum, ad ordinem Regularium Prædicatorum; Reſponderi poteſt, quod non eſt ſimile. Nam per corporalem alimoniam, vel infirmorum curationem, quam exhibent indigentibus Hoſpitalarij; vel per corporalem militiam, quam contra hoſtes Eccleſiæ corporales exercent Templarij; nec Prælatis Eccleſiarum, nec vlli ordini, ſeu gradui Eccleſiaſtico, præiudicium generatur; nec alienum officium præiudicialiter vſurpatur; vnde per eos non turbatur Eccleſia, ſed potiùs adiuuatur. Si verò fieret Ordo Regularium Prædicatorum, qui plebes proprias non haberent; ſed ſemper prædicarent, & alia quædam officia Eccleſiaſtica exhiberent plebibus alienis, irrequiſitis & inuitis eorum Prælatis; & hoc propriâ, vel perpetuâ poteſtate facere poſſent; conſtat, quod non modicùm præiudicaretur iuriſdictioni & poteſtati Epiſcoporum, & aliorum Eccleſiæ Prælatorum, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Conſtat autem*, §. *Item mihi*, & §. *Cum igitur*; & tam eiſdem Prælatis, quàm eorum Subditis ſpirituale periculum pararetur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item forte*, & §. *Periculum etiam*; & ſic per eos pax Eccleſiæ turbaretur, & confunderetur Eccleſiaſtica Hierarchia, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sed datô*, & aliis Paragraphis ſequentibus, vſque ad locum

Digitized by Google

locum istum; quod nunquam est de intentione Summi Pontificis, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Item non est intentionis.* Et sic restat, quod viris Regularibus curam animarum, seu plebes subiectas non habentibus, illicitum est de iure communi, absque licentia Prælatorum curam animarum habentium, prædicta officia Ecclesiastica exercere.

§. Item certum est, quod status Monachalis, status est humilitatis. Vnde Hieronymus *Ad Rusticum Monachum*, loquens in persona Monachi dicit. *Non est humilitatis meæ, neque mensuræ, iudicare de Clericis*, id est de Clericis, qui non sunt Monachi, *& de Ministris Ecclesiarum sinistrum quidpiam dicere; Habeant illi ordinem suum, & gradum, &c.* 16. q. 1. cap. *Si Clericatus.* Nota quod dicit, *Non est humilitatis meæ iudicare, &c.* Quasi diceret, *Non pertinet ad Monachum, qui est in statu humilitatis, siue in inferiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ iudicare de Clericis, seu Ministris Ecclesiarum, qui sunt in ordine superiori Ecclesiasticæ Hierarchiæ.* Ideo etiam Monachi propter statum suum humilitatis appellantur *Therapeutæ*, id est *Famuli*; vnde Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. *Diuini duces nostri nominationibus sanctis ipsos Monachos dignati sunt*, id est dignos iudicarunt; *Alij quidam Therapeutas*, id est Famulos; *alij autem Monachos ipsos nominantes, ex Dei puro seruitio, & famulatu, & singulari vita.* Ecce quod *Monachus* est nomen *famulatus*, & sic nomen humilitatis. Cum igitur Monachatus status humilitatis existat, non expedit Monachis à statu audientis, vel discentis, ad statum publicè docentis assurgere; quoniam in statu audientis facilè seruatur humilitas, quæ in statu docentis difficilè conseruatur. Vnde Augustin. Ad Florentinam, *Qui in Psalmo ait*, AVDITVI MEO DABIS GAVDIVM ET LÆTITIAM, *continuoque subiunxit*, ET EXVLTABVNT OSSA HVMILIATA, *vidit in audiendo facillimè seruari humilitatem, quæ difficilis est in docendo; quoniam necesse est, vt Doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere, vt non subrepat elatio.* Si ergo Monachus, cessante necessitate, assumat publicè docendi, aut publicè prædicandi officium; Restat, quod sine necessitate Ecclesiæ, statum humilitatis, quam priùs per suam professionem elegerat, & quam facillimè seruare poterat in audiendo, exponit ambiguo periculo elationis, publicè docendo, aut publicè prædicando; & qui Monachum præter vrgentem Ecclesiæ necessitatem, vel sal-

tem præter euidentem publicam vtilitatem vocat ad illud officium, videtur ei inijcere ambiguum elationis periculum; quæ vtrùm valeant fieri ſine peccato, iudicet qui iudicare poteſt. Patet igitur ex præmiſſis, quod non expedit Regularibus viris, qui Græcè *Monachi* appellantur, publicè docere, aut publicè prædicare, propter humilitatis ſtatum, & elationis periculum; nec eis eſt licitum ſecundùm ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.

§. Cum igitur Eccleſia Chriſti, Spiritu Sanctô docente, ad inſtar Hierarchię Cœleſtis Hierarchicè ſit conſtructa & ordinata, vt dicit Dionyſius in lib. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, cap. 5. conſtat, quod eius ordinem & conſtructionem turbare atque confundere, nihil aliud eſſet, quàm ipſam deſtruere. Cum igitur *Apoſtolica poteſtas non ſit in deſtructionem Eccleſiæ, ſed in ædificationem* 2. Corinth. 10. Non eſt credendum Summum Pontificem, huius Hierarchiæ generalem Rectorem, & Summum Hierarcham, per ſuam Apoſtolicam poteſtatem, ſeu per quodcumque priuilegium, eam velle confundere; videlicet *officia Perficientium*, id eſt Prælatorum, *quæ ſunt purgare, illuminare, conſummare*, ſecundùm quod ſuprà expoſita ſunt, *in Perficiendos*, id eſt, *in Monachos*, ſeu *Regulares viros*, infinitos & incertos, à ſe, vel ab Eccleſia canonicè non electos, & ſibi non cognitos, nec probatos, quique ſunt *de ordine Perficiendorum*, dum ſunt in ſuo inferiori ordine permanentes, generaliter transferendo; aut eos *Perfectiuis, ſeu Perficientibus*, id eſt Prælatis Eccleſiaſticis, in dictis officijs generaliter adæquando. Oportet enim in Eccleſia Dei eſſe quamdam inæqualitatem, Prælatorum ſcilicet, & ſubiectorum; neque enim Eccleſiæ vniuerſitas aliâ poterat ratione ſubſiſtere, niſi eam huiuſmodi magnus differentiæ ordo ſeruaret, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Cum igitur, vt dictum eſt*. Dicta ergo officia Eccleſiaſtica ad *Perficientes*, ſeu *Perfectiuos*, id eſt ad Prælatos Eccleſiarum pertinentia viris Regularibus, qui Græcè *Monachi* appellantur, in officio Monachali permanentibus, cum adhuc ſint in ordine *Perficiendorum*, vniuerſaliter & perpetuò delegare, ſeu committere, nihil aliud eſſet, quàm Monachos vniuerſaliter demonachare; niſi fortè fierent Rectores Eccleſiarum Parochialium, quod faciendum non eſſet, niſi publicâ neceſſitate vrgente; ſicut factum fuit in Eccleſia Italica tempore Gelaſij

Digitized by Google

Papæ, propter vniuersalem defectum Clericorum; eô quod propter belli famisque incursionem erat omnium ferè Clericorum officiô destituta, vt legitur 1. q. 7. §. *Nisi rigor*, & cap. seq. dist. 55. can. *Priscis*.

§. Verùm, si Hierarchis, id est Episcopis, & maximè Summo Hierarchæ, id est Summo Pontifici, Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate inspectis, visum fuerit expedire; possunt aliquos de ordine *Perficiendorum*, ad ordinem *Perfectiuorum*, id est de statu Monachorum, ad statum vel officium Prælatorum, dispensatiuè assumere, & eos facere Rectores Ecclesiarum. 16. q. 1. cap. *Monachi*, & cap. *Cum pro vtilitate*. Quod qualiter faciendum sit, legitur 16. q. 1. cap. *Sic viue*, §. *Ecce sufficienter*, in quo Paragrapho terminat Gratianus hanc quæstionem modô prædictô, vt ostendetur infrà dist. 2. §. *Sed fortè dicet*. Sic autem assumpti ad statum *Perficientium*, possunt omnia facere, quæ possunt alij *Perfectiui*, seu Prælati; Sed in subditos alienos, non possunt prædicta officia exercere, sicut nec alij Prælati; nisi fortè, vt dictum est, inuitati, vel nisi ex legatione superioris.

§. Possunt etiam ijdem Hierarchæ, præcipuè autem Summus, aliquos de prædictis *Perficiendis*, id est de Monachis, seu Regularibus viris non habentibus populum, in statu etiam suo manentes, ad quædam officia *Perfectiuorum*, id est Prælatorum Ecclesiæ, vrgente ipsius Ecclesiæ necessitate, vel euidente vtilitate, ad tempus dispensatiuè assumere; sicut factum extitit tempore Innocentij tertij de quibusdam Abbatibus Cistercienſis Ordinis, quos destinauit idem Innocentius ad prædicandum contra Hæreticos in partibus Tolosanis; & talis assumptio posset licentia Sedis Apostolicæ, vel potiùs legatio appellari. Quam quidem legationem, sicut & alias, necesse haberent tales destinati *signatis apicibus*, id est per sigillatas literas probare. dist. 97. can. *Nobilissimus*. Sed quod Dominus Papa, qui tamquam lux mundi, per suam & Fratrum suorum excellentem sapientiam illuminare, & regere habet Ecclesiam vniuersam, talem licentiam, seu talem legationem generalem, seu tale priuilegium generale, infinitis, & incertis, & ignotis sibi personis concederet, vt tot & tam generales, & aliquos tam indiscretos, in vniuersa Ecclesia vellet habere Legatos, in derogationem & confusionem Ecclesiasticæ Hierar-

chiæ, & in præiudicium Prælatorum Ecclesiæ vniuersæ; necnon in turpitudinem, & derisum Romanæ Ecclesiæ matris nostræ; non est verisimile rationibus supradictis. Præsertim, cum nolit Princeps per suam concessionem iurisdictioni alterius præiudicari. Extrà, *De officio Iud. ordin.* cap. *Licet.* Extrà, *De vsu pallij*, cap. *Ex tuarum*; nisi hoc in ipsa concessione expresserit. ff. *Ne quid in loco publico.* L. 2. §. *Si quis à Principe*; ne, quod absit, *inde videantur nasci iniuriæ vnde iura nascuntur.* Cod. *Vnde* vi. L. *Meminerint cuncti.* Extrà, *De Accusationibus*, cap. *Qualiter, & quando.*

§. Prælibatæ igitur Sacrosanctæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ Hierarcha Summus, ac eiusdem Zelator eximius, bonæ memoriæ Dominus Innocentius Papa quartus, *cupiens frenò iuris*, vt verbis eius vtar, *transgressionum iniurias cohibere, ac singulis Ecclesiis, & earum Ministris iura sua omnimodè illæsa seruare, contra excessus quorumdam Regularium, nihil nouum in cuiusquam inducendo grauamen; sed antiqua & moderna iura in medium deducendo*, constitutionem edidit prefatam Ecclesiasticam Hierarchiam solidantem, & multarum animarum pericula repellentem, quæ incipit; *Etsi animarum*, &c. inter alia continentem, *Quod nulli eorum Parochianos alienos diebus Dominicis & festiuis recipiant temerè ad diuina; nec eos admittant ad pœnitentiam absque licentia proprij Sacerdotis, vel saltem nisi primò confessi fuerint proprio Sacerdoti, & munus absolutionis consecuti fuerint ab eodem; & ne Parochialibus Ecclesiis deuotio debita subtrahatur, ante missarum solemnia, ad quæ audienda Parochiani primâ diei parte in suis consueuerunt, & debent Ecclesiis conuenire, Parochianis alienis nequaquam in suis Ecclesiis, prædicta, nec horâ ipsâ sermones solemnes faciant; ne propter hos audiendos, ad eos populus confluens, Parochiales Ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum solemniter ad alienas accedant Parochias, nisi à Sacerdotibus ipsorum Parochiarum fuerint inuitati, vel saltem nisi ad id humiliter petierint & obtinuerint se admitti. Transgressores autem huius constitutionis ipsô factô excommunicationem incurrant; & nihilominus à Diocesanis locorum ad præmissa vniuersa & singula obseruanda censurâ Ecclesiasticâ, appellatione remotâ, districtius compellantur, nihil eis contra hoc indulgentijs, vel priuilegijs valituris.* Nota quod dicitur in hac constitutione, *Vel saltem, nisi ad id*, scilicet ad prædicandum, *humiliter petierint, & obtinuerint se admitti*; per

Digitized by Google

hoc enim, quod dicitur, *vel saltem*, videtur innuere Dominus Innocentius, quod virum Regularem petere se admitti ad prędicandum, licet aliquatenùs toleretur, tamen non est omninò licitum. Nam Regulares viri populum non habentes, cum sint de ordine Perficiendorum, & non Perficientium, si suô inferiori ordine & officiô non contenti, à suis superioribus, id est ab ipsis Perficientibus, id est à Prælatis postulauerint, vel impetrauerint, vt liceat eis illorum officia exercere, videntur deordinare ac reuertsare, quantum in eis est, Ecclesiasticam Hierarchiam ad instar Cœlestis Hierarchiæ diuinitùs ordinatam, vt ostensum est suprà ead. dist. Nusquam enim legitur Angelos inferioris ordinis Hierarchiæ Cœlestis postulasse, vel impetrasse ab Angelis superiorum ordinum, vel etiam à Deo totius Principe Hierarchiæ, vt liceret eis superiorum officia exercere; sed sicut legitur *in Cœlesti Hierarchia*, cap. 3. *Illicitum est eis aliquid operarum, præterquam ordinatum est à Deo principe perfectionis, siquidem necessaria est eis diuinæ ordinationis obseruantia, ad hoc vt in suæ fœlicitatis statu persistant, &c.* Et certè simile potest dici, quod quandiù Monachi ordinem suæ subiectionis & humilitatis obseruant, tamdiu in fœlicitate sui status Monachici perseuerant; quandò verò Monachi ad officia Superiorum aspirant, tunc suum ordinem non obseruant; & ideo à fœlicitate, vel sanctitate sui status, vel ordinis, ad instar Luciferi declinant.

§. Non solùm autem Regularibus viris est illicitum publicè prædicandi officium postulare, verùm etiam Sæcularibus Clericis; nam certum est, quod nemo debet sibi assumere honorem, vel officium honoris, licet possit illud recipere, si ad hoc rectè eligatur; iuxta illud Hebræor. 5. *Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Gloss. *A Deo vocatur, qui rectè eligitur.* Sed constat, quod officium prædicandi honor est, vel officium honoris. Vnde super il- Matth. 4. *Statuit eum Diabolus super pinnaculum Templi*, dicit Gloss. *Ibi erant sedes Doctorum, vnde populo loquerentur*, id est sedes Prædicatorum. Sequitur in Gloss. *vbi multos viderat Diabolus capi vanâ gloriâ, honore Magisterij inflatos.* Ecce quod Magisterium Prædicatorum, seu officium prædicandi appellatur honor, vel officium honoris. Igitur nemo debet illud officium assumere, nisi ad hoc rectè eligatur; sed qui petit il-

lud, non expectat vt rectè eligatur, sed magis sibi assumere, vel ingerere se videtur; Ergo nemo debet petere officium prædicandi. Item locus Prædicatoris, vel Doctoris est locus superior, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Item certum est*; Ergo peti non debet, quia nec appeti, sicut dicit Glossa super illud 1. Timoth. 3. *Qui Episcopatum desiderat*, vbi dicitur. *Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita teneatur atque administretur, vt decet, indecenter tamen appetitur.* Item Gregorius in Registro. *Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.* Et habetur 7. q. 1. cap. *In Scripturis.*

§. Liquet igitur ex præmissis, quàm falsa & ridiculosa sit illa distinctio, quam quidam Aduersarius veritatis posuit in libello suo, qui incipit, *Manus, quæ contra Omnipotentem, &c.* in quo libello circa finem distinguit potestatem regiminis animarum in plura membra; & positis quibusdam membris, quibus veritas suffragatur, tandem ponit vnum membrum, cui & ratio, & authoritas aduersatur dicens, *Quod est quædam potestas regiminis animarum annexa personæ, vel statui, quæ non est ordinaria, nec delegata, seu imposita, sed voluntariè electa, & petita; & à fortiori*, vt asserit, *confirmata. Et habentes huiusmodi potestatem, licet secundum Ius Diuinum possint de Euangelio viuere, tamen secundùm Ius Canonicum, vel humanum, non possunt victum, seu procurationem ab Auditoribus suis potestatiuè exigere; sed si eis offerantur, licitè possunt recipere; si autem non offerantur, possunt ab ijsdem, propter Deum, licitè postulare.* In qua distinctione, quæ nullâ subnititur ratione, nec vllâ fulcitur authoritate, triplex falsum supponitur manifestè. *Primum est*, quod potestas animarum regiminis, quæ est potestas honoris, vt ostensum est paulò ante, licitè possit peti ab homine, cum è contrario indecenter appetatur; sed ad eam potiùs homo debeat eligi canonicè, & vocari, vt ostensum est in Paragrapho præcedenti. *Secundum falsum est*, quod talem potestatem sic petitam ab homine debeat Superior confirmare; cum è contrario illam petentibus debeat omninò negare, vt ostensum est paulò ante. *Tertium falsum est*, quod aliquibus debeatur victus de Euangelio Iure Diuinô, quibus non debetur Iure Canonicô, vel Humanô; cum è contrario omnia Iura Canonica, vel Humana, de sumptibus Euangelij constituta

Digitized by Google

ortum habuerint ab Ordinatione Diuina; nec possit potestas Euangelizandi à potestate viuendi de Euangelio separari, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Item, Vt ostendit Augustinus*, cum sequentibus quinque Paragraphis.

§. Item sciendum, quod si alicui officium publicè prædicandi præcipiatur, obedire quidem debet, non vt suam faciat voluntatem, sed magis propter bonum obedientiæ, & necessitatem doctrinæ; nam sicut dicit Gregorius in Moralibus. *Cum locus superior imperatur, qui ad hæc percipienda obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hoc ex proprio desiderio anhelat.* Et habetur 8. q. 2. cap. *Sciendum,*

§. Sed fortè dicet primarum cathedratum in Synagogis Amator, quod licet cuilibet habenti vitam, & peritiam prædicandi, se offerre ad prædicandum, & potestatem petere prædicandi, ad instar Isaiæ dicentis, Isa. 6. *Ecce ego, mitte me.*

§. Ad quod dicendum est, quod viro quoad vitam, & scientiam, & statum, ad prædicandum idoneo, tunc licet se offerre ad prædicandum; si à Superiori plebem habente fuerit requisitus; & hoc propter bonum obedientiæ, quemadmodùm Isaias Domino requirenti, & dicenti, *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Isa. 6. cum non obstaret eius status, vel professio, quod ex eo constat, quod cum Deus eum ad prædicandum vnà cum aliis requirebat, propter bonum obedientiæ se exposuit dicens, *Ecce ego, mitte me.* Vnde Gregorius. *Cum Omnipotens Deus ad prædicandum personam requireret dicens, Quem mittam, & quis ibit nobis? Vltro se obtulit Isaias dicens, Ecce ego, mitte me.* 7. q. 1. cap. *In Scripturis.* Quod autem Isaias ad prædicandum non se ingesserit, sed se Domino requirenti obedienter obtulerit, expresse dicit Dionysius *in Cœlesti Hierarchia* cap. 13. ita dicens. *Illum Angelum missum ad Prophetæ purgationem, non fuisse de summo ordine, sed de infimo; & illum dictum esse æquiuocè de Seraphim substantijs primi ordinis, propter incentiuam virtutem, quâ purgauit labia Isaiæ, à quâ denominatur Seraphim, & propter suscitationem Prophetæ purgati ad diuinam obedientiam, vt dicenti Domino, Quem mittam, responderet, Ecce ego, mitte me.* Nota quod dicit *ad diuinam obedientiam.* Ecce quod Isaias, non se ad prædicandum ingessit, nec irrequisitus se obtulit; sed Domino requirenti eum, purgatum se sciens humiliter obediuit. Si ergo talis

peritus non inuitetur ad prædicandum à Prælato, nec vllomodò requiratur ab eo; videtur, quod melius sit ei, & magis eligendum tacere, quàm se nullomodò requirenti offerre. Præsertim cum Ieremias etiam à Domino requisitus dicente, *Prophetam in gentibus dedi te, &c.* Ierem. 1. prædicationis officium recusauerit, dicens, *A A A Domine nescio loqui, quia puer ego sum, &c.* Ierem. 1. vbi dicit Gregorius. *Isaias prædicationis officium appetit, Ieremias mitti ad prædicandum renuit; sed qui recusauit penitùs non restitit, & qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit; ne aut non purgatus adire quis sacra mysteria audeat; aut quem Deus elegit, sub humilitatis specie superbè contradicat. Quia ergo difficile est purgatum se cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur; non tamen pertinaciter declinari debet, cum ad hoc suscipiendum superna voluntas agnoscitur.* Cum igitur difficile sit se purgatum agnoscere, & ideo tutius sit prædicationis officium declinare; patet, quod licet aliquis se scientem sentiat, & peritum ad prædicandum, non tamen debet desiderare, vel petere prædicationis officium, nisi videret & cognosceret propter defectum defensionis Ecclesiæ contra hostes eius, periculum ipsi Ecclesiæ imminere; tunc enim vi charitatis impulsus potest, & debet officium prædicandi, si ei imponatur, suscipere; sed necessitate cessante in corde suo debet taciturnitatis otium desiderare. Contrarium tamen volunt, & faciunt Arrogantes. Vnde super illud Iob 31. *Pro frumento oriatur mihi tribulus*, dicit Gregorius in lib. 23. Moral. *Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ spiritualis quisque Prædicator, quamuis scientem se esse sentiat, vellet tamen tam sapiens esse, nec videri.* Et infrà. *Et, si liceat, tacere appetit, dum multis silentium tutius esse cernit; eosque se feliciores esse putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat; & tamen, vt sancta Ecclesia defendatur, quia vi charitatis ad loquendum impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit. Hanc autem dicendi formulam Arrogantes ignorant.* Nota, quod dicitur, *Quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat*; Ex hoc enim patet, quod Monachatus, cum sit locus inferior Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sed datô*, & ostendetur infrà dist. 4. in 12. signo, §. *Cum enim Ecclesia*, debet occultare Monachum per silentium. Item nota, quod dicitur,

Digitized by Google

dicitur, *hanc dicendi formulam Arrogantes ignorant*; per hoc enim patet, quod illi, qui magis desiderant prædicare quàm tacere, nisi necessitate coacti procul dubiô Arrogantes sunt; præsertim, si non habent officium regiminis animarum. Cum enim, nec ex officio, nec ex alia necessitate canonica quis prędicare cogitur (prędsertim, si ad instar Isaię, nesciat se purgatum) tunc actus prædicationis, vt dictum est, tutiùs declinatur. Et hoc propter causas superiùs assignatas, & propter periculum vanæ laudis, cuius amor & delectatio, nisi operante Dominô, in prædicando vitari non potest. Vnde super illud 1. Thess. 2. *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes*, dicit Glos. *Quin loquendo, vel prædicando, non solùm Deo, sed etiam hominibus placere velimus, nisi Deus operetur in nobis, vitare nequimus. Quas enim vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor non sentit, nisi qui bellum ei indixerit; quia etsi cuiquam facilè est laudem non cupere, dum negatur, difficile est tamen eâ non delectari, cum offertur.* Patet igitur ex præmissis, quod nulli licet prædicta officia Ecclesiastica petere, nec etiam alijs illa publicè exercere, nisi Prę-latis Ecclesiasticis, vel ab eis decenter inuitatis, vel canonice destinatis, quamuis habeant licentiam prædictam generalem.

§. Cum ergo quæritur, quid confert licentia generalis publicè prædicandi, aut alia Prælatorum officia exercendi, si à Domino Papa conferatur infinitis & incertis personis, & ab eo non probatis, nec cognitis, vt obiectum est suprà ead. dist. §. *Sed adhuc dicet*; Responderi potest, quod si illæ infinitæ & incertæ personæ viri sint Regulares, qui Græcè *Monachi* appellantur; cum secundùm ordinem & gradum, quem tenent in Ecclesiastica Hierarchia, nec non secundùm Canonica instituta, statu professionis illorum impediente, non sint regulariter idonei ad prædicta officia exercenda, vt ostensum est suprà ead. dist. ab illo §. *Sed datô*; per illam generalem licentiam Domini Papæ dispensatiuè fiunt idonei quoad statum, vt non obstante ipsorum statu Monachali, ac inferiori gradu Ecclesiasticæ Hierarchiæ (secundùm quem statum canonicè prohibiti sunt ab illis officiis exercendis) licitè valeant inuitari à Presbyteris, & alijs Minoribus Ecclesiarum Prælatis, ad memorata officia in eorum Parochijs exercenda, si hoc viderint suis Ecclesiis expedire; dum tamen constet eis, quod illi sint idonei vitâ, & scientiâ, atque facundiâ; talibus enim tantùm

Digitized by Google

debet committi officium prædicandi, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Verùm, ſi Dominus Papa.*

§. Item, per præfatam licentiam generalem datam infinitis & incertis perſonis Regularibus ſupradictis, arbitramur hoc eis tribui, vt ab Eccleſiarum Prælatis faciliùs ac libentiùs debeant inuitari ad eorum prædicta officia exercenda; ſi tamen vitâ, ſcientiâ, & facundiâ exiſtant idonei, & in Sacris Ordinibus conſtituti. Talem enim conceſſionem Domini Papæ, ac taliter operantem videmus etiam in Decretali, Extrà, *De Eccleſiis ædificandis*, cap. *Ad audientiam*, vbi dicitur; quod Dominus Papa indulſit cuidam Epiſcopo, vt liceret ei ædificare Eccleſiam in Dioceſi aliena, dum tamen haberet conſenſum Dioceſani; & quæritur in *Apparatu*, quid proſit, aut conferat illa indulgentia, cum etiam ſine ipſa idem facere poſſet idem Epiſcopus de conſenſu Dioceſani; & reſpondetur, illam indulgentiam ad hoc prodeſſe, vt per eam conſenſus Dioceſani faciliùs impetretur. Similiter dici poteſt in caſu iſto; Nec enim credendum eſt Summum Pontificem (cuius poteſtas eſt *non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem Eccleſiæ*, vt legitur 2. Cor. 13. qui etiam *nihil poteſt aduerſus Veritatem, ſed pro Veritate*, vt legitur ibidem) totam Eccleſiaſticam Hierarchiam vnitatem & pacem Eccleſiæ conſeruantem, ab ipſo Deo inuentam, in Sanctorum Scriptis diuinitùs exaratam, & Sanctorum Patrum Concilijs poſtmodùm declaratam, per prædictam licentiam generalem velle ſubuertere; videlicet, vt Monachi, ſeu Regulares viri, qui Prælatis Eccleſiaſticis canonicè ſunt ſubiecti, per talem licentiam eis in officio prędicationis, ſeu in alijs officiis Eccleſiaſticis, adæquentur vniuerſaliter, vel etiam præponantur, contra canonicas ſanctiones. Sed hoc ſolùm videtur concedere, vt à Prælatis Eccleſiarum, cum hoc viderint Eccleſijs ſuis expedire, poſſint modô conſuetô & legitimô, vt prædictum eſt, ad prædicta officia inuitari; quemadmodùm dicitur in Lege Ciuili; quod ſi Imperator alicui conceſſerit liberam teſtamenti factionem, nihil aliud videtur concedere, niſi vt habeat conſuetam & legitimam teſtamenti factionem; non enim credendum eſt, Romanum Principem, qui iura tuetur, huiuſmodi verbô, totam obſeruantiam teſtamentorum, multis vigiliis excogitatam atque inuentam, velle euertere. Cod. *De inofficioſo teſtamento*, L. *Si quando.*

§. Patet igitur falſum eſſe, quod prefatus Aduerſarius veritatis prope finem libelli ſui preſumpſit ſcribere; videlicet, quod prefatę infinitę & incertę perſonę, per predictam licentiam generalem, maiorem habeant vbique authoritatem in animarum regimine, quàm Epiſcopi Eccleſiæ vniuerſæ, licet ijdem Epiſcopi maiores ſint dignitate; & quod Summus Pontifex poteſt de iure dictam authoritatem ipſis vniuerſis pro ſua voluntate auferre, & præfatis infinitis & incertis perſonis pro ſua voluntate conferre. Quæ licet adulando dicta videantur ad honorem Eccleſiæ Romanæ, in veritate tamen magis ſunt ad eius confuſionem, & totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, vt ſatis liquere poteſt per ea, quæ dicta ſunt ſuprà ead. diſt. ab illo. §. *Sed datô*, vſque ad illum §. *Verùm ſi Hierarchis.* Maximè cum dicat Gregorius Papa, *Nec honorem meum eſſe deputo, in quo Fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco; meus eſt honor Fratrum meorum ſolitus vigor; tunc ego honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur*; & cætera, quæ dicta ſunt ſuprà ead. diſt. §. *Item non eſt intentionis.* Hæc autem omnia dicuntur de iure communi, ſine præiudicio ſententiæ melioris, diſpenſationibus, & ordinationibus Domini Papæ, & Coëpiſcoporum ſuorum, in omnibus, & per omnia ſemper ſaluis.

§. Notandum autem, quod illi, qui cum ſint de inferiori ordine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ (videlicet de ordine *Perficiendorum*, vtpotè Laici, vel Monachi, ſeu Regulares viri populum non habentes) ordinem tamen ſuperiorem, videlicet ordinem *Perficientium*, ſibi vendicare volentes, ad officia eorum ſine canonica vocatione ſe ingerunt; & cum ad hoc non ſint per Eccleſiam ordinariè inſtituti, vt tamen illa officia ſibi ſub ſpecie publicæ vtilitatis & zeli animarum defendant, Opitulationes Prælatorum ſe vocant; cum nec Apoſtolicæ Sedis Legati, nec ab ea canonicè deſtinati, nec ab Epiſcopis, vel alijs Eccleſiarum Prelatis rectè vocati exiſtant; profectò, cum in ordine *Perfectiuorum*, vt oſtenſum eſt, regulariter eſſe non poſſint; in ordine verò *Perficiendorum* eſſe non velint, poteſtate & voluntate ſibi inuicem repugnantibus, vt legitur Extrà', *De officio Legati.* §. *Cum ſuper Abbatia*; in nullo gradu eiuſdem Hierarchiæ poterunt reperiri. Propter quod timere poſſunt, ne illuc per iuſtitiæ ordinem detrudantur, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus*

horror inhabitat. Iob 10.

§. De Pseudo igitur Prædicatoribus in generali; *Qui sint; & qualiter, & quot modis fiunt Pseudo; Et qualiter vsurpant authoritatem in Ecclesia generali*, huc vsque diximus; quædam tamen de illis in sequentibus adiungemus.

§. Post hæc autem dicendum est specialiter *De illis Pseudo, qui ad decipiendos homines penetrant domos.* Et primò *Quare dicantur penetrare domos*; secundò *Qualiter procedent tam ipsi, quàm alij Pseudo, seducendo fideles Christi*, infrà ead. dist. §. *Nunc autem videndum*; Et *qualiter sint Ecclesiæ periculosi.*

§. Quoniam autem *domus* dupliciter accipitur in Scriptura; videlicet *domus materialis, quæ corporaliter habitatur*, de qua dicitur Isa. 5. *Væ, qui coniungitis domum ad domum, &c.* & *spiritualis domus, quæ conscientia dici potest*, iuxta illud Eccles. 32. *Præcurre prior in domum tuam*; Gloss. Id est, *in domum conscentiæ tuæ*; Ideo dupliciter exponit Glos. illud Apostoli 2. Timoth. 3. *Ex his sunt, qui penetrant domos.* Primò sic, *Penetrant domos*, id est ad literam *ingrediuntur domos mulierum, & decipiunt eas*; vnde subdit, *Et captiuas ducunt*, Glos. Id est, *subdolis & versutis verbis seducunt*, MVLIERCVLAS, Glos. *priùs, & per eas viros earum; sicut Diabolus priùs seduxit Euam, & per eam Adam* Ideo dicitur Mich. 7. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Glos. *Ne tibi eueniat, vt Samsoni, videlicet qui seductus fuit per mulierem.* Iud. 16. Sequitur. *Mulierculas*, dico, *oneratas peccatis*; Glos. *quæ propter peccata sua seduci meruerunt.* Vnde sequitur; *Quæ ducuntur variis desideriis*; Glos. *quia semper noua desiderant.*

§. Et certè seductæ magis ac magis onerantur peccatis per eos; quia licet ab initio fortè per simulationem hypocrisis videantur habere spiritualem familiaritatem cum illis, in fine tamen cum eis plerumque incestuosè commiscentur; vnde Hildegardis in Epistola supradicta. *Seductores autem isti in inceptione seductionis sui erroris mulieribus dicent; Quoniam rectos Doctores non habetis, non obedite; sed quodcumque vobis dicimus & præcipimus, facite, & saluæ eritis. Et hôc modô fœminas sibi attrahunt, ac eas in errorem suum ducunt.* Et infrà. *Qui tamen postea eisdem fœminis, secretâ luxuriâ commiscebuntur.* De his Mulieribus dici potest ad literam, quod secundùm aliam intelligentiam dicit Apostolus de Galatis, Gal. 3. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, car-*

Digitized by Google

ne|consummemini. Tales olim ingemuit Seductores vrbs Roma, videlicet Antonium & Sophronium hypocritas; qui ad instar captiuorum catenati, ad instar fœminarum criniti, ad instar hircorum barbati, ad instar pœnitentium vestibus nigris induti& discalceati, coram hominibus incedentes, & longa ieiunia simulantes, latenter tamen noctibus comedentes, domos Nobilium penetrabant, & seducebant; de quibus Hieronymus *Ad Eustochium*, in libro *De Virginitate*, ita dicit. *Viros fuge, quos videris catenatos; quibus fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi pedes in patientiam frigoris. Hæc omnia*, inquit, *argumenta sunt Diaboli. Talem olim Antonium, talem nuper Sophronium Roma congemuit; qui postquàm Nobilium introierunt domos, & deceperunt m. lierculas oneratas peccatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, tristitiam simulant; & quasi longa ieiunia festiuis noctium cibis protrahunt.* Sic ergo exponitur verbum Apostoli supradictum de illis, qui penetrant domos, secundùm quod *domus* sumitur *pro domo materiali.*

§. Secundùm verò aliam significationem huius nominis *domus*, exponit Glos. sic. *Penetrant domos*, Id est *rimantur proprietatem cuiusque; & quos idoneos inueniunt, seducunt, & captiuos ducunt.* Vnde subdit. *Et captiuas ducunt mulierculas*; Glos. *Id est viros seductibiles, quasi mulieres, seducunt*; Quasi diceret, *Ad se, siue ad sua consilia ducunt, vt eos sibi alliciant, & à propriis Prælatis eorum auertant*, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Quidam autem canonicè.* Has igitur mulierculas, id est viros inconstantes, & ob hoc seductibiles, de facili seducere possunt Seductores prædicti, meritô peccatorum ipsorum, & quoniam instabiles sunt; quod ex eo patet, quoniam semper desiderant nouitates; vnde subiungit Apostolus. *Mulierculas* dico *oneratas peeccatis.* Glos. *Et ideo dignæ sunt seduci*; vnde subdit, *Quæ ducuntur varijs desiderijs*; Glos. *Quia semper noua desiderant; firmos enim seducere non possunt.* Secundùm hanc expositionem secundam *penetrare domos*, siue *rimari proprietatem cuiusque*, nihil aliud est, *quàm rimari secreta conscientiarum hominum ad curam & regimen suum impertinentium, vel etiam extraordinariè pertinentium*; si tamen ad hoc rimetur quis, vt eos prædictô modô seducat; sic autem non potest rimari quis, nisi audiendo confessiones illorum, *Quis enim hominum*

ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. 1. Cor. 2. Ideo autem dicuntur penetrare domos conſcientiarum, & non intrare per oſtium, id eſt per Chriſtum Ioan. 10. *Ego ſum oſtium*; quia præter authoritatem Eccleſiæ Chriſti, vel contra voluntatem Chriſti; videlicet ad ſeducendum fideles Chriſti ingerunt ſe ad audiendum confeſſiones plebium non ſuarum. Si enim Eccleſiæ authoritate canonicè miſſi, & non ad ſeducendum hoc facerent, iam non penetrarent domos conſcientiarum, ſed intrarent per oſtium, id eſt per Chriſtum ſcilicet per Chriſti Eccleſiæ authoritatem, & per eius voluntatem; & ſic eis *Oſtiarius aperiret*, id eſt *Chriſtus*. Ioan. 10. & ſic Paſtores eſſent, non Pſeudo, iuxta illud Ioan. 10. *Qui autem intrat per oſtium* Paſtor *eſt ouium*. Gloſ. *Quicumque ſub Chriſto* Paſtor *eſt, per Chriſtum intrat in corda hominum*, Id eſt per authoritatem Eccleſiæ Chriſti, & per voluntatem Chriſti; intrat, inquam, in corda hominum, videlicet per ſuam prædicationem, & illorum confeſſionem.

§. Paſtori autem debet huius domus oſtium aperiri, iuxta illud Boëtij *De conſolatione* lib. 1. *Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus detegas.* Alieno verò, & non Paſtori, vel ab eo non miſſo, domus huius oſtium aperire, non vacat à periculo, propter dolum Penetrantium domos; vnde Eccleſiaſtic. 11. *Non omnem hominem inducas in domum tuam*. id eſt, ad ſecretum conſcientiæ tuæ, *multæ enim ſunt inſidiæ doloſi*. Gloſ. *Cautum & prouidum docet te eſſe contra ignotum; ne ſimulationi eorum acquieſcas, qui veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Et in eodem cap. *Admitte ad te alienigenam*, Gloſ. *Id eſt quemlibet peruerſum*; videlicet ad ſecretum conſcientię tuæ; *& abalienabit te à vijs proprijs*, Glo. *quæ tibi datæ ſunt, & oſtenſæ*. Sic autem alienant homines à viis propriis Pſeudo-Prædicatores, & illi qui penetrant domos; inducendo ſcilicet eos ad nouitates, & ſuperſtitiones ſuas, & ad ſua conſilia ducentes, omiſsis viis propriis, quæ eis datæ ſunt & oſtenſæ; id eſt omiſſâ vitâ communi Patrum noſtrorum, & conſuetâ, & omiſſis propriorum conſiliis Prælatorum, vt dictum eſt ſuprà ead. diſt. Et ideo tali alieno dicendum eſſet illud Apoſtoli Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum? Domino ſuo ſtat, aut cadit*; id eſt *ſuo Prælato.*

§. Alienus igitur, ſi ſine licentia proprii Sacerdotis, vel

Digitized by Google

eius ſuperioris, rimetur conſcientiam ſubditi alieni, non intrat per oſtium domus eius, vt dictum eſt; ſed aliunde aſcendit, quod alienum eſt, præter authoritatem Eccleſiæ vſurpando; & ideo dicitur penetrare domum, tamquam fur & latro. Ioan. 10. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt & latro* Gloſ. *Fur eſt, quia quod alienum eſt, ſuum dicit; Latro, quia quod furatus eſt, occidit*; videlicet, *ſpiritualiter ſeducendo*, id eſt, *ad ſe, & ad ſuas ſuperſtitiones ducendo.* De talibus dicit Bernardus, *Qui infideliter intrat, & non per Chriſtum, quidni infideliter agat, & contra Chriſtum?* patet igitur ex prædictis *Qui ſint Pſeudo, & Penetrantes domos; & quare ſic appellentur.*

§. Nunc autem videndum, *Qualiter procedant Pſeudo, & Penetrantes domos, ſeducendo fideles Chriſti; & qualiter ex hoc ſint periculoſi Eccleſiæ generali.* Et quidem, vt faciliùs fideles Chriſti ſibi alliciant, & ſeducant, ſimulant ſe habere charitatem; vnde ſuper illud 2. Corinth. 6. *In charitate non ficta*, dicit Gloſ. *Pſeudo ſimulant charitatem, vt decipiant.* NEQVE *enim ad ſe bonos ſuâ perſuaſione traherent, ſi ſe peruerſos in ſuis actibus exhiberent*, vt dicit Gregorius lib. 22. Moral. ſuper illud Iob 40. *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt.* Vnde ſub prætextu abundantis charitatis quandoque ſimulant ſe habere maiorem zelum animarum ad regimen eorum impertinentium, quàm earum Paſtores, qui eas ſpiritualiter paſcere, & ob hoc magis amare tenentur; iuxta illud Ioan. 21. *Si diligis me, paſce oues meas*; cum tamen contrarium præſumi debeat, iuxta veritatem Scripturæ. Vnde ſuper illud 1. Theſſ. 2. *Facti ſumus ſicut parvuli in medio veſtrûm, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos*, dicit Gloſ. *Alienos filios nutrit quandoque mulier pro mercede, non pro amore; proprios verò ex dilectione.* Præſumendum ergo eſt, quod Prælati curam animarum habentes plùs diligant ſpiritualiter ſubditos ſuos, tamquam filios ſuos ſpirituales, & magis ſolliciti ſint de illis, tamquam de quibus neceſſe habent reddere rationem, & quorum animæ erunt pro animabus illorum, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. quàm alieni, qui curam animarum eorum non habent; & ideo fidelior eſt doctrina illorum, quàm eorum, qui curam animarum non habent. Vnde Eccleſiaſtic. 37. *Vir ſapiens*, Gloſ. Doctor Eccleſiaſticus, *erudit plebem ſuam*, Gloſ. id eſt ſibi commiſſam; *& fructus ſen-*

ſua illius, Gloſ. id eſt doctrina & prædicatio illius, *fideles ſunt*. Quaſi diceret, *fidelior eſt doctrina Prælatorum, qui curam animarum habent, quàm alienorum, qui curam animarum non habent.*

§. Deinde verò ſub prætextu zeli animarum, quaſi volentes ſupplere negligentiam, vel ignorantiam, ſeu impotentiam Prælatorum, ingerunt ſe dicti Pſeudo ad prædicandum ſubditis alienis; vt per hoc, eos ſibi alliciendo ſub ſpecie pietatis, fauorem hominum, & gloriam huius mundi acquirant, & etiam temporalem ſubſtantiam, vnde viuant. Vnde ſuper illud Philipp. 1. *Siue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur*, vbi loquitur Apoſtolus contra Pſeudo, dicit Gloſ. *quidam ex occaſione euangelizant, quærentes commoda ſua, vel pecuniaria, vel honorum, vel laudis humanæ, quomodolibet volentes accipere munera, non tam ſalutem quærentes eius, cui annuntiant, quàm commodum ſuum; volunt enim videri animarum conſultores, cum magis ſint proditores; magis enim plerumque conſulunt causâ ventris, quàm causâ dilectionis.* Vnde Eccleſ. 37. *Sodalis amico condolet causâ ventris*; Gloſ. *Id eſt causâ commeſſationis.* Item Gloſ. ibid. *Omnia ficte faciunt, quaſi animarum conſultores, cùm ſint proditores.* Vnde illud Chriſti Matth. 7. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*; hæc enim authoritas, non ſolùm intelligitur de Hęreticis, ſed etiam de Pſeudo-Apoſtolis, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Inter iſtos.* Contra tales conſultores dicit Eccleſiaſticus paulò poſt. *A malo Conſiliario ſerua animam tuam; prius ſcito, quæ ſit illius neceſsitas.* Gloſ. *Docet cautelam eſſe habendam in ſuſcipiendis amicis, & conſiliarijs; multi enim ſe amicos & conſiliarios fingunt, & inſidias tendunt.*

§. Ob hoc idem, & ſub eodem prętextu, ingerunt ſe quandoque Pſeudo, & Penetrantes domos, ad audiendum confeſſiones ſubditorum alienorum, vt dictum eſt; in quibus confeſſionibus quandoque fortè rimantur propria nomina & peccata, non ſolùm confitentium, verùm etiam, quaſi peccatorum circumſtantias inquirendo, rimantur à confitentibus aliorum nomina & peccata, cum quibus ipſi peccauerunt, vel quorum peccata nouerunt; propter quod ſignanter dicit Gloſ. prædicta, *Quod ipſi rimantur proprietatem cuiuſque.* Ex quo contingit plerumque, quod illi taliter confitentes, qui per ſuam confeſ-

ſionem

Digitized by Google

ſionem deberent fieri meliores, per eamdem aliorum peccata prodendo fiunt deteriores; videlicet proditores, & detractores. Hæc autem fortè faciunt Seductores prędicti, vt plurimorum peccata ſcientes, magis timeantur ab illis, quorum peccata norunt, & ob hoc eis chariores exiſtant; cum ab illis ſe timeant accuſari, vel diffamari, iuxta illud Iuuenalis

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.

Item in eodem.

Charus erit Verri, qui Verrem tempore quouis
Accuſare poteſt.

§. Huiuſmoe Rimatores deſidioſi ſunt ad cognoſcendum vitam ſuam, ſed valde curioſi ad cognoſcendum alienam; quaſi vellent ſanare languores ſpirituales hominum ad curam & regimen ſuum impertinentium; cum tamen magis intendant eos decipere, & ſibi allicere, quàm ſanare; quemadmodum de quibuſdam dicit Auguſtinus in lib. 10. *Confeſſionum* dicens. *Quid mihi cum hominibus, vt audiant confeſsiones meas, quaſi ſanaturi ſint languores meos? contentioſum genus ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſum ad cognoſcendum ſuam.* Item Luc. 14. ſuper illud, *Iuga boum emi quinque*, dicit Gloſ. *Curioſus, dum inueſtigat vitam proximi, ſua intima neſcit; & Curioſi animus, quantô eſt peritus alieni, tantô eſt ignarus ſui.*

§. Conſequenter verò, poſtquàm modô prædictô, vel alijs, rimati fuerint proprietates cuiuſque; tunc quoſcumque poſſunt, maximè autem maiores, ad ſuam ſimulationem inducunt; hic eſt enim mos hypocritarum. Vnde Gregorius in lib. 8. Moral. *Vtinam hypocritis ſua damnatio ſola ſufficeret, & nequaquam peruerſa eorum ſtudia ardenter alios ad viam damnationis inſtigarent; hoc namque vniuſcuiuſque hypocritæ proprium eſſe ſolet, vt qualis ipſe fuerit, tales & alios coniungi ſibi velit; ſimplicitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat, quod amat. Vnde & apud hypocritarum ſenſum ſimplicitas omnis in crimine eſt; apertas quippe mentes dijudicant, & puritatem cordis hebetudinem appellant.* Sic igitur decipiunt iſti falſi Fratres hypocritæ ſimulando, & ad ſimulationem omnes, quos poſſunt, inducendo; donec ad tantum numerum fictorum hominum, ſeu ſimulatorum perueniant, qui magnum faciant populum Antichriſto venturo. Vnde ſuper illud 2. Theſſ. 2. *Nam myſterium iam operatur iniquitatis*, dicit Gloſ. *Quidam putant hoc eſſe dictum*

de quibuſdam fictis, qui ſunt in Eccleſia Dei tandiù, donec ad tantum perueniant numerum, quod Antichriſto magnum faciant populum; & hoc eſſe dicunt myſterium iniquitatis; quia videtur occultum; & de hoc dictum eſſe, QVID NVNC DETINEAT, SCITIS? Quaſi diceret. *Hoc detinet Antichriſtum, quominùs adhuc veniat; quia nondum habet completum numerum fictorum hominum, qui eum recepturi ſunt, ſed paulatim congregantur tales in Eccleſia Dei ſub ſpecie pietatis; & cum adeò multiplicati fuerint, quod magnum facient populum Antichriſto venturo, tunc veniet Antichriſtus.* Et hoc appellatur *myſterium iniquitatis*, hoc eſt *occulta iniquitas*; quoniam pauci hoc aduertunt; & hoc pleniùs oſtendetur infrà ead. diſt. §. *Item vide.*

§. Quoniam igitur dicti falſi Fratres, etiam ſimulatores ſunt, & quoſcumque poſſunt, ad ſimulationes inducunt, & tam in vitio, quàm in numero magis ac magis multiplicantur & creſcunt; ideo tanta eſt ſimulatio in Eccleſia, quod veri & ſimplices fideles Chriſti parùm aut nihil fidelitatis & veræ ſimplicitates inueniunt apud proximos ſuos, iuxta illud Eccleſ. 13. *Veſtigium boni cordis, & faciem bonam vix inuenies, & cum labore.* Gloſ. *Quia multi ſimulati & ficti, ideo difficilè inuenitur, in quo cor eius, & facies, & cogitatio, & operatio, atque doctrina in bono conueniat; cum autem hoc inueneris, da gloriam Deo, quia eius donum eſt.* Et ideo cauere oportet ab omnibus, iuxta illud Ieremiæ 9. *Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in fratre ſuo non habeat fiduciam.* Eccleſiaſtic. 32. *Et à filijs tuis*, Gloſ. quos in doctrina Eccleſiæ genuiſti, *caue, & à domeſticis tuis*, Gloſ. id eſt à falſis fratribus, *attende.* Maximè autem cauere oportet à deceptionibus Pſeudo-Prædicatorum, qui adulando amicitiam ſimulantes, ſub ſpecie charitatis ſe ingerunt ad ducatum ſubditorum alienorum, ſiue ad regimen animarum eorum, & ad rimandum per confeſſiones ſecreta illorum, propter quod non eſt ſecurum illis credere, nec ſecreta cordium aperire. Vnde Mich. 7. NOLI *credere amico*; Gloſ. *Id eſt vocibus Pſeudo-Prophetarum, qui ſe fingunt adulando amicos.* NOLI *confidere in duce*; Id eſt in illo, qui ſub ſpecie pietatis ſe ingerit ad ducendum te, prædicando ſcilicet, & confeſſiones audiendo, cum tamen ſis ſubditus alienus; ſicut faciunt Pſeudo, & Penetrantes domos, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Deinde verò*, & §. *Ob hoc idem.* Sequitur. *Ab ea,*

Digitized by Google

quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Quaſi diceret. *A valde familiari & ſecretario, etiam cauendum erit.* Ecce magnum periculum in Eccleſia, videlicet defectus veritatis, & fidelitatis, & veræ ſimplicitatis; quod periculum maximè multiplicatur per falſos Fratres prædictos, ſanctitatis ſpeciem præferentes, & ſecreta hominum prædictis modis rimantes, & ad ſuam ſimulationem inducentes, vt oſtenſum eſt ſuprà.

§. Deinde verò, poſtquàm ſecreta hominum modis prædictis cognouerint, & ad ſuam ſimulationem eos induxerint; tunc, quemadmodùm Iamnes & Mambres Magi Pharaonis Regis Ægypti, per ſuam ſimulatam ſapientiam & ſanctitatem, quaſi haberent diuinitùs potentiam miracula faciendi, induxerunt illum Regem, & populum eius, ad magis credendum ſibi, quàm Moyſi veritatem dicenti; & ſic reſtiterunt veritati annuntiatæ per Moyſem, Exod. 7. 8. 9. 10. 11. Sic & iſti Pſeudo, & Penetrantes domos, per ſuam ſimulatam ſapientiam & ſanctitatem, quam impudenter oſtentant, nouas ſuperſtitiones ſub ſpecie Religionis inueniendò, nec non plerumque miracula ſimulando, vel falſa, id eſt ad fallendum miracula oſtentando, Principes Chriſtianos, ac eorum ſubiectos ita ſeducunt, quod inducunt eos ad magis credendum ſibi, quàm propriis Prælatis eorum, & Magiſtris veracibus, qui per Moyſen Rectorem Eccleſiæ Iudæorum, & Doctorem Legis Diuinæ, rectè ſignificantur; & per conſequentiam auertunt eos â conſiliis Prælatorum, & à doctrina Doctorum veracium, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quidam autem canonicè*, & §. *Poſt hoc autem*. Et hôc modô reſiſtunt dicti Pſeudo veritati doctrinæ Eccleſiaſticæ illius, qui ſimulationes & fraudes eorum detegit; quoniam aſpera eis videtur, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Fideles igitur*; quemadmodùm contigit illis prænuntiis Pſeudo, & Penetrantibus domos, qui erant in primitiua Eccleſia, tempore ſcilicet Apoſtolorum; de quibus dicit Apoſtolus 2. Timoth. 3. *Quemadmodùm enim Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt veritati.* De quibus etiam dicitur paulò ante textum illum in Gloſ. *Iam horum prænuntij quidam ſunt, ſed plures in fine futuri ſunt.* Quæ Apoſtoli verba, licet exponentur in Gloſ. de Pſeudo & Penetrantibus domos Hæreticis, & prædicantibus errores hæreticos; tamen nihilominùs adeò ſanè, immò & vtiliter poſſunt exponi de illis Pſeudo & Pene-

Digitized by Google

trantibus domos, qui licet nondum prædicent manifestos errores, tamen prædicant veritatem in dolo, vt seducant, id est ad se ducant, siue sibi alliciant subditos alienos, & eos faciant, quasi suos. Vnde paulò post super illud, *Insipientia enim illorum omnibus manifesta erit*, dicit Glos. *Comparat istos seductores Apostolus Magis Pharaonis, quos Ieremias Perdici insipienti auiculæ comparat dicens; clamauit Perdix, congregauit quæ non peperit, fecit sibi diuitias, non cum iudicio, in medio dierum eius derelinquent eam, & in nouissimis suis erit insipiens*, id est *manifestabitur esse insipiens*. Tangit hîc Ieremias naturam Perdicis, *quæ alij Perdici surripiens ouа sua, fouet ea; denique cum pulli vocem propriæ genetricis audierint, naturali quodam instinctu, hanc quæ fouit relinquunt, & ad eam, quæ genuit, reuertuntur*, vt dicit Isidorus *Etymolog.* lib. 11. cap. *De Auibus*. Ecce quod secundùm Glos. istam exponitur Scriptura prædicta de illis Pseudo & Penetrantibus domos, qui per clamorem suum, id est per suam prædicationem & suasionem congregant subditos alienos, & eos faciunt quasi suos, sibi alliciendo & seducendo, id est ad se, siue ad consilia sua ducendo; qui tamen seducti plærumque cognitâ illorum fallaciâ derelinquunt eos, id est resipiscunt à doctrina illorum. Et sic plærumque *manifestatur insipientia illorum* Pseudo, iuxta Prophetiam Apostoli supradictam; *Quæ tamen illorum insipientia priùs putabatur sapientia*, vt dicit Glos. ibidem.

§. Ista etiam expositio facta de Pseudo & Penetrantibus domos, hypocritis, & prædicantibus veritatem in dolo, ad alliciendum sibi subditos alienos, similiter, vel forsan vtiliùs ædificat Ecclesiam Dei; instruendo scilicet eam contra seductiones illorum Pseudo, qui propter simulatam illorum sapientiam & sanctitatem difficiliùs cognoscuntur; sicut illa, quæ exponit de Pseudo & Penetrantibus domos iam seminantibus hæreticos errores; qui errores modò propter diuulgatam notitiam fidei, faciliùs cognosci possunt. Et ideo sana & vera est ista huius Scripturæ expositio, sicut illa, licet etiam aliter senserit author eius. Nam sicut dicit Gregorius super illud Ezech. 3. *Vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* QVI *in expositione sacri eloquij aliter, quàm is, qui protulit, senserit, & sub alio intellectu ad ædificationem tendit, Domini sunt verba, quæ dicit.*

Digitized by Google

§. Item ſicut Hæretici appellantur ſpiritualiter falſi Prophetæ, generaliter tamen omnes Hypocritæ falſi Prophetæ dicuntur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Inter iſtos autem*, in fine; ita, licet Gloſ. illud, quod dicitur de Penetrantibus domos, ſpecialiter exponat de Hæreticis, qui ſub ſpecie pietatis rimantur proprietates, id eſt ſecreta conſcientiarum hominum, vt eos ſeducant, hæreſes immittendo; tamen generaliter exponi poteſt de illis Hypocritis, qui ſub ſpecie pietatis & zeli animarum, rimantur conſcientias hominum, vt eos ſeducant, id eſt ad ſua conſilia ducant, ſiue ſibi alliciant, à Prælatorum ſuorum conſilijs auertendo, & ad ſuperſtitiones ſuas inducendo. Sic igitur habemus *Qualiter Pſeudo, & Penetrantes domos, procedunt ſeducendo ſubditos alienos.*

§. Plærumque etiam quoſdam ſimpliciores miris modis ſeducunt, eos ſcilicet per iuramenta, vel vota, vel per alia ſuperſtitioſa vincula, importunè ſibi, ad viuendum ſecundùm ſua conſilia, obligando. Propter quod ſignanter dicit de illis Apoſtolus 2. Timoth. 3. *Et captiuas ducunt mulierculas*; Gloſ. *Id eſt viros ſeductibiles quaſi mulieres*; captiuari enim meritò dici poteſt, qui à ſua recta & libera voluntate, & propria poteſtate, vel à poteſtate illius, cui ſubiectus debet eſſe, in alterius & alieni ſibi hominis redigitur voluntatem & poteſtatem. Sic autem captiuant ipſi homines ſeductibiles per magnam importunitatem; importuni enim ſunt ad decipiendum. Vnde 2. Theſſ. 3. ſuper illud, *Fidelis Deus, qui confirmabit vos*, dicit Gloſ. *Ne importuni vos decipiant*, ſcilicet *Pſeudo*,

§. Ex hac autem ſeductione contingit, quod fideles Chriſti modô prædictô ſeducti, prædictos Seductores præferunt Prælatis ſuis, contemnentes ipſos Prælatos, & minùs ſentientes de ipſis; præſertim propter compoſitos ſermones Pſeudo-Prędicatorum, ſicut contigit in Eccleſia primitiua; vnde 2. Cor. 11. ſuper illud, *Nam ſi imperitus ſermone*, dicit Gloſ. *Corinthij præferebant Pſeudo veris Apoſtolis causâ accurati ſermonis.* Item 1. Corinth. 9. ſuper illud, *Non ſum liber? non ſum Apoſtolus?* dicit Gloſ. *Intendit ſe probare Apoſtolum, quia occaſione Pſeudo-Apoſtolorum minùs de eo ſenſerunt Corinthij.*

§. Contemptus verò Prælatorum à ſubditis, magnum eſt periculum; non ſolùm in ſubditis, ſed etiam in Prælatis. Nam exinde incidunt ipſi Prælati in odium contra ſubiectos; vnde

ſuper illud 1. Timoth. 3. *Oportet Epiſcopum bonum habere teſtimonium ab his, qui foris ſunt, vt non incidat in opprobrium, & in laqueum Diaboli*, dicit Gloſ. *vt non incidat Epiſcopus in contemptum apud fideles*, ſcilicet ſubditos ſuos, *& ſic poſtmodùm incidat in odium*, ſcilicet contra contemptores ſuos. Ecce magnum periculum in Eccleſia, Dei videlicet contemptus ſubditorum ad Prælatos; & odium Prælatorum ad ſubditos. Si enim ſubiecti Prælatos deſpiciant, conſtat quod eorum doctrinam contemnent, iuxta illud Gregorij, *Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur.* Cum tamen doctrinam Prælatorum, licet mali exiſtant, obſeruare & facere teneantur, in his ſaltem, quæ pertinent ad cathedram, iuxta præceptum Domini Matth. 23. dicentis, *Quæ dicunt*, Gloſ. pertinentia ad cathedram, *obſeruate*, Gloſ. in corde, *& facite*, Gloſ. *in opere*; VBI *enim incolumitas obedientiæ, ibi ſana eſt forma doctrinæ.* diſt. 61. can. *Miramur.* Si autem Prælati ſubiectos odiant, conſtat quod eos ex charitate non paſcent, ſed tantùm pro temporali mercede; & ſic erunt Mercenarij, & non Paſtores, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quidam verò alij.*

§. Poſtquàm autem fideles Chriſti Prælatos Eccleſiarum contempſerint propter Pſeudo & Penetrantes domos ſeducentes & captiuantes illos, tunc ipſi Pſeudo proficiunt in peius, & quaſi ſeducendi officium habentes pedetentim mittunt homines in errores, quia *ſermo eorum vt cancer ſerpit* 2. Timoth. 2. Gloſ. *A paruo ad magnum paulatim tendit, quæ ſana ſunt corrumpendo.* Et hoc prophetauit Apoſtolus 2. Timoth. 3. dicens, *Mali autem homines, & ſeductores*, Gloſ. Aliorum, qui huius officij ſunt, *proficient in peius, errantes*, Gloſ. à bono, *& alios in errorem mittentes*, Gloſ. ipſo actu; videlicet, quia non tantùm verbô, vt dictum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item eorum*; ſed etiam exemplô, errare faciunt. Sub prætextu enim Religionis, & humilitatis, & zeli animarum, ſuperſtitioſas traditiones faciunt, docent, & ſeruant, per quas ſimplicium corda decipiunt, & ſibi alliciunt, & in errores mittunt. Quæ traditiones, magis Sacrilegium & Superſtitio, quàm Religio ſunt dicendæ, vt oſtendetur pleniùs infrà diſt. 4. in 11. & 12. ſignis

§. Quia igitur dicti Pſeudo hôc modô & alijs, mittunt homines in errores, ideo fideles eos audientes, licet videantur poſſe

Digitized by Google

excusari propter suam simplicitatem, eô quod oues appellantur Ioan. 10. vbi dicitur *Bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis*; nihilominus tamen illos Seductores audiendo, si saltem ad auditum huius veritatis non resipuerint, vel eam audire noluerint, peribunt cum illis; cum illi Seductores fures sint, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Præter veritatem autem*; veræ autem oues fures non audiunt, Ioan. 10. *Non audierunt eos oues.* Fideles ergo audientes Seductores prædictos, qui fures sunt & latrones, ouium vocabulum perdunt; & non quasi oues, sed quasi peruersi & simulatores pereunt. Vnde super illud Ezech. 2. *Fili hominis cum Scorpionibus habitas*, dicit Glos. *In Euangelio dicitur, non audierunt eos oues. Qui ergo fures & latrones audierunt, non quasi Oues perierunt, sed quasi Viperæ, Vulpes, & Scorpiones.* Error enim & ignorantia in fide & moribus, non excusat illos, qui possent scire, si vellent studium adhibere. Vnde Augustinus in lib. Quæstionum, *Non omnis ignorans immunis est à pœna. Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui à quo disceret, non inuenit; illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt*; & habetur dist. 37. can. *Non omnis ignorans.* Tales enim non nescientes, sed contemptores iudicantur, vt dicit Glos. super illud Luc. 12. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit multis.* Talis ergo ignorantia non excusat à peccato; nam, vt dicit Augustinus ad Publicolam, *Si quis bonum putauerit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, vtique peccat; & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.* Talis igitur ignorantia non excusat seductos à periculo extremi iudicij; vnde 2. Thess. 2. super illud, *vt iudicentur omnes, qui non credunt veritati*, dicit Glos. *Seducti iudicabuntur nouissimô rectoque iudiciô, per Christum iustissimè iudicaturum iniustissimè iudicatum.*

§. Non solùm autem prædictis modis periculosi sunt Seductores prædicti, sed etiam hôc modô; videlicet, quod tandem, fauore Principum & Maiorum adeptô, resistentes sibi per illorum potentiam persequuntur, ad instar Antichristi capitis eorum, vt ostensum est suprà ead. dist. *in principio.* Quod autem Principes & Potentes ita seducti sint, quod eos ad voluntatem suam promptos & paratos habeant, patet per illud Apoc. 13. *Vide de mari*, Glos. id est de collectione malorum,

Digitized by Google

beſtiam, Gloſ id eſt Antichriſtum, & totum corpus malorum, *aſcendentem*, Gloſ. per alios malos ſe extollentem, *habentem cornua ſeptem*, Gloſ. id eſt Principes vniuerſos. Item Gregorius lib. 33. Moral. *Miniſtrorum Antichriſti prædicatio facile ab Auditoribus contemni poterat; ſed hanc ante humana iudicia adiunctus Sæcularium Poteſtatum terror exaltat.* Ecce quod habebunt Principes ad voluntatem ſuam, & quod extollentur per Principum poteſtatem; propter quod opprimere poterunt reſiſtentes, & etiam quoſdam illorum vincere. Vnde Gloſ. dicit ibidem de Antichriſto & corpore ipſius, *Ad hoc, vt benè poſſit iſtos vincere, talem familiam ſibi inſtituit*, videlicet *Principes & Potentes*; & ideo perſecutio iſta tertia, quæ eſt per falſos Fratres ſatellites Antichriſti, quoniam compoſita eſt ex vi & fraude, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. *in principio*, fortiſſima tribulatio eſt, ſimilis perſecutionibus Antichriſti; de quibus dicitur Matth. 24. Quod *tanta erit tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet*; & quod *in errorem inducentur, ſi fieri poteſt, etiam electi.*

§. Præter dicta pericula, vide aliud grande periculum in Eccleſia generali. Certum eſt enim ex iam dictis, quod Pſeudo-Prædicatores & Penetrantes domos ſeducturi ſunt populum Chriſtianum in Eccleſia generali prædicando, & cuiuſlibet proprietates per confeſſiones rimando, & ſic populum multipliciter ſibi alliciendo, & à ſuorum Prælatorum & Doctorum veracium doctrina & conſilijs auertendo, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. Hos autem actus generaliter exercere non poſſent diutiùs, cum nulli præſint ordinariæ poteſtati; niſi de commiſſione, vel permiſſione Romani Pontificis, & Coëpiſcoporum ſuorum. Dicti verò Pontifices (*quorum poteſtas, & ordinata voluntas eſt in ædificationem Eccleſiæ, & non in deſtructionem*, 2. Corinth. 10.) prædictos actus (ex quibus tot & tanta pericula prouenire poſſunt, qualia ſunt deſcripta ſuprà ead. diſt. §. *Ex hac autem ſeductione*, & §. *Contemptus*, & §. *Poſtquam autem*, & duobus Patagraphis ſequentibus) illis Seductoribus nequaquam committerent, nec permitterent, niſi priùs per illos adeò ſeducti eſſent, quod eos, non Eccleſiæ deſtructores, ſed potiùs ædificatores fore putarent. Reſtat igitur, quod Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos ſeducturi ſunt in Eccleſia generali, non ſolùm Subditos, verum

Digitized by Google

verùm etiam & Prælatos.

§. Item vide, quantum ex hoc periculum sequi possit. Si enim Pseudo-Prædicatores & Penetrantes domos, existentes fortè in multitudine infinita, Summô Pontifice, ac alijs Prælatis Ecclesiarùm seductis, de ipsorum commissione, vel permissione valeant generaliter ac liberè prædicare, & confessiones audire, & sic proprietates cuiuslibet rimari; si fortè posteà ipsi Prælati, illorum fallacias aduertentes, ac eorum pericula vitare volentes, conentur eos repellere, & à prædicando, vel confessiones audiendo, vel ab alijs insolentijs, & excessibus eorum arcere; sine quibus nec victum in otio corporali, nec honorem mundanum, nec laudem humanam, quæ summè desiderant vt ostensum est, possent habere; verisimile est, quod ipsi Pseudo propter hoc prouocati, cum iam propter popularem ac consuetum fauorem, maior eis fides adhibebitur quàm Prælatis, vt dictum est suprà, nisi à Summo Pontifice, & Coëpiscopis suis ingens adhibeatur diligentia & cautela, de facili poterunt generaliter procurare, vt Prælatis Ecclesiarum obedientia denegetur. Quod quia fieri non posset durante obedientiâ omnium Catholicorum ad Romanam Ecclesiam, Matrem omnium & Magistram, procurare poterunt, vt ab obedientia Romanæ Ecclesiæ discedatur, & sic per dissolutionem Ecclesiasticæ vnitatis, parare viam Antichristo venturo; qui non priùs manifestabitur, nisi paratâ sibi sede, id est nisi factâ illâ discessione. Vnde 2. Thess. 2. dicit Apostolus *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit Homo peccati, Filius perditionis, &c.* dicit Gloss. *Non veniet Dominus ad iudicium, nisi priùs venerit discessio Ecclesiarum à spirituali obedientia Ecclesiæ Romanæ, & nisi manifestetur Antichristus.* Et quasi quis quæreret, quid detinet Antichristum, quominùs veniat, & quominùs manifestetur, & quæ est causa dilationis aduentus eius? subiungit Apostolus dicens, *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore.* Gloss. *Quæ sit causa dilationis eius, quare non veniat, scitis; videlicet, quia nondum facta est discessio, ita tamen vt manifestus fiat in tempore sibi congruo; scilicet postquàm facta fuerit discessio.* Et post pauca sequitur, *Tantùm, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat.* Gloss. *Tantùm hoc restat, vt qui detinet Antichristum, scilicet discessio, quæ nondum facta est, detineat illum, donec ipsa discessio manifestè appareat.* Sequitur. *Et*

tunc reuelabitur ille iniquus. Gloſſ. *Et tunc manifeſtabitur Antichriſtus, quaſi iam paratâ ſibi ſede.* Cum ergo venire, aut manifeſtari nequeat Antichriſtus, niſi paratâ ſibi ſede, id eſt, niſi factâ illâ diſceſſione; Reſtat, quod illa diſceſſio ſummè timenda eſt omnibus Chriſtianis, & ſummoperè cauenda, vtpotè præparatio aduentus Antichriſti, & præparatio ſedis eius. Illa verò diſceſſio, cùm ſit generalis futura, & procuranda ſit per Hypocritas, Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, primò per ſimulationem ſanctitatis & iuſtitiæ, fraudulenter; deinde verò per Maiorum adeptam potentiam, violenter proceſſuros, ad inſtar Antichriſti capitis eorum ſimiliter proceſſuri, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. in principio; Conſtat, quod procurari non poterit per vnum, aut per paucos Prædicatores Hypocritas ſupradictos, ſed per plurimos; non in vno, vel paucis locis conſiſtentes, vel paucis loquentes, ſed per vniuerſam Eccleſiam exiſtentes, & vniuerſis loquentes; non idiotas, vel ſimplices, vel loqui neſcientes, ſed aſtutos & duplices, & mundi huius ſapientiam habentes, & in Scripturis potentes, & perſuadere ſcientes; non in apparentia ſanctitatis mediocres, ſed tantam ſanctitatis ſpeciem prætendentes, quod electa membra Redemptoris noſtri credi valeant apud omnes, vt pleniùs oſtendetur infrà diſt. 3. §. *Quoniam igitur*; non hominum conſortia, prout bonis Religioſis competit, fugientes, & eorum proprietates ſcire nolentes, ſed hominum familiaritatibus ſe ingerentes, & cuiuſque proprietatem rimantes; non diuiſos ab inuicem, nec in ſuo propoſito ſibi ad inuicem aduerſantes, ſed coniunctos, & ſibi ſub quadam Religionis ſpecie cohærentes, & tam his modis, quàm alijs, vt dictum eſt, populum ſeducentes, id eſt ad ſe, vel ad ſua conſilia ducentes, ſicut oſtenſum eſt pro parte ſuprà ead. diſt. & pro parte oſtendetur infrà diſt. 3. & 4. Si ergo fortè talium hominum multitudo effrænata per vniuerſam Eccleſiam extraordinariè ſurgere, & præter, vel contra Ordines & Gradus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ generaliter ac publicè prædicare, & confeſſiones audire, & ad hoc prædicare, & confeſſiones audire, & ad hoc importunè ſe ingerere; dicta verò pericula prædicare nolle, ſed eorum prædicationem totis viribus impedire quandoque videantur; tunc quantumcumque ſancti &

Digitized by Google

ſapientes, & animarum zelatores appareant, nihilominùs tamen formidandum eſſe videtur omnibus Chriſtianis, ne illa multitudo, vel in toto, vel in parte, de illis exiſtant, per quos procuranda eſt generalis diſceſſio ſupradicta, & ne per eos immineant pericula memorata; certum eſt enim ſecundùm prophetiam Apoſtoli, quod etiam ex veris Prædicatoribus ſurgent quidam peruerſi. Vnde Apoſtolus loquens ad Presbyteros, & ad alios, qui tunc erant veri animarum Rectores Act. 20. dicit. *Ego ſcio, quoniam ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant Diſcipulos poſt ſe; propter quod vigilate memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis commonens vnumquemque veſtrûm*, vt dictum eſt ſuprà in prologo, §. *Ideoque*.

§. Sic igitur ex præmiſſis apparet, *Qui ſint Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, & qualiter ſint periculoſi Eccleſiæ generali*; videlicet per fraudem hypocriſis, tam Prælatos, quàm Subditos ſeducendo; plebibus alienis ſine canonica miſſione ſub pietatis ſpecie prædicando; cuiuſque proprietates, ſiue ſecreta hominum, tam per confeſſiones, quàm alijs modis rimando; quoſcumque poſſunt, ad ſuam ſimulationem & hypocriſim, ſuperſtitioſis inuentionibus ſub Religionis ſpecie inducendo; & per conſequentiam à Prælatorum regimine, & doctrina Doctorum veracium auertendo; & in omnibus ſanctitatem & iuſtitiam ſimulando; ad viuendum ſecundùm ſua conſilia, quibuſdam ſuperſtitioſis vinculis obligando; & ſic in ſuam poteſtatem, quaſi captiuos ducendo; deinde fauore Maiorum & Principum his modis adeptô, reſiſtentes ſibi per illorum potentiam opprimendo; tandem verò, tam Prælatis, quàm Subditis miſerabiliter ac plenè ſeductis, diſceſſionem à ſpirituali obedientia Romanæ Eccleſiæ procurando; & ſic Eccleſiam generalem ſcindendo ac diſſoluendo, præparantes viam Antichriſto venturo. Propter quæ pericula, appellat eos Dominus *latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem*, Matth. 7. vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. verſùs principium, in illo §. *Inter iſtos autem, &c.*

§. Cum ergo Dominus, qui nec mentiri poteſt, nec falli, huiuſmodi homines, propter multitudinem perdendorum per eos, appellet *latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem*; item propter aſſuetam rapacitatem bonorum tem-

tunc reuelabitur ille iniquus. Gloss. *Et tunc manifestabitur Antichristus, quasi iam paratâ sibi sede.* Cum ergo venire, aut manifestari nequeat Antichristus, nisi paratâ sibi sede, id est, nisi factâ illâ discessione; Restat, quod illa discessio summè timenda est omnibus Christianis, & summoperè cauenda, vtpotè præparatio aduentus Antichristi, & præparatio sedis eius. Illa verò discessio, cùm sit generalis futura, & procuranda sit per Hypocritas, Pseudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, primò per simulationem sanctitatis & iustitiæ, fraudulenter; deinde verò per Maiorum adeptam potentiam, violenter processuros, ad instar Antichristi capitis eorum similiter processuri, vt ostensum est suprà ead. dist. in principio; Constat, quod procurari non poterit per vnum, aut per paucos Prædicatores Hypocritas supradictos, sed per plurimos; non in vno, vel paucis locis consistentes, vel paucis loquentes, sed per vniuersam Ecclesiam existentes, & vniuersis loquentes; non idiotas, vel simplices, vel loqui nescientes, sed astutos & duplices, & mundi huius sapientiam habentes, & in Scripturis potentes, & persuadere scientes; non in apparentia sanctitatis mediocres, sed tantam sanctitatis speciem prætendentes, quod electa membra Redemptoris nostri credi valeant apud omnes, vt plenius ostendetur infrà dist. 3. §. *Quoniam igitur*; non hominum consortia, prout bonis Religiosis competit, fugientes, & eorum proprietates scire nolentes, sed hominum familiaritatibus se ingerentes, & cuiusque proprietatem rimantes; non diuisos ab inuicem, nec in suo proposito sibi ad inuicem aduersantes, sed coniunctos, & sibi sub quadam Religionis specie cohærentes, & tam his modis, quàm alijs, vt dictum est, populum seducentes, id est ad se, vel ad sua consilia ducentes, sicut ostensum est pro parte suprà ead. dist. & pro parte ostendetur infrà dist. 3. & 4. Si ergo fortè talium hominum multitudo effrænata per vniuersam Ecclesiam extraordinariè surgere, & præter, vel contra Ordines & Gradus Ecclesiasticæ Hierarchiæ generaliter ac publicè prædicare, & confessiones audire, & ad hoc prædicare, & confessiones audire, & ad hoc importunè se ingerere; dicta verò pericula prædicare nolle, sed eorum prædicationem totis viribus impedire quandoque videantur; tunc quantumcumque sancti &

Digitized by Google

ſapientes, & animarum zelatores appareant, nihilominùs tamen formidandum eſſe videtur omnibus Chriſtianis, ne illa multitudo, vel in toto, vel in parte, de illis exiſtant, per quos procuranda eſt generalis diſceſſio ſupradicta, & ne per eos immineant pericula memorata; certum eſt enim ſecundùm prophetiam Apoſtoli, quod etiam ex veris Prædicatoribus ſurgent quidam peruerſi. Vnde Apoſtolus loquens ad Presbyteros, & ad alios, qui tunc erant veri animarum Rectores Act. 20. dicit. *Ego ſcio, quoniam ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant Diſcipulos poſt ſe; propter quod vigilate memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis commonens vnumquemque veſtrûm*, vt dictum eſt ſuprà in prologo, §. *Ideoque*.

§. Sic igitur ex præmiſſis apparet, *Qui ſint Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, & qualiter ſint periculoſi Eccleſiæ generali*; videlicet per fraudem hypocriſis, tam Prælatos, quàm Subditos ſeducendo; plebibus alienis ſine canonica miſſione ſub pietatis ſpecie prædicando; cuiuſque proprietates, ſiue ſecreta hominum, tam per confeſſiones, quàm alijs modis rimando; quoſcumque poſſunt, ad ſuam ſimulationem & hypocriſim, ſuperſtitioſis inuentionibus ſub Religionis ſpecie inducendo; & per conſequentiam à Prælatorum regimine, & doctrina Doctorum veracium auertendo; & in omnibus ſanctitatem & iuſtitiam ſimulando; ad viuendum ſecundùm ſua conſilia, quibuſdam ſuperſtitioſis vinculis obligando; & ſic in ſuam poteſtatem, quaſi captiuos ducendo; deinde fauore Maiorum & Principum his modis adeptô, reſiſtentes ſibi per illorum potentiam opprimendo; tandem verò, tam Prælatis, quàm Subditis miſerabiliter ac plenè ſeductis, diſceſſionem à ſpirituali obedientia Romanæ Eccleſiæ procurando; & ſic Eccleſiam generalem ſcindendo ac diſſoluendo, præparantes viam Antichriſto venturo. Propter quæ pericula, appellat eos Dominus *latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem*, Matth. 7. vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. verſùs principium, in illo §. *Inter iſtos autem, &c.*

§. Cum ergo Dominus, qui nec mentiri poteſt, nec falli, huiuſmodi homines, propter multitudinem perdendorum per eos, appellet *latam portam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem*; item propter aſſuetam rapacitatem bonorum tem-

poralium, quæ à Christi fidelibus subtili ingeniô, sub specie pietatis extorquent, appellet eos ibidem *lupos rapaces ouinâ pelle vestitos*, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Inter istos*; item propter fraudulentiam, & subtilem vsurpationem regiminis in subditis alienis, appellet eos *Fures & Latrones.* Ioan. 10. vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Pastori autem*; Restat, quod illi non solùm alijs periculosi sunt, sed etiam ipsi in periculis maximè damnandorum existunt. Qui autem prædictis periculis, tam Seductorum, quàm Seducentium, non terrentur, durum cor habere videntur; *Cum durum sit cor, quod impauidum est ad pericula*, vt dicit Bernardus *De consideratione* lib. 1. circa principium. Et ideo timendum est illis illud Prouerb. 28. *Beatus homo, qui semper est pauidus; qui autem mentis est duræ corruet in malum.* Timendum est etiam eis, ne in illis periculis finaliter pereuntes, in nouissimo æternam damnationem incurrant, iuxta illud Eccle. 3. *Cor durum malè habebit in nouissimo.* De Pseudo igitur, & Penetrantibus domos, hæc ad præsens sufficiant.

Explicit prima distinctio.

Digitized by Google

INCIPIT DISTINCTIO SECVNDA DE OTIOSIS, ET CVRIOSIS, ET GYROVAGIS.

QVALITER VIVANT CONTRA doctrinam Apoſtoli, & Qualiter ſint Eccleſiæ periculoſi.

QVONIAM autem contingere poteſt, quod Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, etſi plurimùm neceſſariis vitę indigeant, tamen otiosè & ſine labore corporali viuere cupientes nolunt operari corporaliter vnde viuant, quamuis ab operando corporaliter propter victum iuxtà præceptum Apoſtoli, legitimam excuſationem non habeant; & ideo ſub prætextu prædicationis de Euangelio viuere, aut ſub prætextu paupertatis habitæ propter Deum ſemper mendicare volentes, à Chriſti fidelibus neceſſaria vitæ plærumque indiſcretè recipiant, & importunè contra doctrinam Apoſtoli petant; & ſic quoad opera corporalia otioſi exiſtentes, propter victum quærendum curioſi, & gyrouagi fiant; & hôc etiam modô contra doctrinam Apoſtoli viuant; & etiam ad hoc idem alios inducentes, non ſolùm modis prædictis, ſed etiam quibuſdam aliis, propter ſuam mendicitatem Eccleſiæ periculoſi exiſtant, vt oſtendetur infrà ead. diſt. Ideo

post tractatum *De Pseudo-Prædicatoribus, & Penetrantibus domos*, consequenter *De Otiosis, & Curiosis, & Gyrouagis*, ad instructionem eorum, qui Scripturas ignorant, iuxta doctrinam Apostoli aliquid est dicendum.

§. Sunt igitur *Otiosi*, qui cum egeant, & operari possint corporaliter vnde viuant, & ab operando corporaliter legitimam excusationem non habeant, volentes tamen sine labore corporis suauiùs viuere, & otium fouere, operari corporaliter nolunt; sed ad suas necessitates, vel etiam voluptates, semper & continuè res alienas desiderant; & quod peius est, importunè petunt & rogant, contra præceptum Apostoli 1. Thess. 4. dicentis. *Rogamus vos, fratres, vt operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis, vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Glos. *quasi diceret. Ideo opus est agendum, non otiandum; quia & honestum est, & quasi lux ad infideles; & non desiderabitis rem alterius, nedum rogetis, vel tollatis aliquid.* Nota quod dicit Glos. *Nedum rogetis, vel tollatis aliquid*; per hoc enim quod dicit, *nedum*, innuit, quod peius est rogare, vel tollere rem alterius, quàm desiderare. Si ergo secundùm præceptum Apostoli operandum est manibus, vt nullius res desideretur; multô magis operandum est manibus, vt nullius res rogetur, vel per importunitatem, aut per violentiam tollatur. Item 2. Thess. 3. dicit idem Apostolus. *Qui non vult operari, non manducet.* Glos. *Quidam dicunt de operibus Spiritualibus hoc Apostolum præcepisse; alioquin, si de opere corporali, in quo Agricolæ, vel Opifices laborant hoc diceretur, videretur sentire contra Dominum, qui in Euangelio dicit,* NOLITE SOLLICITI ESSE, QVID MANDVCETIS, *&c. Sed superflue conantur, & sibi, & cæteris caliginem obducere, vt quod vtiliter illa charitas Apostoli monet, non solùm facere nolint, sed nec intelligere; cum in multis alijs locis epistolarum suarum, quid hîc sentiat Apostolus, manifestè doceat; vult enim seruos Dei corporaliter operari vnde viuant, vt non compellantur egestate necessaria petere*; quod est vulgariter *mendicare*; nam secundùm Isidorum in lib. 10. Etymolog. *Mendicus dictus est, quasi minùs habens, vnde vitam degat; vel quasi manu dicens suam necessitatem; quia mos erat apud antiquos os claudere egenum, & manum extendere, quasi manu egestatem suam dicere*; vnde mendicus is est, qui manu quasi voce victum quærit. Secundum hoc igitur mendicare nihil aliud est, quàm

Digitized by Google

eô quod non habeat quis vnde vitam degat, manu vel voce egeſtatem ſuam dicere, petendo ſcilicet rem alienam ad ſupplendum egeſtatem ſuam; vnde Papias *Mendicare dicunt egere, & ab alys neceſſaria quærere.* Igitur ſecundùm Gloſſam prædictam, præceptum Apoſtoli ſupradictum neminem compellit operari corporaliter vnde viuat, niſi illum qui egeſtate cogitur res alienas ad ſuam neceſſitatem deſiderare, vel neceſſaria petere, quod nihil aliud eſt, quàm mendicare. Cum igitur ſecundùm doctrinam Apoſtoli non liceat illi, qui poteſt corporaliter operari egeſtate compulſum neceſſaria petere, vt dicit Gloſ. prædicta, niſi legitime excuſetur; conſequens eſt, quod ei non liceat mendicare, niſi legitimè excuſetur.

§. Sed fortè dicet Otioſitatis Defenſor, quod illi, qui propter Chriſtum omnia reliquerunt, licet egeant quandoque, non tamen egeſtate coguntur neceſſaria petere, ſeu mendicare, ſed voluntariè petunt, quia ſunt pauperes voluntarij, & mendicare placet eis causâ humilitatis; maximè illi, qui vitam Prædicatorum eligunt, vt ſic ſe humiliando, magis proficiant prædicando.

§. Ad quod dicendum eſt, quod licet illi pauperes, qui reliquerunt omnia propter Chriſtum, ſint pauperes voluntarij; tamen poſtquàm pauperes facti ſunt, adeò naturaliter patiuntur famem & frigus, & penuriam habent cibi & tegumenti, ſicut pauperes inuoluntarii, vt patet in Paulo dicente 2. Cor. 11. *In fame & ſiti, in frigore & nuditate*, ſupple, *ſæpe fui.* Vnde, licet ſint pauperes voluntarii, tamen ſi non habent aliter vnde viuant, egeſtate coguntur neceſſaria petere, ſeu mendicare; alioquin mendicando mendaces eſſent, & de mendacio viuerent; cum mendicare ſit egeſtatem ſuam manu vel voce dicere, vt oſtenſum eſt paulò ante; ille autem, qui egeſtatem non habet, ſi manu vel voce ſe dicat egere, mentitur; & ſi de hoc viuit, de mendacio viuit. Reſtat ergo, quod quicumque ſine mendacio mendicat, egeſtate coactus mendicat. Si ergo illi, qui propter Chriſtum omnia reliquerunt, ſine mendacio mendicant; reſtat, quod egeſtate coacti mendicant; igitur ſi poſſunt operari corporaliter vnde viuant, nec operari volunt, ſed potiùs mendicant; nec ab operando legitimè excuſentur; reſtat, quod contra doctrinam Apoſtoli; immò contra præceptum eius mendicant; cum ipſe Apoſtolus præ-

bore, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item, vt oſtendit Auguſtinus.* Mendicare igitur cum otio corporali ei, qui poteſt & debet victum acquirere manibus operando, non poteſt eſſe opus humilitatis. Item Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 24. *Si enim ad hanc vitam*, ſcilicet voluntariæ paupertatis, *ex diuite quiſquam conuertatur, & nullâ infirmitate corporis impeditur, itane deſipimus à ſapore Chriſti, vt non intelligamus, quantus prioris ſuperbiæ tumor ſanetur, cum circumciſis ſuperfluis, quibus anteà animus exitiabiliter inflammabatur, ad modica, quæ reſtant huic vitæ naturaliter neceſſaria, opificis humilitas*, id eſt opus manuum, *minimè recuſatur.* Nota quod dicit *Opificis humilitas*; Ex hoc enim patet, quod operari manibus eſt opus humilitatis ei, qui ex diuite propter Deum paupertatem elegit. Ecce quod *manibus operari propter victum* appellant Apoſtolus & Auguſtinus *opus humilitatis, ſiue humiliationem.* Sed mendicare, vt dictum eſt, nuſquam appellatur in Scriptura opus humilitatis, licet cum humilitate eſſe poſſit; vt ſi petatur non ex deſiderio libidinoſo, ſed ex neceſſitate. Vnde ſuper illud Iob 31. *Si negaui, quod volebant, pauperibus*, dicit Greg. lib. 21. Moral. *Procul dubiô oportet, quod incunctanter detur, quidquid cum vera humilitate petitur*; Id eſt, *quod non ex deſiderio, ſed ex neceſſitate poſtulatur.* Sed qui petit, cum poſſit operari corporaliter vnde viuat, nullô legitimô impedimentô detentus, verè humilis non eſt, quia petit, quando petere non oportet; nam ſicut dicit Gregorius ibidem paulò poſt *Veraciter quiſque humilis, quod non potuit oportere, nec voluit.* Mendicare ergo illi, qui poteſt commodè operari corporaliter vnde viuat, niſi ab operando corporaliter legitime excuſetur, non eſt opus humilitatis, nec poteſt eſſe cum vera humilitate; ſed potius videtur eſſe opus ſuperbiæ, quia tunc petitur extra metas inopiæ; nam vt dicit Gregorius ibidem, *Valde ſuperbire eſt, extra metas inopiæ poſtulare.* Videtur autem extra metas inopiæ poſtulare, qui cum licitè & commodè poſſit viuere de ſuo corporali labore, magis tamen eligit in otio corporali continuè mendicare; metæ namque inopiæ videntur eſſe cauſæ illius legitimæ, propter quas licitum eſt poſtulare, ſeu mendicare, videlicet impotentia corporalis, & diſtringens occupatio militiæ Chriſtianæ, & quædam aliæ, de quibus dicetur infrà ead. diſt. §. *Sunt autem quidam caſus*, cum ſeptem Paragraphis ſequentibus. Mentium-

tur ergo viri Scripturarum periti, ex diuitibus voluntariè pauperes facti, potentes corporaliter operari, & à præcepto Apostoli minimè excusati, si dicant velle se mendicare causâ humilitatis.

§. Item videtur, quod mendicantes validi, qui de opere manuum suarum sustentari possunt, si ab operando corporaliter legitimam excusationem non habeant, recipiendo eleemosynas pauperum, id est pauperibus illis ex charitate debitas, qui aliter viuere nequeunt, Sacrilegium committunt ad instar eorum, qui bonis parentum viuere possunt, de quibus dicit Hieronymus ad Damasum Papam. *Qui de bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est recipiunt, Sacrilegium profectò committunt; & per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt.* Et habetur 1. q 2 cap. *Clericos.* Et 16. q. 1. cap. *Quoniam quidquid.* Idem igitur potest dici, vt videtur, etiam de illis, qui de labore suo commodè & licitè sustentari possunt. Vnde Prosper in lib. 2. *De vita contemplatiua* cap. 10. *Qui se potest suis laboribus transigere, non debet, quod infirmis debetur, accipere.* Item ex Historia B. Clementis lib. 7. legitur. *Cum ad insulam Antharadum nomine venisset rogatu Discipulorum Apostolus Petrus, vt videret columnas vitreas miræ magnitudinis; cum ipsis Discipulis Petrus vbi solas columnas vitreas miratus est, nequaquam raptus picturæ gratiâ, egressus vidit pro foribus mulierculam quamdam, stipem ab introeuntibus deposcentem. Quam attentiùs respiciens ait. Dic Mulier, quod tibi membrum corporis deest, quia huic iniuriæ te subiecisti, vt stipem petas, & non potiùs manibus tuis, quas à Deo accepisti, operans cibum quæras? At illa suspirans ait. Vtinam essent mihi quidem manus, quæ moueri possent; nunc autem species tantùm seruata est manuum, nam ipsæ sunt & mortuæ, & debiles, redditæ.* Hæc mulier, vt legitur in eadem Historia, erat mater B. Clementis, quæ ciuis fuerat Romana, de nobili prosapia Cæsaris orta. Nota quod dicit B. Petrus, *Quare te huic iniuriæ subiecisti, vt stipem petas? &c* Ex quo patet, quod qui potest viuere de suo labore, si mendicet, iniuriam facit impotentibus laborare. Item in Collationibus Patrum inducuntur hæc verba ex sententia Antonij ad quemdam loquentis. *Nouerис autem tibi ex hoc non leuius, quam ex eo quod suprà diximus, conferri detrimentum; quod cum sis sani corporis, stipe sustentaris alienâ, quæ iustè solis est debilibus attributa.* Ecce quod soli

debiles iustè mendicare possunt. Vnde de muliere forti dicit Salomon, quod *panem otiosa non comedit*, Prouerb. 31. Glos. *secundùm illud Apostoli, Qui non operatur, non manducet.* Et ipse Paulus de se, *quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Item Prosper in lib. 2. De vita contemplatiua. *Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificijs, aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis aut infirmus accipere.* Igitur validis, & alijs qui aliunde, quàm de mendicatione, siue de eleemosynis, inualidis mendicantibus ex charitate debitis, sine peccato viuere possunt, nisi à præcepto Apostoli legitimè excusentur, non est licitum eleemosynas pauperibus inualidis, & ex necessitate esurientibus erogandas, accipere, seu mendicare.

§. Item, quod validi non habentes excusationem à præcepto Apostoli, non debeant mendicare, videtur hac ratione. Constat enim, quod secundùm doctrinam Dominicam illa eleemosyna beatificat, quæ datur pauperibus impotentibus laborare, qui non habent vnde viuant, cum sint pauperes; nec operari possunt vnde viuant, cum sint corpore impotentes. Ideo autem beatificat talis eleemosyna, quoniam ab ijs, quibus datur, nihil potest expectari in præsenti. Vnde Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam, Voca pauperes debiles, claudos, cæcos.* Repete *pauperes*, videlicet *pauperes cæcos, pauperes claudos, pauperes debiles.* Vnde Glos. *A quibus in præsenti nihil expectare potes.* Constat enim, quod à cæco, vel claudo, vel debili, non paupere, sed diuite, potest aliquid expectari in præsenti. Similiter à paupere valido, qui potest corporaliter operari, potest expectari retributio in præsenti. Ergo exponenda sunt verba prędicta coniunctim, vt dictum est, vt dicatur *pauperes debiles, pauperes cæcos, pauperes claudos.* Sequitur. *Et beatus eris, quia non habent vnde retribuere tibi.* Glos. *possint.* Videtur ergo quod illa eleemosyna non beatificet, quæ scienter & de industria datur illi, qui in præsenti retribuere potest. Sed validus habens potestatem corporaliter operandi, nullô legitimô impedimentô detentus, potest retribuere in præsenti, videlicet de labore suo; sicut & ille pauper, qui familiaris est Principis, vel Potentis, potest retribuere in præsenti, videlicet *de iuuamine suo*, vt dicit Gregorius in Homil. Cum ergo eleemosyna ex industria data talibus non beatificet; certum est, quod illi, qui non quærunt

datum, sed fructum, Philipp. 4. si validi sint ad operandum, nullô legitimô impedimentô detenti, tales eleemosynas recipere non debent; Ergo nec mendicare debent ab illis, quos credunt, vel probabiliter existimare possunt, tales sibi eleemosynas largituros; sed potiùs debent operari corporaliter vnde viuant, nisi legitimè excusentur à præcepto Apostoli supradictô.

§. Item, multis validis, nullô legitimô impedimentô detentis, frequenter & importunè mendicantibus, plærumque magis datur, vel propter præsentem pudorem, vel propter importunitatem, quàm propter Deum, id est quàm ex bona voluntate; cuiusmodi data infructuosa sunt datoribus, quia in eis *perditur & res, & meritum*, vt dicit Glos. super illud 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus*. Tales enim mendicantes, talia data infructuosa suis datoribus, frequenter & importunè petentes ac recipientes, cum plærumque ipsos datores grauent, contra doctrinam & exemplum Apostoli viuunt. Si enim Apostolus corporaliter operando à sumptibus Euangelij sibi Dominicô Iure debitis abstinebat, ne quemquam grauaret (vnde 2. Thess. 3. dicit Apostolus, *In labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus*) multô magis validi mendicantes, à sumptibus mendicatis, nullô iure sibi debitis, abstinere deberent, corporaliter operando, ne quemquam grauarent. Quod si facere nolunt; restat, quod exemplo & præcepto Apostoli contrariam vitam ducunt. Restat igitur secundùm præceptum Apostoli verum esse, omnem hominem vitæ necessarijs indigentem, potiùs operari debere corporaliter vnde viuat, quàm mendicitati perpetuæ sese exponere, nisi ab illo præcepto Apostoli legitimè excusetur.

§. Sunt autem quidam casus, in quibus Serui Christi, licet necessarijs vitæ indigeant, non tamen tenentur ex præcepto Apostoli operari corporaliter vnde viuant; sed possunt, vel de Euangelio viuere, vel de communibus bonis Ecclesiæ, vel de oblata bonorum fidelium subuentione, vel etiam de mendicatione, vt patebit infrà. Vnus casus est si fuerint infirmitate corporis penitùs impediti. Alius casus est, si occupatione Ecclesiasticâ, vel militiæ Christianæ fuerint sic districti, quod aliud agere non possint; vnde Augustin. in lib. De opere Monach. cap. 26. *Hoc seruos suos Dominus præmonet, cum dicit*, PRIMVM

Digitized by Google

QVÆRITE REGNVM DEI *&c. Vt in eo ministerio, quod sacramento eius debetur*, id est in cultu Christi, seu in militia Christiana, *non ista temporalia, sed regnum eius & iustitiam cogitemus; & hæc omnia apponentur nobis, siue per manus operantibus, siue infirmitate corporis impeditis, siue militiæ Christianæ tali occupatione districtis, quod nihil aliud agere valeamus.* Ex quo patet, quòd omnibus quærentibus regnum Dei dat Deus necessaria vitæ, si egeant; aut de opere manuum suarum, si operari possunt; aut sine opere manuum suarum, si adeò infirmi fuerint, vel Ecclesiasticâ occupatione districti, quod operari non possint. Item Augustinus in eodem lib. cap. 15. *Propter has*, inquit, *vel occupationes seruorum Dei, vel infirmitates corporales, quæ omninò deesse non possunt, non solùm permittit Apostolus sanctorum indigentias suppleri à bonis fidelibus; sed etiam saluberrimè hortatur.* Ecce quod infirmitas corporis & occupatio Ecclesiastica excusant à præcepto Apostoli de operando corporaliter propter victum. Nota tamen ex authoritate præmissa, quod non quælibet occupatio Ecclesiastica excusat hominem indigentem ab operando corporaliter propter victum; sed illa sola, quæ ita distringit hominem, quod aliud agere non possit. Non potest autem ille dici Ecclesiasticâ occupatione districtus, qui seipsum occupat Ecclesiasticis officiis; vt si quis se ingerat prædicationibus faciendis, aut confessionibus audiendis, & pœnitentiis iniungendis, cum ad hoc non sit à Prælato Ecclesiæ inuitatus, aut per Ecclesiam ordinatus, sicut faciunt Pseudo-Prædicatores, & Penetrantes domos; sed ille tantùm, qui in his per ordinationem Ecclesiæ occupatur, vt sunt Prælati, vel ab eis canonicè delegati; quibus solis conueniunt dicta officia, vt ostensum est suprà dist. 1. ab illo §. *Sed datô*, vsque ad illum §. *Verùm si Hierarchis*; vel etiam Clerici, vel Regulares viri diuinis officijs per Ecclesiam mancipati, qui de communibus bonis Ecclesiarum suarum viuere debent, vt ostendetur infrà ead. dist. §. *Est & alia.*

§. Infirmitas verò corporis duplex est, videlicet naturalis, & consuetudinalis. *Naturalis infirmitas est*, quam habent ægri, & senes, & pueri, & alij corpore debiles; qui propter defectum, vel debilitatem naturæ, laborare non possunt. Tales debiles & infirmi, si non habeant vnde viuant, debent de bonis pauperum, id est de bonis Ecclesiæ sustentari. Vnde in Au-

Digitized by Google

relianensi Concilio legitur, *Episcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente laborare non possunt, victum & vestimentum, quantum sibi possibile est, largiatur.* dist. 82. can. *Episcopus.* Si autem non offerantur eis bona, de quibus valeant sustentari, tunc licitè mendicare possunt, vt credimus, sine offensa præcepti Apostolici supradicti, cum non habeant potentiam operandi.

§. Est etiam *Infirmitas* corporis *Consuetudinalis*, videlicet quam habent diuites delicatè nutriti, qui non sunt ad laborem assueti. Tales, si bona sua dederint pauperibus propter Christum, posteà verò Monasterium ingressi dicant se non posse manibus laborare, non sunt ad opus manuale cogendi, sed de bonis Monasterij sustentandi; quia præsumitur eos talem laborem ferre non posse. Vnde Augustinus in eodem lib. cap. 20. de quibusdam Monach. operari nolentibus ita dicit. *Si habebant aliquid in sæculo, quô facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conuersi ad Dominum dispertiti sunt, & credenda est eorum infirmitas, & ferenda; solent enim tales, non meliùs, vt multi putant, sed quod verum est, languidiùs educati, laborem operum corporalium sustinere non posse.*

§. Isti tamen, si vellent corporaliter operari, vt alijs excusationem tollerent, meliùs agerent, quàm cum omnia sua pauperibus diuiserunt. Non tamen ad hoc cogendi sunt, sed de bonis Monasterij nunc viuere debent, vt dictum est suprà. Vnde August. in eodem lib. cap. 25. *Qui relictâ, siue distributâ opulentiâ, inter pauperes Christi salubri humilitate volunt numerari, si corpore valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, quamquam eis vicem sustentandæ vitæ eorum res ipsa communis, & fraterna charitas debeat; tamen, si & ipsi manibus operentur, vt pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore, venientibus auferant excusationem, multô misericordiùs agunt, quàm cum omnia sua pauperibus diuiserunt; quod quidem si nolint, quis audeat cogere?* Nota ex hac authoritate, quod misericordiùs agit Vir Regularis & validus, manibus operando, vt alijs excusationem auferat; quàm omnia sua pauperibus erogando. Item per hoc, quod dicitur, *Inter pauperes Christi salubri humilitate volunt numerari,* nota hîc, quod status Regularium, qui propter Christum omnia reliquerunt, est status humilitatis, quæ humilitas operando manibus conseruatur, vt ostensum est suprà ead.

Digitized by Google

dist. §. *Ad illud autem.*

§. Si autem aliqui delicatè nutriti, postquàm bona sua pauperibus diuiserunt, velint in sæculo remanere; & dicentes se laborare non posse, velint de mendicatione viuere; non sunt, vt credimus, prohibendi, si non habeant vnde viuant; cum præsumatur eos laborem operum corporalium, vt dictum est, sustinere non posse; & ideo dici non possunt præcepti Apostolici contemptores. Sic ergo habemus, quomodò *Infirmitas Naturalis, & Consuetudinalis* excusant à præcepto Apostoli suprà dicto.

§. Item, vt prætactum est, occupatio Ecclesiastica, seu militiæ Christianæ, excusat hominem indigentem à præcepto Apostoli de operando corporaliter propter victum, dum tamen ita distringat, quod aliud agi non possit. Est autem occupatio Ecclesiastica duplex. Vna scilicet, quam habent Prædicatores canonicè missi, vel aliter animarum regimini deputati, vt sunt Ecclesiarum Prælati, vel ab eis canonicè destinati, qui sine opere manuum viuere possunt de Euangelio, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Item, vt ostendit Augustinus*; Et hoc, vel à mittentibus, vel ab eis, ad quos mittuntur, secundùm distinctionem positam suprà dist. 1. §. *Verumtamen.* Et hôc modò sumere sumptus non potest esse mendicitas, sed potestas, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Sed contra hoc forte.*

§. Est & alia occupatio militiæ Christianæ, quam habent Clerici, & Regulares viri, in Ecclesiis, vel Monasterijs, ad celebrandum diuinum officium canonicè instituti, qui de bonis Ecclesiæ communibus viuere debent; & hoc prouidere debet Episcopus, vel eorum Prælatus, *ita quod nullus indigeat necessarijs inter illos*, vt legitur 12. q. 1. cap. *Videntes.* Et quia prouidere hoc debet Episcopus, ideo statutum est in Canonibus, *Quod nullus ædificet Ecclesiam sine consensu Diocesani, qui prouidere debet, vt Fundator dotet eam competenter, ad sustentationem Custodum, siue Clericorum, seu etiam Monachorum, qui seruituri sunt in ea.* De Consec. dist. 1. can. *Nemo Ecclesiam ædificet.* 16. q. 7. cap. *Pia mentis.* Si autem Episcopi de bonis Ecclesiæ communibus, quæ debentur Clericis ad officium Ecclesiasticum canonicè institutis, aliquando ob causam sustentationis aliquid impertiantur Monachis, seu quibuscumque aliis, non ad illud officium canonicè institutis, sed tamen in secreto di-

vel communem; ſed priuatam & ſingularem, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Igitur ſecundùm prælibatam*, & §. *Item ideo*, & §. *A Deo enim*.

§. Eſt etiam caſus, in quo neceſſitates egentium, etiam corporaliter operari potentium, à bonis fidelibus ſunt ſupplendæ; videlicet, ſi operando quod poſſunt, non ſufficiant ſibi de opere ſuo neceſſaria exhibere. Vnde Apoſtolus 2. Theſſ. 3. *Vos autem, Fratres, nolite deficere benefacientes*, Gloſ. *pauperibus; quia etſi operentur; poſſunt tamen nonnullis indigere.*

§. Horum ergo egentium neceſſitates ſuppleri debent, aut de bonis Eccleſiæ, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Infirmitas verò*; aut fidelium ſubuentione, vt oſtenſum eſt paulò ante; & hoc, vel ex toto, videlicet ſi ita fuerint impediti, quod nihil omninò valeant operari, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sunt autem quidam caſus*; vel ex parte, videlicet ſi ſic fuerint impediti, quod nihilominùs poſſint aliquando operari. Vnde Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 16. *Hoc ſuppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus, & aliquid, vnde victum tranſigant, operantibus, propter infirmitates tamen corporales aliquorum, & propter Eccleſiaſticas occupationes, vel eruditionem doctrinæ ſalutaris, deeſſe putauerint.* Si autem deſint iſtæ ſuppletiones, probabiliter dici poteſt, quod prædicti egentes in caſibus ſupradictis licitè poſſint ad victum ſuum, vel per ſe, vel per alium aliena rogare, ſeu quod idem eſt, mendicare; cum tunc dici non valeant Apoſtoli præceptum contemnere, aut velle viuere otiosè. Prædicatoribus canonicè miſſis duntaxat exceptis, qui recipiendo, vel petendo ſumptus ex Euangelio dici nequeunt mendicare, ſed poteſtatem Apoſtolicam exercere, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed contra hoc forte*. Sic ergo habemus caſus, in quibus Serui Dei, licet egeant, vel non habeant proprium vnde viuant, non tamen tenentur ex præcepto Apoſtoli propter victum corporaliter operari, ſed poſſunt, vel de Euangelio viuere, vel de bonis Eccleſiæ, vel de fidelium ſubuentione, vel etiam de mendicatione, ſecundùm differentiam caſuum prædictorum. Similiter habemus caſus, in quibus egeni poſſunt licitè mendicare.

§. Item ex præmiſſa authoritate Auguſtini ſuprà ead. diſt. §. *Sunt autem quidam caſus*, quæ authoritas incipit, *Hoc ſeruos ſuos Deus præmonet, &c.* Notandum eſt, quod omnibus quæri.ti-

bus regnum Dei apponit Deus neceſſaria, ſi deſunt illis, ſicut ipſe promittit Matth. 6. dicens, *Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjcientur vobis.* Apponit, inquam, de opere manuum ſuarum, niſi infirmitate fuerint impediti, aut in militia Chriſtiana penitùs occupati, aut ex alijs cauſis prædictis à ſupradicto præcepto Apoſtoli legitimè excuſati, vt oſtenſum eſt paulò ante ab illo §. *Sunt autem quidam caſus*, & Paragraphis ſequentibus, vſque ad locum iſtum. Qui ergo, nec ſic impediti, nec ſic occupati, nec ſic à præcepto Apoſtoli excuſati, cum non habeant vnde viuant, volunt à Deo paſci ſine opere corporali, non videntur eſſe de quærentibus regnum Dei.

§. Item omnes regnum Dei quærentes, & vitæ neceſſarijs indigentes paſcit Deus, aut ſicut homines, aut ſicut aues. Illos enim, qui operantur manibus vnde viuant, paſcit Deus ſicut homines; quia dedit eis Deus poteſtatem operandi. Illos verò, qui propter corporis imbecillitates, vel ſupradictas occupationes operari non poſſunt. paſcit Deus, ſicut aues, quæ operari non poſſunt, & quæ *non ſeminant neque metunt*; videlicet de oblationibus, ſeu de eleemoſynis bonorum fidelium, ſiue de communibus bonis Eccleſiæ. Vnde Auguſtinus oſtendere volens, quando debeat indigens corporaliter operari, & quando legitimè excuſetur, in eodem lib. cap. 27. in perſona pauperum Chriſti fidelium ita dicit. *Si nos per aliquam, vel infirmitatem, vel occupationem, non poſſumus operari, ſic ille nos paſcet & veſtiet, quemadmodùm aues & lilia, quæ nihil operantur huiuſmodi; cum autem poſſumus, non debemus tentare Deum; quia & hoc quod poſſumus, eius munere poſſumus; & cum hinc viuimus, illô largiente viuimus, qui largitus eſt vt poſsimus; & ideo de iſtis neceſſarijs ſolliciti non ſumus, quia cum hoc poſſumus agere, ille nos paſcit & veſtit, à quo paſcuntur homines & veſtiuntur; cum verò hoc non poſſumus agere, idem ipſe nos paſcit & veſtit, à quo aues paſcuntur, & lilia veſtiuntur, quoniam nos pluris ſumus illis.* Cum igitur omnes quærentes regnum Dei, ſi egeant neceſſarijs vitæ, paſcat Deus, aut ſicut homines, aut ſicut aues; illos autem egentes ſolos paſcat Deus ſicut aues, qui non poſſunt corporaliter operari, vel qui legitimè poſſunt à præcepto Apoſtoli excuſati; Reſtat, quod illi egentes qui poſſunt corporaliter operari, nec ab illo præcepto legitimè excuſari, ſi ve-

Digitized by Google

lint pasci vt aues, scilicet sine opere corporali, non à Deo, sed aliter volunt pasci; vnde non videntur esse de quærentibus regnum Dei.

§. Notandum etiam est, quod dicitur in authoritate proxima, *Cum operare possumus, non debemus tentare Deum, &c.* Ex hoc enim videtur, quod illi egentes validi, à præcepto Apostoli minimè excusati, qui possunt & debent pasci, & vestiri à Deo vt homines, videlicet de labore manuum corporali; si velint pasci, & vestiri à Deo, vt aues & lilia, videlicet sine opere corporali; videntur tentare Deum; quod illicitum est cuilibet Christiano, *dum habet ex humana ratione quid faciat*, vt dicit Glos. super illud Matth. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* & Luc. 4. super eodem verbo, dicit Glos. *Pertinet ad sanam doctrinam, quando habet homo quid faciat, non tentare Deum.* Sed constat, quod ille, qui potest corporaliter operari vnde viuat, ex humana ratione & prouidentia, scilicet ex labore suo, potest vitare mendicitatem, & eius pericula dicenda infrà ead. dist. §. *Si verò quæratur.* Igitur si nolit operari cum possit, & non excusetur à præcepto Apostoli supradicto, sed exponat se mendicitati, & eius periculis infrà ead. dist. exponendis, videtur tentare Deum; & qui hoc faciendum docet, non videtur sana esse eius doctrina.

§. Sed fortè obijciet Otiositatis Defensor dicens; quod ille solus tentat Deum, qui cum aliter vitæ suæ valeat prouidere, nihilominùs tamen tali periculo se exponit, quod vitari non potest, nisi diuinô miraculô; quale periculum non est mendicitas, vt asserunt, cum possint vitari eius pericula sine diuino miraculo, videlicet per eleemosynas fidelium deuotorum.

§. Ad cuius obiectionis responsionem sufficere posset authoritas Augustini præmissa, vbi dicitur, *Cum autem operari possumus, non debemus tentare Deum, &c.* per quam apparet, *Quod mendicare*, quando possumus corporaliter operari, nec legitimè excusamur à præcepto Apostoli, *est tentare Deum.* Verumtamen, ne dicta obiectio alicuius videatur esse momenti, dicimus, quod ipsa falsum supponit; videlicet, quod ille solus tentat Deum, qui cum aliter vitæ suæ valeat prouidere, nihilominùs tamen se exponit tali periculo, quod euitari non possit nisi diuinô miraculô. Nam ille, qui certat in duello, potest euadere mortem sine diuino miraculo, videlicet per naturalem

corporis fortitudinem, vel per artem; & tamen, quia committit se discrimini mortis, cum ex humana ratione, vel prouidentia aliud facere possit, tentat Deum, vt legitur 2 q. 4. cap. *Monomachiam.* Item Abraham, quando Saram vxorem suam dixit esse sororem suam, ne propter illius pulchritudinem occideretur, *Genes.* 20. licet posset euadere mortem sine diuino miraculo, cum dubium esset illum pro vxore sua occidendum, tamen noluit se committere dubio euentui mortis, sed humanâ ratione sibi prouidit, eam appellando sororem; *Quod si non fecisset, Deum tentasset*, vt dicit Augustinus *in Quæstionibus Genes.* & habetur 22. q. 2. cap. *Quæritur.* Sic ergo patet, quod non solùm ille tentat Deum, qui cum aliter vitæ suæ valeat prouidere, nihilominùs tamen exponit se tali periculo, quod sine miraculo vitari non potest; sed etiam ille, qui exponit se dubio euentui mortis, vel mortalis peccati, cum ex humana ratione sibi valeat aliter prouidere. In quo casu sunt illi, qui exponunt se mendicitati, & eius periculis inftà ead. dist. §. *Si verò quæratur*, dicendis; cum tamen possint corporaliter operari, nec possint à præcepto Apostoli legitimè excusari, vt ostensum est paulò ante, §. *Notandum etiam.*

§. Si verò dicatur, quod mendicantes, etiam in casibus non exceptis, non tentant Deum, eô quod confidunt in deuotione fidelium; non habet hoc rationem sufficientem; cum in primitiua Ecclesia, in qua erant omnes Christiani tantæ charitatis, quantæ sunt modò Religiosi perfectissimi, vt dicit Hieronymus in lib. *De Illustribus Viris*, propter quod pauperes Christiani magis poterant confidere in deuotione fidelium, quàm modò possunt; nihilominus tamen prohibuit Apostolus mendicationem illis, qui poterant corporaliter operari, vt ostensum est suprà ead. dist. in principio; & ad hoc etiam, id est ad operandum corporaliter, dedit semetipsum in exemplum. Vnde super illud 2. Thess. 3. *Vt nosmetipsos formam daremus vobis*, dicit Glos. *Apostolus forma erat*, videlicet victum corporaliter operando, *ijs, qui tenues erant substantiâ in plebe, vt discerent libertatem suam non amittere*, videlicet adulando, vel aliud peccatum committendo propter mendicitatem. Vnde sequitur in Glos. *Qui enim ad alienam mensam frequenter conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se, cum Religio Christiana ad li-*

bertatem homines aduocet. Ideo dicit Seneca. *Beneficium accipere, libertatem perdere eſt*. Item, quâ præſumptione Chriſti Prædicator egenus multô minùs gratioſus, quàm Chriſtus, in deuotione fidelium ſibi victum nullô iure debentium, ſperare audebit? cum ipſe Chriſtus Dominus Prædicatorum gratioſiſsimus, cum totâ die in Ieroſolymis prædicaſſet, vbi erat ſatis notus, vtpotè ibi diutiùs conuerſatus, quia tamen nemini adulando, veritatem quibuſdam aſperam prædicauit, in tanta vrbe, nec in hoſpitio, nec in victu vllam deuotionem inuenit, vt oſtendetur pleniùs infrà ead. diſt. §. *Item obiciunt Chriſtum mendicaſſe hoſpitium*. Et verè diebus iſtis parùm poteſt ſperari in deuotione fidelium; quia diebus iſtis adeò refriguit charitas, quod paruæ & paucæ modò fiunt eleemoſynæ; niſi, vel propter retributionem aliquam in præſenti, vel propter præſentem verecundiam, vel propter importunitatem tollendam, vel propter aliam cauſam non meritoriam; cuiuſmodi eleemoſynas non captant illi, *Qui non quærunt datum, ſed fructum*, Philip. 4. quia tales eleemoſynæ inutiles ſunt facientibus eas; quod ſic patet. Eleemoſynæ enim, quæ fiunt propter retributionem aliquam in præſenti, non beatificant, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. in illo §. *Item quod Validi*. Si autem fiat eleemoſyna, vel propter præſentem verecundiam; vel propter aliam cauſam non meritoriam; tunc *perditur & res, & meritum*, vt dicit Gloſ. ſuper illud 2. Corinth. 10. *Hilarem datorem diligit Deus*; & oſtendetur pleniùs infrà diſt. 4. in 48. ſigno. Patet igitur, quod confidere, vel ſperare in deuotione fidelium, non excuſat prædictos mendicantes, quominùs tentent Deum; præſertim, cum ſpes ſit expectatio incerti boni; vnde Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 9. *Spes incerti boni nomen eſt*. Cum igitur mendicantes omninò incerti ſint de illorum, à quibus petunt, deuotione, aut largitate fidelium, cum omninò incerta ſit, non excuſat hominem indigentem operari potentem, quominùs tentet Deum, ſi non operetur corporaliter propter victum; niſi excuſetur à præcepto Apoſtoli in aliquo caſuum prædictorum ſuprà ead. diſt. in illo §. *Sunt autem quidam caſus*, cum ſequentibus ſeptem Paragraphis. Relinquitur ergo, quod omnes Serui Dei ad operandum idonei, qui non habent aliter vnde viuant, iuxta præceptum Apoſtoli ſupradictum tenentur operari corporaliter propter victum potiùs, quàm mendicitati per-

Digitized by Google

petuæ ſeſe exponere, niſi in caſibus ſupradictis. Alios enim caſus excuſandi à præcepto Apoſtoli non meminimus nos legiſſe in diuinis literis, nec etiam in humanis. Si quis autem in Canonicis Scripturis plures caſus inuenerit, quod non credimus, non repugnamus; ſed facile aſſentimus.

§. Si verò quæratur, quare Apoſtolus Seruos Dei egentes, potentes operari corporaliter vnde viuant, præcepit operari, ne mendicare cogantur? Reſpondemus, quoniam tales mendicantes, vt facilius viuere valeant in otio corporali, & inertiam ſuam foueant, frequenter cadunt in varia genera peccatorum, iuxta illud Eccleſ. 27. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Quod intelligitur, non ſolùm de inopia cordis, ſed etiam corporali. Vnde Gloſ. *Propter inopiam cordis & corporis.* Vnde ſequitur per antitheſim, *Et qui quærit locupletari, auertit oculos ſuos.* Gloſ. *à timore Dei.* Quaſi diceret. *Nec nimia inopia ſecura eſt, nec amor diuitiarum.* Aliquando enim, cum plærumque mendicantibus magis propter præſentem pudorem, aut propter eorum importunitatem, aut propter aliam cauſam incompetentem, quàm ex bona & libera voluntate detur, vt dictum eſt paulò ante; data ſuis datoribus infructuoſa frequenter extorquent; & ſic datores ſuos cum nulla eorum vtilitate grauant, quod eſt contrarium vitæ & doctrinæ Apoſtoli, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt §. *Item multis.* Item tales mendicantes, qui de labore corporali viuere poſſunt, cum non habeant neceſſitatem petendi neceſſaria vitæ, quam mendicando voce, vel manu, ſecundùm etymologiam Iſidori ſe habere dicunt, mendicando mentiuntur; & ſi de tali mendicatione viuunt, de mendacio viuunt; & ſic in peccato, & de peccato viuunt; vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sunt igitur otioſi*, & §. *Sed forte.* Item propter hoc prohibentur ab Apoſtolo mendicare, quoniam tales mendicantes plærumque, vt ad alienam menſam frequentiùs conuenire poſſint, vel vt eis aliàs libentiùs tribuatur, adulatores fiunt, vt oſtenſum eſt paulò ante in illo. §. *Si vero dicatur.* Aliquando verò propter cibi penuriam, ſicut adulantur ſuis largitoribus, ita detrahunt nolentibus eis largiri. Vnde Rom. vlt. ſuper illud *Huiuſmodi enim non Domino ſeruiunt, ſed ſuo ventri*, dicit Gloſ. *Alijs adulantur, alijs detrahunt, vt poſſint ſuum ventrem implere.* Item Bernardus. *Hypocritæ alijs adulantur, alijs detrahunt; mordaces vt canes, doloſi vt vulpes, ſuperbi vt*

leones; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Volunt esse sine cognitione causæ iudices, sine visu testes; falsi accusatores, & omni veritate carentes. Ergo cum submiserint vocem suam, ne credas eis, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illorum. De quibus dicitur Ezech. 13. *Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas.* Glos. *Id est suauem adulationem.* Quasi diceret. *Væ qui decipiunt, tam iuuenes, quàm senes, suauiter adulando.* Ecce quomodò adulantur. Sequitur. *Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmentum panis;* Glos. *Id est, propter refectionem ventris.* Sequitur. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur.* Glos. *Mortuas dicentes, si non datur quidpiam in ore ipsorum.* Ecce detractio. Sequitur. *Et viuificarent animas, quæ non viuunt;* Id est *vivas, siue iustas, dicentes animas iniustorum dum tamen quidpiam darent eis.* Ecce iterum adulatio. Sequitur. *Mentientes populo meo credenti mendacijs.* Ecce qualiter suis largitoribus mendaciter adulantur, & mendaciter detrahunt nolentibus eis largiri. Ideo dicit Seneca, *Necessitas egentem, mendacem facit.* Mendaciter ergo suos iustificant largitores, & mendaciter condemnant sibi largiri nolentes; contra illud Eccles. 5. *Iustifica pusillum & magnum similiter;* Id est *Æqualiter, sine personarum acceptione.* Prouerb. 17. *Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Tales iustificantes & condemnantes pro muneribus, maledicuntur à Domino per Isaiam cap. 5. dicentem, *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Non solùm autem adulantur largitoribus suis, & nolentibus largiri detrahunt; verùm etiam nolentes largiri sub aliqua specie pietatis impugnant; videlicet velut criminosos publicè diffamando, & eorum damna temporalia procurando. Vnde Michææ 3. *Hæc dicit Dominus super,* id est contra *Prophetas*, id est Pseudo, *qui seducunt populum meum*, scilicet sibi alliciendo, *qui mordent dentibus suis*, videlicet detrahendo, *& prædicant pacem*, videlicet adulando; *Et si quis non dederit in ore eorum quidpiam*, splendidè eos pascendo, vel alia munera largiendo, *sanctificant*, id est sanctum prædicant, & sanctum prædicando suscitant *contra eum prælium*, videlicet publicè tamquam criminosum diffamando, & damna eius temporalia, quasi zelò iustitiæ procurando. Ecce qualiter adulantur, & detrahunt

Digitized by Google

propter neceſſitatem ſuæ mendicitatis. Aliquando autem propter mendicitatem cadunt in furtum & periurium, & in obliuionem æternorum. Vnde Prouerb. 3. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.* Et infrà, *Ne egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei.* Gloſ. *Ne copiâ & inopiâ rerum tranſeuntium in obliuionem incidam æternorum.* Ecce periculum furti, periurii, & generaliter obliuionis æternorum. Propter inopiam enim rerum tranſeuntium, quæ neceſſariæ ſunt ad huius vitæ ſuſtentamentum, facilè cadit mendicus in obliuionem æternorum, niſi per gratiam adiuuetur; malè ſcilicet cupiendo rem alienam ad ſuam neceſſitatem ſupplendam; & ſic aperit Diabolo cordis portam, contra illud Apoſtoli Epheſ. 4. *Nolite locum dare Diabolo*; Gloſ. *Per malam cupiditatem.* Et infrà. *Si cupis aliquid terrenum, hâc portâ intrat Diabolus.* Propter quod ſubiungit Apoſtolus, *Qui furabatur, iam non furetur.* Gloſ. *Id eſt, non aliquô dolô quid auferat.* Dolô autem aufertur, quod per adulationem, vel detractionem, vel per ſanctitatis, aut publicæ vtilitatis ſimulationem, aut per aliud mendacium mendicando extorquetur, vt dictum eſt paulò ante, & dicetur paulò poſt. Et ideo melius eſſet manibus operando victum quærere, quàm præter caſum licitum mendicare. Vnde continuò ſubiungit Apoſtolus, *Magis autem laboret*, Gloſ. Vnuſquiſque *operando manibus ſuis*, Gloſ. non praua opera lucri, *ſed quod bonum eſt*, ℣ *habeat*, non tantùm vnde viuat, ſed etiam *vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Aliquando etiam validi mendicantes, quando otioſi viuere volunt, ingerunt ſe alienis negotijs, linguâ, vel manu gerendis, vt ex eis ſuauiùs viuant; & propterea vagantur hac & illac, vnde fiunt curioſi & gyrouagi; & ſic ducunt vitam contrariam doctrinę Apoſtoli, vt oſtendetur infrà ead. diſt. §. *Quoniam autem.* Propter mendicitatem etiam, qui otioſè viuere volunt, multipliciter ſimulatores fiunt; nam, vt miſerabiliores appareant, & ex eo eleemoſynas largiores acquirant, plærumque ſimulant ſe infirmos, vel debiles; cum tamen ſint ſani & fortes, vt videmus quotidie in *Trutannis.* Plærumque autem per hypocriſim ſimulant ſe eſſe ſanctos; cum tamen parùm, aut nihil ſanctitatis præter ſpeciem exteriorem habeant, vt videmus in aliquibus *Papelardis.* Item tales validi mendicantes, ſi eleemoſynas importunè petant, & indifferenter recipiant, pauperes impotentes operari corporaliter

corporaliter vnde viuant, eleemosynis eis ex charitate debitis defraudant, & quodammodò eorum homicidium perpetrant, iuxta illud Ecclesiastici 34. *Panis egentium vita pauperis est; Qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Recipiendo etiam eleemosynas inualidis & esurientibus erogandas, & sic eos vitæ suffragijs defraudando, Sacrilegium videntur committere, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Item videtur.* Certum etiam est, quod propter mendicitatem, aut nimiam egestatem continuam facilè à iustitia declinatur; Vnde 1. Thess. 5. super illud, *Rogamus vos, Fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos*, dicit Glos. *Sicut diuitiæ negligentiam salutis pariunt; ita egestas, dum saturari quærit, à iustitia declinat.* Nota, quod non dicit Glos. *dum voluptates quærit*, sed, *dum saturari quærit.* Quasi diceret. *Quando tanta est egestas, quod non habet homo vnde saturari valeat, tunc propter necessitatem cibi facilè à iustitia declinat.* Et hoc est contra illos, qui dicunt, quod mendicare propter sustentationem, non est illicitum, sed tantùm propter voluptatem; quod manifestè contrarium est veritati. Saturari enim quærit homo esuriens, non voluptates quærens; sed sicut saturitatem quærit egestas, sic voluptates quærit saturitas. Ideo etiam præcipit Apostolus egenos validos operari corporaliter vnde viuant, *vt non cogantur egestate necessaria* (non dicit voluptuosa) *petere*, vt dicit Glos. August. posita suprà ead. dist. §. *Sunt igitur otiosi.* Item Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 13. *Præcauit hoc Apostolus, ne quisquam ex necessitate sustentandæ vitæ in mala opera dilabatur.* Non dicit, *ex causa voluptatis quærendæ*, sed, *ex necessitate sustentandæ vitæ.* Non est igitur licitum mendicare, siue propter voluptatem, siue propter sustentationem, nisi in casibus supradictis. Et hoc idem patet per legem humanam, quæ ideo prohibet validos mendicare, *Ne sic mendicando*, siue propter sustententationem, siue propter voluptatem, *foueant inertiam suam.* Cod. *De Mendicantibus validis.* L. *Vna*, lib. 11. Item in Authentic. *De Quæstore, §. Si verò occasione vitæ*, Coll. 6. Item certum est, quod valde periculosa est omnis necessitas; cogit enim hominem omnia experiri, & inopinata, & pudenda. Vnde Seneca *Omnia experiri cogit necessitas.* Item Petrus Anfulsi. *In tantum est pessima necessitas, vt omnia experiri cogat, atque legem non seruare compellat, & ad res cunctas constringat.* Item Seneca. *Necessitas*

ab homine, quæ vult impetrat. Item Petrus Anfulſi. *Magnâ neceſsitate cogitur, etiam honeſtus homo, latrinam adire.* Ideo dicit Seneca *Ad Lucilium*, Epiſt. 11. *Malum eſt in neceſsitate viuere.* Inter omnes autem neceſſitates valde periculoſa eſt neceſſitas Mendicantis, qui propter neceſſitatem cibi mendicat. Nam propter illam coguntur & matres manducare filios ſuos, vt patet in Mulieribus Samariæ, quæ propter cibi penuriam comederunt filios ſuos. 4. Reg. 6. Et in Ieruſalem propter eamdem penuriam *manducauit homo carnes filij ſui, & carnes filiæ ſuæ* Baruch 2. Patet igitur, quàm ſit periculoſa mendicitas; illorum autem maximè, qui ſi vellent, poſſent aliter ſine peccato victum habere.

§. De inhoneſtate, & periculis ſpiritualibus talium Mendicorum, qui ſine peccato poſſent aliter victum habere; præcipuè autem Regularium, qui in clauſtris, vel cellis, viuere debuerunt, ſed mendicando diſcurrere, & alienis bonis & muneribus inhiare potiùs elegerunt, quàm præcepto Apoſtoli obedire 1. Theſſ. 4. dicentis. *Operemini manibus veſtris, ſicut præcipimus vobis, vt nullius aliquid deſideretis;* dicit Caſſian. in lib. 10. De inſtitutis Monachorum. *Numquam poteſt apud illos, qui ſæculi homines ſunt, honeſtè incedere, qui nequaquam clauſtro, vel cellæ, vel operi manuum ſuarum contentus eſt inhærere; ſed neceſſe eſt eum inhoneſtum eſſe; dum neceſſaria victus requirit, adulationi quoque operam dare; nouitates etiam rumorum ſectari; cauſarum, fabularumque occaſiones conquirere, per quas ſibimetipſi aditum paret ad facultatem, quâ diuerſorum domos valeat penetrare. Non poteſt non alienis donis & muneribus inhiare, qui non delectatur piô quietoque labore operis ſui, quotidiani victus ſui parare ſubſtantiam.* Et infrà. *Itaque ab aliis, qui vacare operi nolunt, iubet Apoſtolus ſubtrahi, & eos velut membra otij corrupta putredine reſecari, ne inertiæ morbus, velut lethale contagium, & ſanas membrorum partes tabô, ſerpente morbô, corrumpat. Dicturuſque idem Apoſtolus de ijs, qui operari manibus ſuis nolunt, & panem ſuum cum ſilentio manducare, à quibus etiam præcipit ſubtrahendum, qualibus à principio probris inuret, attendite. In primis inordinatos dicit, nec ſecundùm traditionem ſuam ambulare; alijs verbis contumaces eos (vtpotè qui nollent iuxta inſtitutionem eius incedere) & inhoneſtos eſſe deſignans.* Et infrà. *Omnibus enim vitijs iſtis inordinatum quemque neceſſe eſt ſubiacere.* Hinc etiam Ambroſius ſuper 2. Epiſt. *Ad*

Digitized by Google

Theſſ. dicit, quia qui otioſi eſſe deſiderant, id agunt, quatenùs occaſio naſcatur, quâ introitum ſuum deſiderabilem faciant, domibus diuitum adulantes. *Geſta*, inquit, *& opiniones ſubtiliter colligunt, ſcientes quid, & de quo velint audire, vt libenter & & requiſiti paſcantur.*

§. Quoniam igitur tot mala ex mendicitate proueniunt, ideo dicit Auguſtinus in libro *De Opere Monach.* cap. 13. *Præcauit hoc Apoſtolus, ne quiſquam ex neceſsitate ſuſtentandæ vitæ in mala opera dilabatur*, vt dictum eſt paulò ante §. *Si verò quæratur.* Ideo etiam dicit Eccleſiaſticus cap. 40. *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas; melius eſt enim mori, quàm indigere.* Quod licet exponatur ſecundùm Gloſſam vnam *de indigentia ſpirituali virtutum*, tamen ſecundùm aliam Gloſſam exponi poteſt *de indigentia corporali, quæ prouenit ex pigritia & otio.* Vnde Gloſ. Interlinearis dicit. *Pigritiam & otium prohibet.* Ideo etiam dicit Hieronymus ad Nepotianum. *Numquam petentes, rarò accipiamus rogati; beatius enim eſt magis dare, quàm accipere. Neſcio enim quô modô etiam ipſe, qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis, viliorem te iudicat; & mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteriùs veneratur.* Item in eodem. *Faciliùs contemnitur, qui ſæpe vocatus ad prandium, ire non recuſat.* Quid ergo erit de illis, qui non vocati ad prandium, ſæpe ingerunt ſe inuitis? Propter pericula etiam mendicationis dicit Salomon Eccleſiaſtis 7. *Melior eſt ſapientia cum diuitijs*, Gloſ. quàm ſola, *& magis prodeſt videntibus ſolem*, Gloſ. iuſtitiæ; *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.* Gloſ. *& habentem, & cui datur.* Vnde Auguſtin. *De Ciuitate Dei* lib. 1. cap. 10. *Cum dicit Apoſtolus* 1. *Timot.* 6. QVI VOLVNT DIVITES FIERI, INCIDVNT IN TENTATIONES, ET IN LAQVEVM DIABOLI; *profectò in diuitijs cupiditatem reprehendit Apoſtolus; non facultatem, quam præcipit alibi dicens* 1. *Timot.* 6. BENEFACIANT DIVITES, SINT IN OPERATIONIBVS BONIS, FACILE TRIBVANT &c. Item Greg. lib. 10. Moral. *Cenſus non eſt in crimine, ſed affectus.* Item Auguſtin. Epiſtolâ Ad Saluinam. *Nec diuiti obſunt opes, ſi ijs bene vtatur; nec pauperem egeſtas commendabiliorem facit, ſi inter ſordes & inopiam, peccata non caueat.* Item Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 6. *Non putemus frugalitatis indicium, auro argentoque caruiſſe.* Et infrà. *Infimi animi eſt, non poſſe pati diuitias.*

§. Ad euitandum igitur pericula mendicationis in Clericis,

ſtatutum eſt in Sacris Canonibus, *Quod nulla Eccleſia ædificetur, niſi priùs Fundator eam competenter dotauerit ad ſuſtentationem miniſtrorum ipſius*; De Conſecrat. diſt. 1. can. *Nemo Eccleſiam ædificet*. 16. q. 7. cap. *Piæ mentis*. Item in conſilio Bracharenſi 2. *Vnuſquiſque Epiſcoporum meminerit, vt non priùs ædificet Eccleſiam, niſi anteà dotem Baſilicæ, & obſequio eius per donationem cartulæ confirmatam accipiat; nam non leuis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminariis, vel ſine liberali ſuſtentatione illorum, qui ibi ſeruituri ſunt, tamquam domus priuata conſecretur Eccleſia.* Ob eamdem cauſam prohibitum eſt, *Quod nullus Epiſcopus ordinet Clericum ſine titulo, alioquin det ei vnde competenter valeat ſuſtentari.* Extrà *De Præbendis*, cap. *Non liceat*, & cap. *Epiſcopus*, & cap. *Cum ſecundùm Apoſtolum.*

§. Ad vitandum etiam pericula mendicationis in Monachis, ſeu Regularibus viris ſtatutum eſt, *Quod non amplius ſuſcipiantur in Monaſterio Monachorum, aut Clericorum, ſeu etiam Puellarum, quàm quot ſe regere de bonis Eccleſiæ abſque penuria poſsint.* Extrà *De Inſtitutionibus*, cap. *Non amplius.*

§. Patet igitur, quàm ſit periculoſa, & à iure reprobata perpetua mendicitas; maximè in Clericis, & Regularibus viris. Vnde *Clericus mendicans* appellatur *infelix, & ſeruili operi mancipatus* diſt. 33. can. *Diaconi ſunt*, vbi dicitur, *Mendicat in plateis infelix Clericus, & ſeruili operi mancipatus, à quolibet publicam depoſcit eleemoſynam.* Vtrùm ergo ſit licitum, vel magis abſurdum & periculoſum, & Sanctorum Patrum ſtatutis canonicis inimicum, & Iuri tam Canonico, quàm Ciuili contrarium; infinita collegia Virorum, & aliqua Fœminarum, perpetuò mendicantium, inſtaurare, & eorum multiplicationem ferè omnibus oneroſam, per authoritates extortas, aut per rationes ſophiſticas approbare; iudicet, qui iudicare poteſt.

§. Sed forſan dicet Otioſitatis Defenſor, quod illos ſaltem mendicos, qui propter Chriſtum omnia reliquerunt, & ſic in ſtatu perfectionis exiſtunt, non permittit Chriſtus cadere in prædicta pericula peccatorum; quia ſufficienter illis prouidet neceſſaria vitæ, iuxta illud Ioſue 1. *Non te dimittam, neque derelinquam.*

§. Sed certè contra hoc, eſt iam dicta prouiſio dictorum Patrum, qui timore mendicitatis Clericorum, & Regularium Virorum, qui propter Chriſtum omnia reliquerunt, præmiſ-

Digitized by Google

ſa ſtatuta diuinitùs ediderunt. Item contra hoc etiam eſt inſtantia manifeſta, in Iuda Domini proditore, qui cum eſſet electus à Domino, iuxta illud Ioan. 6. *Nonne ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt?* (quod dicebat propter Iudam proditorem, vt dicit Gloſſ.) & propter Dominum omnia reliquiſſet (vnde Petrus loquens pro omnibus Apoſtolis, inter quos erat Iudas, dicit Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*) & ſic, non dico, perfectus, ſed in ſtatu perfectionis eſſet; nihilominùs tamen poſteà, adhuc manens Apoſtolus, propter inopiam & cupiditatem pecuniæ, lapſus eſt in furtum & proditionem. Vnde Ioan. 12. dicitur de illo, quia *Fur erat, & loculos habens*, Gloſ. loculorum Domini cuſtos, *ea, quæ mittebantur*, Gloſſ. in loculos, *portabat*, Gloſſ. miniſteriô, ſed tollebat furtô, id eſt aſportabat. Vnde etiam Chriſtum vendidit, vt haberet pecuniam Matth. 26. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Si ergo inter duodecim Apoſtolos à Domino electos, qui reliquerunt omnia propter Chriſtum, vnus illorum poſteà lapſus eſt in furtum & proditionem, *quoniam adhuc in rebus temporalibus cor habens, vinculum cupiditatis non omninò abruperat*, vt dicit Gloſ. ſuper illud Pſal. 108. *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, &c.* non eſt mirum, ſi inter infinitas duodenas hominum, per ingreſſum Religionis omnia propter Chriſtum relinquentium, non tamen poſteà longè à Sæcularium conuerſatione habitantium; immò inter gentes in ciuitatibus commixtorum, nec non inter Sæculares Viros & Mulieres frequenter conuerſantium; non de labore corporali, quem non exercent; non de communibus bonis Eccleſiæ, quæ non habent; ſed de ſola mendicitate ab ipſis Sæcularibus ſemper viuentium; inueniantur multi, qui adhuc in rebus ſæcularibus cor habentes vinculum cupiditatis, aut alterius affectionis ſæcularis non omninò abruperint, dicente Dauide Pſal. 105. *Commixti ſunt inter gentes, & dedicerunt opera eorum.* Præſertim, cum eorum innumera multitudo melior non exiſtat illâ hominum paucitate, quæ habitauit in arca Noe, aut in domo Abrahæ aut in domo Iſaac, aut in domo Iacob, aut in domo Dauid, aut in conſortio ipſius Chriſti, de qua paucitate aliqui grauiſſimè peccauerunt; Nec ſit ſecurior eorum cohabitatio, quàm ſit Cœlum Empy-

reum, vnde Angeli ceciderunt. Vnde Augustinus in Epistola *Ad Ecclesiam Hipponensem* dicit, *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo; nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est; aut melior sit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum est,* EIICE ANCILLAM, ET FILIVM EIVS; *aut melior sit, quàm domus Isaac, vbi de duobus geminis dictum est,* IACOB DILEXI, ESAV ODIO HABVI; *aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit; aut melior sit, domus Dauid, cuius filius cum sorore concubuit; cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit; aut melior sit, quàm cohabitatio ipsius Domini Iesu Christi, in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam tolerauerunt; aut melior postremò, quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt. Simpliciter fateor charitati vestræ, coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quô modô difficile sum expertus meliores, quàm qui in Monasterijs profecerunt; ita non sum expertus peiores, quam qui in Monasterijs defecerunt.* Et habetur dist. 47. can. *Quantumlibet.* Si ergo in tanta paucitate tam sanctarum congregationum, de quarum sanctitate dubitare non licet, quidam grauiter ceciderunt; quid mirum, si in Regularium multitudine infinita, inter homines Sæculares, vt dictum est conuersantium, & semper ab eis mendicantium, multi eorum, aut propter inopiam, aut propter aliquam occasionem, vel causam, quæ frequenter illis se offerunt, grauiùs cadant in varia genera peccatorum? præsertim, cum multi fortè illorum, propter facilem victum habendum, in otio corporali, & vt ab illis, à quibus contemni consueuerant, honorentur, ad Religionem venerint, vt ostendetur infrà ead. dist. §. *Item nota*, multi fortè propter laudem humanam; multi fortè, vt per hoc ad honores huius mundi faciliùs exaltentur; non à Domino forsitan, ad instar Apostolorum, electi; sed magis ab illo, qui transfigurat se in Angelum lucis, sub quadam specie pietatis decepti, vt pleniùs ostendetur infrà dist. 3. Patet igitur, quod etiam illos, qui reliquerunt, aut reliquisse videntur omnia propter Deum, permittit Deus cadere in furtum, & proditionem, adulationem, & detractionem, propter cupiditatem pecuniæ, aut propter necessitatem victus, & in alia turpissima genera peccatorum.

§. Item, cum Apostolus de Timotheo viro perfectissimo,

& qui omnia reliquerat propter Christum, nihilominùs timeret, ne fortè propter defectum victus incideret in sæcularia desideria, eô quod infirmitate corporis impeditus corporaliter operari non valebat, & mendicare erubescebat, vt ostendit Augustinus in libro *De Opere Monach.* cap. 14. & ostendetur infrà ead. dist. §. *Item si humilis*; Multô fortiùs timeri potest de Religiosis huius temporis, qui propter Deum omnia reliquerunt, aut reliquisse se dicunt; ne propter defectum victus inciderent in sæcularia desideria, si de bonis Ecclesiæ aut de corporali labore non viuerent; præsertim, cum mendicare non sit licitum, nisi in casibus supradictis suprà ead. dist. §. *Sunt autem quidam casus*, & 7. Paragraphis sequentibus.

§. Ideo sapientissimus Salomon sapienter rogauit Dominum Prouerb. 3. dicens, *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo necessaria*, vt dictum est suprà ead. dist. §. *Si verò quæratur.* Propter quod apparet, quod ille vir inter mortales sapientissimus, mendicitatem & diuitias, tamquam duo extrema fugere docuit; & vitæ necessaria, tamquam medium inter duo extrema optauit; *quod medium* meritò appellare possumus *paupertatem*, siue *sufficientiam necessariorum*; sic ènim appellat eam Augustinus in libro *De Orando Deo*, dicens ibidem *Quod ipsa sufficientia decenter postulatur, siue oratur à Deo, non propter se ipsam, sed propter salutem corporis, & propter congruentem habitum personæ hominis, quô habitô non sit inconueniens eis, cum quibus honestè officioseque viuendum est.* Quod autem decenter postuletur à Deo, & decenter habeatur necessariorum sufficientia cum paupertate, manifestè patet ex eo, quoniam Christus Dominus & eius Apostoli, qui verissimi pauperes absque ambiguitate fuerunt; vitæ tamen necessaria, in bonorum communitate viuentes, procul dubiô habuerunt, vt ostendetur pleniùs infrà dist. 4. in 11. signo §. *Sed esto.*

§. Sed quidam Otij Defensores in quibusdam libellis suis huic libello contrarijs, delirando scripserunt, quod ibi loquitur Salomon pro Imperfectis tantùm, eô quod *in libro Prouerbiorum*, vt dicit Hieronymus, *instruit Salomon Incipientes, in Ecclesiaste Proficientes, in Cantico Canticorum Perfectos.* Quasi verò, in nonnullis locis Prouerbiorum non instruxerit etiam Perfectos, vt ibi. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.* Prouerb.

25. Quod autem Salomon præmissam orationem fecerit etiam pro Perfectis, ostendit planè Augustinus in Epistola ad Probam *De Orando Deo*, vbi ait. *Quia quod Apostolus dixit Perfectos instruens* 1. *Timot.* 6. EST AVTEM QVÆSTVS MAGNVS PIETAS CVM SVFFICIENTIA; *& infrà*, HABENTES ALIMENTA, ET QVIBVS TEGAMVR, HIS CONTENTI SIMVS; *Hoc idem Salomon petijt dicens*, MENDICITATEM ET DIVITIAS NE DEDERIS MIHI, *&c.* Optauerunt igitur tam Salomon, quàm Apostolus, vitæ necessaria sibi & alijs viris perfectis, ne cogerentur quærere aliena. Ob eamdem causam idem Apostolus, cum mandasset Tito Cretensium Episcopo, vt mitteret eis Zenam Legisperitum, & Apollo, *qui erant viri perfecti in Scripturis*, vt dicit Glossa, mandauit eis dare vitæ necessaria, ne egestate cogerentur quærere aliena dicens Tit. 3. *Zenam Legisperitum, & Apollo so licitè præmitte, vt nihil desit illis.* Gloss. *Vt quæ ad viaticum necessaria sunt illis, habeant in suis sitarcijs, ne quærant aliena.* Ex quibus perpendi potest, quod habere vitæ necessaria in communi, perfectionem non minuit paupertatis; immo nec habere thesaurum Ecclesiæ in communi. Vnde Hilarius super Matthæum *Non inuidiosus, vt arbitror, thesaurus in zona est, qui profectò, si de perfectione detraheret, habenti insidians & inuidiosus esset.* Quod autem habere possessiones communes, vel pecuniam communem, non minuat perfectionem Ecclesiasticæ paupertatis, ostendetur plenius infrà dist. 4. in 11. signo §. *Sed esto*, cum sequentibus Paragraphis.

§. Ad illud autem, quod obiectum est suprà §. *Sed forsan dicet*, ex Iosue cap. 1. *Non te dimittam, neque derelinquam*; Responderi potest, quod nullum dimittit Deus quærentem regnum eius; quoniam omnes quærentes regnum Dei, si indigeant, pascit Deus; aut sicut homines, videlicet de corporali labore, si sint validi; aut sicut aues, videlicet de eleemosynis, si sint inualidi; aut de bonis Ecclesiæ, si sint occupationibus Ecclesiasticis penitùs impediti, vt ostensum est supra ead. dist. §. *Item omnes regnum Dei quærentes.*

§. Dicet autem adhuc Otiositatis Defensor, sicut dicit Glos. Rom. 15. super illud *Probauerunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Ierusalem.* Ecce quidam reliquerunt omnia propter Deum; totos se dederunt diuinis obsequiis, nihil mundanum curantes; exemplum bo-

næ

næ conuerſationis præbent alijs, ſicut faciebant illi pauperes Sanctorum, qui erant in Ieruſalem tempore Apoſtolorum. *Act.* 4. Et ideo volunt omninò vacare ſpiritualibus, ſcilicet orationibus, pſalmis, & lectioni, & prædicationi; & ne interponant iſta opera ſpiritualia, quæ ſunt meliora corporalibus, ideo nolunt operari corporaliter, vnde viuant; ſed magis eligunt mendicare; & hoc appellant mendicare ptopter Deum; Nonne iſti licitè mendicare poſſunt, licet validi ſint corpore ad operandum? Immò videtur, quod ad opus illorum debeant fieri collectæ per vniuerſam Eccleſiam, ſicut fiebant tunc ab Apoſtolis, ad opus illorum, qui erant tunc in Ieruſalem, vt legitur *Rom.* 15. *&* 2. *Corinth.* 8. Non enim prætermittenda ſunt ſpiritualia opera, quæ ſunt maiora bona, propter opera corporalia, quæ ſunt minora bona: ſed è contrario. Vnde Luc. 9. ſuper illud. *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*, dicit Gloſſ. *Docet Dominus minora bona pro vtilitate maiorum eſſe prætermittenda.*

§. Ad quod ſufficienter reſpondet Auguſtinus, loquens contra illos Monachos Carthaginenſes, contra quos fecit librum *De opere Monachorum*, qui ſimiliter ſe excuſabant à præcepto Apoſtoli de operando manibus propter neceſſitatem victus, eô quod ſpiritualibus operibus vacabant. Vnde in eodem lib. cap. 17. opponit Auguſtinus contra illorum excuſationem in hunc modum dicens. *Quid enim agant, qui corporaliter operari nolunt; cui rei vacent, ſcire deſidero.* Et ſtatim ponit reſponſionem eorum dicens. *Orationibus, inquiunt, & pſalmis, & lectioni, & verbo Dei*, id eſt prædicationi. Deinde huic reſponſioni opponit dicens. *Sancta plane vita. Sed ſi ab ijs auocandi non ſumus; non manducandum eſt, nec ipſæ eſcæ quotidie præparandæ, vt poſſint aſſumi. Si autem ad iſta ſeruos Dei certis interuallis temporum ipſius infirmitatis humanæ neceſſitas cogit; cur non & præceptis Apoſtolicis*, ſcilicet de operando corporaliter, *obſeruandis, aliquas partes temporum deputamus? Citiùs enim exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris.* Quaſi diceret. *Sicut interponunt opera ſpiritualia, propter cibum corporalem parandum, & manducandum; ſic debent interponere, propter cibum corporalem, corporaliter operando quærendum; maximè, quia citiùs exauditur vna oratio illius, qui obedit Apoſtolo, corporaliter operando, quàm decem millia illius, qui contra præceptum Apoſtoli, magis*

eligit mendicare, quàm operari corporaliter vnde viuat, cum posit, nullô legitimô impedimentô detentus; qui & contemptor mandati Apostolici dici potest. Item, licet moneat Apostolus 1. Thess. 5. *Sine intermissione orare*; id est *vitam aternam, ab eo, qui solus eam dare potest, sine intermissione desiderare*, vt exponit Augustinus in Epistola ad Probam *De orando Deo*; non tamen semper, immò cum vacat, est vocalibus orationibus insistendum; Id est, *cum per tales orationes non impediuntur aliæ bonæ & necessariæ actiones*, vt dicit Augustinus ibidem. Constat autem, quod *indigentibus necessarijs huius vitæ, bonæ & necessariæ actiones sunt opera corporalia, vnde viuant*, vt dicit Augustinus in libro *De Opere Monachorum*, cap. 24. Igitur opera corporalia, quando sunt necessaria propter victum, non sunt dimittenda propter multitudinem orationum. De hoc refert Hieronymus duo exempla in lib. 10. *De exhortationibus Patrum*. Vnum est, quod cum essent duo Monachi Fratres in cella, vbi viuebant de labore corporali, dixit vnus illorum nomine Ioannes, statuâ breuis, Fratri suo maiori, *Vellem esse securus, sicut Angeli sunt securi, nihil operantes, sed sine intermissione Deo seruientes*; & expolians se, quô vestitus erat, abijt in eremum, & factâ ibi hebdomadâ vnâ, fame compulsus reuersus est ad Fratrem suum; cui pulsanti ad ostium respondit Frater suus. *Quis es tu?* At ille dixit. *Ego sum Ioannes.* Cui Frater ait. *Ioannes Angelus factus est, & vltrà inter homines non est.* Ille autem pulsabat dicens. *Ego sum.* Et non aperuit ei, sed permisit eum affligi. Tandem aperiens dixit ei. *Si homo es, opus habes iterum operari vt viuas; si autem Angelus es, quid quæris intrare cellam?* Aliud exemplum ponit idem Hieronymus in eodem lib. dicens, quod cum quidam Frater veniisset ad Abbatem Syluanum in monte Sna, & vidisset Fratres laborantes, dixit Seni. *Nolite operari cibum, qui perit; Maria optimam partem elegit.* Et dixit Senex Discipulo suo. *Mitte Fratrem istum, vbi nihil est.* Et cum facta fuisset hora nona, intendebat ille Frater ad ostium, si vocarent eum ad manducandum; & cum nemo vocaret eum, surgens venit ad Senem dicens. *Abba, hodie Fratres non comederunt?* Qui dixit ei. *Etiam iam comederunt.* Et dixit Frater. *Quare me non vocastis?* Respondit Senex, *Tu homo spiritualis es, & non indiges hôc cibô nostrô. Nos autem carnales sumus, & volentes manducare, propterea operamur manibus nostris. Tu verò bonam partem elegisti, legens to-*

Digitized by Google

tâ die, & nolens ſumere carnalem cibum. Quod cum audiſſet Frater „proſtrauit ſe ad pœnitentiam dicens. *Ignoſce mihi, Abba.* Et dixit ei Senex, *Puto, opus habet omninò Maria Marthâ. Nam in veritate Contemplatiui laudantur per opera miſericordiæ, quæ agunt ipſi ex officio Marthæ.* Patet igitur per authoritates Auguſtini, & per exempla Hieronymi, quod ille, qui indiget neceſſarijs huius vitæ, intermittere debet orationes, & alia opera ſpiritualia (licet opera ſpiritualia ſimpliciter loquendo ſint meliora corporalibus) propter opera corporalia, vnde viuat; niſi ſpiritualibus ita ſit adſtrictus per Eccleſiam, quod nihil aliud agere poſſit; tunc enim excuſaretur à præcepto Apoſtoli de operando, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. in illo. §. *Sunt autem quidam caſus.*

§. Ad illud autem, quod obijcitur de Pauperibus Sanctis, qui erant in Ieruſalem, quod fiebant collectæ ad opus ipſorum; Reſpondet ſufficienter Auguſtinus, aſſignans ad hoc duplicem reſponſionem, quarum *Prima eſt*; quod illi Sancti, qui erant in Ieruſalem, cum diuites fuiſſent, & delicatè vixiſſent, omnia prædia ſua vendiderant, & pretia poſuerant ad pedes Apoſtolorum ad opus pauperum conuerſorum, vt legitur *Act.* 4. Vnde, quia indigebant, & vnde viuerent, non habebant, & mendicare erubeſcebant, vt oſtenſum eſt paulò ante de Timotheo §. *Item cum Apoſtolus*; & de corporali labore victum acquirere non valebant, quia præſumebatur eos laborem corporalium operum ferre non poſſe, eô quod diuites fuerant; ideo ad opus eorum fiebant collectæ. *Secunda ratio eſt*, quod iidem Sancti, qui erant in Ieruſalem, miſerant Gentilibus primos Prædicatores, qui eos ab idololatria conuerterant ad cultum Chriſti; & quia ſic eis ſua ſpiritualia communicauerant, ideo debitores eorum erant Gentiles conuerſi, vt eis ſua carnalia miniſtrarent; & ideo fiebant collectæ apud Gentiles conuerſos, ad opus illorum Sanctorum, qui erant in Ieruſalem. Et hoc probat Auguſtinus per Scripturam Apoſtolorum *Act.* 4. & per Scripturam Apoſtoli *Rom* 15. ſic dicens in eodem lib. cap. 20. *Solent tales, non meliùs, ſicut multi putant, ſed quod verum eſt, languidiùs educati, laborem operum corporalium ſuſtinere non poſſe. Tales fortaſsè multi erant in Ieroſolyma; nam ſcriptum eſt, quod prædia ſua vendiderint, & pretia eorum ante pedes Apoſtolorum poſuerint, vt diſtribueretur vnicuique, prout opus erat.* Ecce prima

responsio ; secunda sequitur , cum dicit. *Quia etiam propè inuentisunt, & vtiles fuerunt Gentibus, quæ ab idolorum cultu ex longinquo vocabantur, secundùm id quod dictum est* , EX SION EXIBIT LEX , ET VERBVM DOMINI DE IERVSALEM ; *Debitores eorum vocat Apostolus ex Gentibus Christianos , id est Gentiles conuersos. Rom.* 15. Sequitur. *Et addidit quare ; Si enim spiritalibus eorum , inquit , communicauerunt Gentes , debent & in carnalibus ministrare eis.* Tertia ratio potest esse , quoniam tunc temporis erat fames illa in Ierusalem , quam prophetauerat Agabus Propheta Ierosolymitanus futuram esse sub Claudio Cæsare. Propter quod Discipuli , siue Christiani , qui erant Antiochiæ, factâ collectâ, miserunt eam per Paulum & Barnabam pauperibus Christianis , qui erant in Ierusalem, vt legitur *Act.* 11. & hoc legitur expresse in legenda illius Iacobi , quem interfecit Herodes. Hoc idem etiam dicit Augustinus in eodem lib. cap. 22. his verbis. *Nam illis , Ierosolymæ fame imminente, & per Prophetas , qui tunc erant, prædictâ ante, boni fideles ex Græcia frumenta miserunt.* Licet igitur collectæ fierent ab Apostolis ad opus prædictorum Sanctorum , qui erant in Ierusalem, & hoc rationibus supradictis ; non tamen propter hoc sequitur , quod debeant fieri ad opus illorum pauperum , in quibus cessant rationes prædictæ , quantumcumque vacent spiritualibus , vel vacare se dicant.

§. Ad illud autem quod dicunt , se nolle , vel non debere operari corporaliter, vnde viuant; ne opera spiritualia, quæ sunt meliora corporalibus, interponant ; Respondendum est distinguendo. In illis enim , qui non habent officium prædicandi, aut ex delegatione, aut ex ordinaria potestate , non est opus prædicationis melius opere manuali ; immò non est opus bonum , sed illicitum , & opus peccati , vt ostensum est multipliciter suprà dist. 1. In illis verò , qui habent officium prædicandi, licet opus prædicationis sit melius simpliciter in seipso, non tamen est semper magis expediens ; sed quandoque minus , & ideo quandoque intermittendum pro opere manuum propter victum , vt patet in Paulo suprà ead. dist. §. *Item forsan.* Patet etiam in alijs Apostolis infrà ead. dist. §. *Non solus autem.* Et hoc multis de causis assignandis infrà ead. dist. §. *Hoc autem faciebat Apostolus.* Restat ergo , quod vacare spiritualibus, non excusat Seruos Dei à præcepto Apostoli supradicto;

niſi fortè illis ſpiritualibus ita ſint adſtricti per Eccleſiam, quod nihil aliud agere poſſint; tunc enim excuſantur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead diſt. in illo §. *Sunt autem quidam caſus.*

6. Item, quod vacare ſpiritualibus non excuſet Seruos Dei neceſſarijs indigentes à præcepto Apoſtoli ſupradicto, niſi fuerint ad illa ſpiritualia per Eccleſiæ ordinationem adſtricti, & in eis adeò occupati, quod nihil aliud agere poſſint, clarè liquerè poteſt hôc modô. Conſtat enim, quod ſpiritualibus operibus ſupradictis maximè tenentur vacare ex profeſſione ſua Monachi, & Clerici. Quod autem ad omnes Monachos egentes, & vnde viuant, aliter non habentes, extendatur præceptum Apoſtoli ſupradictum, patet per Auguſtinum per totum librum *De Opere Monach.* Vnde in libro illo loquens *Ad Monachos Carthaginenſes*, concludit cap. 30. dicens. *Poſtremò, quod vultis ſentire de nobis. Paulus Apoſtolus præcipit vobis, vt cum ſilentio, id eſt quieti & obedienter ordinati, operantes panem veſtrum manducetis.* Nota, quod dicit Auguſtinus. *Paulus Apoſtolus præcipit vobis, vt cum ſilentio operantes, &c.* Ad Monachos ergo extenditur præceptum Apoſtoli ſupradictum.

§. Si dicas, prout dicunt quidam Otij Defenſores, quod in illo libro loquitur Auguſtinus contra illos Monachos tantùm, qui dicebant non debere operari corporaliter, ne fieret contra præceptum Domini dicentis Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe, quid manducetis, &c.* Superfluum eſt hoc; Immò loquitur etiam contra illos, qui, licet non dicerent contra præceptum Domini eſſe, corporaliter operari; tamen, aut propter pigritiam, aut propter arrogantiam, ſub prætextu vacandi ſpiritualibus, nolebant corporaliter operari, licet neceſſarijs indigerent; ſed volebant viuere de quæſtu, manibus otioſis. Vnde in principio libri dicit Auguſtinus *Ad Aurelium Epiſcopum*, ad cuius inſtantiam compoſuit librum illum. *Dominus Ieſus Chriſtus habitans in interiori homine tuo, tibique ſollicitudinem paternæ, ac fraternæ charitatis inſpirans, vtrùm filijs & fratribus Monachis, qui B. Paulo Apoſtolo obedire negligunt dicenti,* QVI NON VVLT OPERARI, NON MANDVCET, *permittenda ſit illa licentia? Voluntatem ac linguam tuam aſſumens in os ſuum, imperauit mihi ex te, vt hinc ad te aliquid ſcriberem.* Et infrà. *Primùm ergo videndum eſt, quid dicant illius profeſſionis homines, qui operari nolunt.* De-

Inde verò oſtendit Auguſtinus, præceptum Apoſtoli ſupradictum, non eſſe contrarium verbo Euangelij ſupradicto. Vnde librum illum diuidit Auguſtinus in duas partes; in quarum prima oſtendit, quod præceptum Apoſtoli ſupradictum ad omnes illos extenditur, qui nullô legitimô impedimentô detenti, operari potentes, ſed nolentes, præ nimia egeſtate neceſſaria quærere compelluntur; volens, vt à nullo indigeant victu & tegumento, quoniam hoc valet ſpiritualiter Seruis Chriſti. In ſecunda verò parte oſtendit, quod operari manibus, propter neceſſitatem victus, non eſt contrarium illis præceptis Domini Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus?* &c. Item, *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*, &c. Vnde in eodem lib. cap. 3. dicit Auguſtinus ſic. *Primò ergo demonſtrare debemus, B. Apoſtolum Paulum opera corporalia Seruos Dei operari voluiſſe, quæ finem haberent in magnam ſpiritualem mercedem, ad hoc vt ipſi victu & tegumento à nullo indigerent, ſed manibus ſuis hoc ſibi procurarent; deinde oſtendere illa Euangelica præcepta, de quibus nonnulli, non ſolùm pigritiam, ſed & arrogantiam ſuam fouent, Apoſtolico præcepto & exemplo non eſſe contraria.* Patet igitur, quod Auguſtinus præceptum Apoſtoli de operando manibus propter neceſſitatem victus, non ſolùm inducit contra illos Monachos, qui dicebant non debere corporaliter operari, ne fieret contra præcepta Euangelij ſupradicta; ſed etiam contra illos Monachos, ſeu quoſcumque alios Seruos Chriſti, qui, licet non ſint illius falſæ opinionis; tamen, aut propter arrogantiam, aùt propter aliam cauſam minùs legitimam, nolunt operari corporaliter vnde viuant, cum tamen indigeant neceſſarijs vitæ, & à præcepto Apoſtoli non legitimè excuſentur.

§. Item, quod ad omnes tales Monachos extendatur præceptum Apoſtoli ſupradictum, patet ex eo, quod dicit Hieronymus Ad Ruſticum Monachum. *Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis, ne quemquam grauarent, & alijs tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in ſuis tuos ceſſura non præpares? aut fiſcellam texe iunco, aut caniſtrum lentis plectè viminibus.* Et infrà. *Texantur lina capiendis piſcibus; ſcribantur & libri, vt & manus operetur cibos, & anima ſatietur lectione.* De Conſec. diſt. 5. can. *Numquam.* Item Hieronymus Ad Mancum

Digitized by Google

Presbyterum. *Nihil otiosus accipio. Manu quotidie, & propriô labore quærimus cibum, scientes ab Apostolo dictum esse.* QVI AVTEM NON OPERATVR, NON MANDVCET. Item in lib. 8. Historiæ Tripartitæ, quam Cassiodorus transtulit de Græco in Latinum, sic legitur. *Monachus, nisi operatus fuerit manibus, violento indicatur æqualis.* Item ibidem. *Serapion circa decem millia sub se Monachos habuit, quos omnes sic educabat, vt ex propriis sudoribus necessaria compararent, & alijs ministrarent egentibus.* Item Beatus Benedictus *in Regula Monachorum*, in capitulo *De opere manuum quotidiano* ita dicit. *Tunc verè Monachi sunt, si de labore manuum viuunt, sicut Apostoli & Patres nostri.* Ecce qualiter Augustinus, & Hieronymus, & Benedictus ostendunt seipsos, & alios Monachos, tam ex præceptô Apostoli, quàm exemplô Apostolorum adstrictos ad operandum corporaliter propter victum; cum tamen constet eos non fuisse illius falsæ opinionis, vt crederent corporaliter operari, esse contrarium præceptis Euangelicis supradictis. Item Cassianus in lib. 10. De institutis Monachorum. *Hoc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancta sententia, operantem Monachum vnô Dæmone pulsari; otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.*

§. Item videtur, quod in omni conuentu Regularium non habente sufficienter necessaria huius vitæ, illi, qui apti sunt ad operandum, nec sunt occupatione Ecclesiasticâ sic districti, quod aliud agere non possint, debent pro victu conuentus corporaliter operari. Quod si labor eorum non sufficit conuentui, fortè propter multitudinem infirmorum, & occupatione Ecclesiasticâ districtorum, qui non possunt corporaliter operari; tunc indigentiæ illius conuentus ex eleemosynis bonorum fidelium debent suppleri. Vnde Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 16. *Qui excellentiorem sanctitatis gradum in Ecclesia Dei tenere voluerunt, vt spei sæcularis vincula cuncta præscinderent, & animum libenter diuinæ militiæ dedicarent; sic debent & ipsi præceptis Apostolicis obedire, vt compatiantur infirmis; & amore priuatæ rei non illigati, manibus suis in commune laborare, vt hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus, & aliquid. Vnde vitam transigant, operantibus, propter infirmitates tamen Monachorum aliquorum, & occupationes Ecclesiasticas, & eruditionem doctrinæ salutaris, deesse putauerint.* Nota hîc,

eos arguit de diſſolutione, & euagatione, & de hypocriſi, ſiue de falſo nomine ſanctitatis, ita dicens. *Cæterum, quis ferat homines contumaces, ſaluberrimis Apoſtoli monitis reſiſtentes, non ſicut infirmiores tolerari, ſed ſicut ſanctiores etiam prædicari; vt Monaſteria ſanctiore doctrinâ fundata, geminâ illecebrâ corrumpantur, & diſſoluta licentiâ vagationis, & falsô nomine ſanctitatis?* Ecce quod Auguſtinus Monachos operantes dicit meliores eſſe, & fœliciores, & anteponendos non operantibus; non operantes verò contumaces appellat, vtpotè præcepto Apoſtoli de operando manibus non obedientes; & illos, qui extra Monaſteria vagantur ſemper quærentes, ſub prætextu paupertatis habitæ propter Chriſtum, vel ſub prætextu vacandi ſpiritualibus, arguit de diſſolutione, & vagatione, & de hypocriſi, ſiue falſo nomine ſanctitatis. Patet igitur, quod præceptum Apoſtoli de operando corporaliter propter victum, pertinet ad viros Regulares, qui Græcè Monachi appellantur; niſi ab illo præcepto legitimè excuſentur, in aliqno caſuum prædictorum.

§. Quod autem ad Clericos indigentes extendatur ſupradictum præceptum Apoſtoli, patet ſic. Legitur enim in Carthaginenſi Concilio. *Clericus victum & veſtitum, ſibi Artificiolô, vel Agriculturâ quærat.* Diſt. 91. can. *Clericus victum.* Et ne dicere poſſet aliquis, hoc debere intelligi de Clericis Idiotis, qui alios erudire non poſſunt, & ideo tamquam Agricolæ debent manibus operari, ideo ſequitur in eodem Concilio, & in ead. diſt. *Clericus, quamtumlibet verbô Dei eruditus, Artificiolô victum quærat.* Et ne Clerici, propter ignorantiam operandi, ſe valeant excuſare, ſequitur in eodem Concilio, & in ead. diſt. *Omnes Clerici, qui ad operandum ſunt validi, & artificiola, & literas diſcant.* Ecce quod præceptum Apoſtoli ſupradictum extenditur ad Clericos indigentes, & literatos; qui tamen ſpiritualibus vacare tenentur, ſecundùm quod dicitur in capitulo prę-allegato diſt. 91. can. *Clericus victum*, in fine. Hoc autem, quod dicitur hîc de corporali Clericorum labore, intelligendum eſt ſecundùm antiqua iura. Hodie verò, cum non debeant Epiſcopi Clericos ſine titulis ordinare, introductum eſt in odium Epiſcoporum ordinantium ſine titulis, *Quod debeant ordinatis ab eis neceſſaria prouidere.* Extrà *De Præbendis.* cap. *Non liceat*, & cap. *Epiſcopus*; & ſic non tenentur hodie Clerici, ſaltem

Subdiaconi, & suprà, corporaliter operari; dum tamen possit eis ab Episcopis ordinantibus prouideri; alioquin tenentur operari corporaliter secundùm iura prædicta, potiùs, quàm se exponere mendicationi; & hoc non obstante opere spirituali.

§. Sic igitur, cum ad Monachos, & Clericos indigentes (quæ personæ maximè tenentur vacare spiritualibus) extendatur præceptum Apostoli supradictum; Relinquitur, quod vacare spiritualibus, non excusat semper à præcepto Apostoli supradicto, quamuis spiritualia opera corporalibus sint meliora. Sicut enim philosophari simpliciter loquendo, melius est quàm ditari, tamen indigenti necessarijs melius est ditari, quàm philosophari, vt dicit Philosophus; ita, licet simpliciter loquendo meliora sint opera spiritualia, quàm corporalia, tamen indigenti necessarijs melius est interponere opera spiritualia propter opera corporalia, vnde viuat, quàm si vacando spiritualibus, quibus per Ecclesiam non est adstrictus, cogatur egestate necessaria petere, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Dicet autem.*

§. Item, quod vacare spiritualibus prædictis, videlicet orationi, lectioni, prædicationi, siue doctrinæ, vel disputationi, non excusetviros spirituales necessarijs indigentes, quominùs operentur manibus, vnde viuant; nisi militiæ Christianæ tali sint occupatione districti, quod nihil aliud agere possint: vel nisi fuerint infirmitate corporis impediti, sic potest ostendi. Vacare namque orationi & psalmis, non excusat eos ab operando corporaliter; quia etiam operando possunt psallere & orare, & sic etiam laborem suum corporalem consolari, sicut Opifices Sæculares laborem suum corporalem plurimùm fabulis theatricis consolantur, licet manus eorum ab opere non recedant. Vnde Augustinus in lib. *De Opere Monachorum* cap. 17. *Cantica verò diurna cantare, etiam manibus operantes facilè possunt, & ipsum laborem tamquam diuinô celeumate consolari.* Nota, quod *celeuma* est propriè *cantus Nautarum*, quem cantant præ gaudio, quando de mari vident terram apparere; & ponitur hîc pro quolibet cantu consolatorio. Sequitur. *An ignoramus Opifices, quibus vanitatibus, & plærumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit seruum Dei mani-*

Digitized by Google

bus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi?

§. Quod verò dicunt se vacare diuinæ lectioni, non eos excusat, sed magis accusat, cum in ea inueniant præceptum Apostoli supradictum, videlicet de operando manibus propter victum. Peruersi sunt ergo semper legendo, & quod docet lectio, non agendo; nolentes facere quod legunt, vt diutius legere possint. Vnde Augustinus in eod. cap. *Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inueniunt, quod præcipit Apostolus? Quæ est ergo ista peruersitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare; & vt quod bonum est, diutiùs legatur, ideo facere nolle bonum, quod legitur? Quis enim nesciat tantò citiùs quemque proficere, cum bona legit, quantò citiùs facit, quod legit?*

§. Quod autem se dicunt vacare prædicationi, siue doctrinæ, vel disputationi, non eos similiter ab operando excusat, cum non omnes valeant prædicare, vel docere; etsi etiam omnes possent, melius tamen est, quod successiue prædicent, vel doceant, quàm quod simul; ne cæteri à necessarijs operibus impediantur; & etiam, quod vnô prædicante, vel docente, possunt multi audire. Vnde Augustinus in eod. cap. *Si autem alicui sermo erogandus est, & ita occupet, vt manibus operari non vacet; numquid omnes in Monasterio possunt venientibus ad se ex alio genere vitæ fratribus, vel diuinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæstionibus salubriter disputare? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quamquam, etsi omnes possent, vicissitudine tamen facere deberent; non solùm, ne cæteri à necessarijs operibus occuparentur; sed etiam, quia sufficit, vt audientibus pluribus, vnus loquatur.* Restat igitur, quod vacare spiritualibus, spirituales viros necessarijs indigentes, non excusat ab operando manibus propter victum, nisi in casibus supradictis.

§. Item forsan obiiciet Otiositatis Defensor, etsi opera spiritualia, quæ ad priuatam vtilitatem pertinent, vt sunt orationes, exhortationes, & lectiones priuatę, aliquando interponenda sint propter opera corporalia, vnde victus habeatur; tamen illa spiritualia opera, quæ pertinent ad publicam vtilitatem Ecclesiæ, vt est publicè prædicare, publicè docere, populi confessiones audire, & eis pœnitentias salutares iniungere, vel aliis modis regimen animarum exercere, non sunt interponenda propter opera corporalia; sed excusant à præcepto A-

eligit mendicare, quàm operari corporaliter Vnde viuat, cum posſit, nullô legitimô impedimentô detentus; qui & contemptor mandati Apoſtolici dici poteſt. Item, licet moneat Apoſtolus 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſsione orare*; id eſt *Vitam æternam, ab eo, qui ſolus eam dare poteſt, ſine intermiſsione deſiderare*, vt exponit Auguſtinus in Epiſtola ad Probam *De orando Deo*; non tamen ſemper, immò cum vacat, eſt vocalibus orationibus inſiſtendum; Id eſt, *cum per tales orationes non impediuntur aliæ bonæ & neceſſariæ actiones*, vt dicit Auguſtinus ibidem. Conſtat autem, quod *indigentibus neceſſarijs huius vitæ, bonæ & neceſſariæ actiones ſunt operæ corporalia, Vnde viuant*, vt dicit Auguſtinus in libro *De Opere Monachorum*, cap. 24. Igitur opera corporalia, quando ſunt neceſſaria propter victum, non ſunt dimittenda propter multitudinem orationum. De hoc refert Hieronymus duo exempla in lib. 10. *De exhortationibus Patrum*. Vnum eſt, quod cum eſſent duo Monachi Fratres in cella, vbi viuebant de labore corporali, dixit vnus illorum nomine Ioannes, ſtaturâ breuis, Fratri ſuo maiori, *Vellem eſſe ſecurus, ſicut Angeli ſunt ſecuri, nihil operantes, ſed ſine intermiſsione Deo ſeruientes*; & expolians ſe, quô veſtitus erat, abijt in eremum, & factâ ibi hebdomadâ vnâ, fame compulſus reuerſus eſt ad Fratrem ſuum; cui pulſanti ad oſtium reſpondit Frater ſuus. *Quis es tu?* At ille dixit. *Ego ſum Ioannes.* Cui Frater ait. *Ioannes Angelus factus eſt, & Vltrà inter homines non eſt.* Ille autem pulſabat dicens. *Ego ſum.* Et non aperuit ei, ſed permiſit eum affligi. Tandem aperiens dixit ei. *Si homo es, opus habes iterum operari Vt viuas; ſi autem Angelus es, quid quæris intrare cellam?* Aliud exemplum ponit idem Hieronymus in eodem lib. dicens, quod cum quidam Frater veniſſet ad Abbatem Syluanum in monte Sna, & vidiſſet Fratres laborantes, dixit Seni. *Nolite operari cibum, qui perit; Maria optimam partem elegit.* Et dixit Senex Diſcipulo ſuo. *Mitte Fratrem iſtum, Vbi nihil eſt.* Et cum facta fuiſſet hora nona, intendebat ille Frater ad oſtium, ſi vocarent eum ad manducandum; & cum nemo vocaret eum, ſurgens venit ad Senem dicens. *Abba, hodie Fratres non comederunt?* Qui dixit ei. *Etiam iam comederunt.* Et dixit Frater. *Quare me non vocaſtis?* Reſpondit Senex, *Tu homo ſpiritualis es, & non indiges hôc cibô noſtrô. Nos autem carnales ſumus, & volentes manducare, propterea operamur manibus noſtris. Tu verò bonam partem elegiſti, legens to-*

Digitized by Google

tâ die, & nolens sumere carnalem cibum. Quod cum audisset Frater „prostrauit se ad pœnitentiam dicens. *Ignosce mihi, Abba.* Et dixit ei Senex, *Puto, opus habet omninò Maria Marthâ. Nam in veritate Contemplatiui laudantur per opera misericordiæ, quæ agunt ipsi ex officio Marthæ.* Patet igitur per authoritates Augustini, & per exempla Hieronymi, quod ille, qui indiget necessarijs huius vitæ, intermittere debet orationes, & alia opera spiritualia (licet opera spiritualia simpliciter loquendo sint meliora corporalibus) propter opera corporalia, vnde vidat; nisi spiritualibus ita sit adstrictus per Ecclesiam, quod nihil aliud agere possit; tunc enim excusaretur à prçcepto Apostoli de operando, vt ostensum est suprà ead. dist. in illo. §. *Sunt autem quidam casus.*

§. Ad illud autem, quod obijcitur de Pauperibus Sanctis, qui erant in Ierusalem, quod fiebant collectæ ad opus ipsorum; Respondet sufficienter Augustinus, assignans ad hoc duplicem responsionem, quarum *Prima est*; quod illi Sancti, qui erant in Ierusalem, cum diuites fuissent, & delicatè vixissent, omnia prædia sua vendiderant, & pretia posuerant ad pedes Apostolorum ad opus pauperum conuersorum, vt legitur *Act.* 4. Vnde, quia indigebant, & vnde viuerent, non habebant, & mendicare erubescebant, vt ostensum est paulò ante de Timotheo §. *Item cum Apostolus*; & de corporali labore victum acquirere non valebant, quia præsumebatur eos laborem corporalium operum ferre non posse, eô quod diuites fuerant; ideo ad opus eorum fiebant collectæ. *Secunda ratio est*, quod iidem Sancti, qui erant in Ierusalem, miserant Gentilibus primos Prædicatores, qui eos ab idololatria conuerterant ad cultum Christi; & quia sic eis sua spiritualia communicauerant, ideo debitores eorum erant Gentiles conuersi, vt eis sua carnalia ministrarent; & ideo fiebant collectæ apud Gentiles conuersos, ad opus illorum Sanctorum, qui erant in Ierusalem. Et hoc probat Augustinus per Scripturam Apostolorum *Act.* 4. & per Scripturam Apostoli *Rom* 15. sic dicens in eodem lib. cap. 20. *Solent tales, non meliùs, sicut multi putant, sed quod verum est, languidiùs educati, laborem operum corporalium sustinere non posse. Tales fortasse multi erant in Ierosolyma; nam scriptum est, quod prædia sua vendiderint, & pretia eorum ante pedes Apostolorum posuerint, vt distribueretur vnicuique, prout opus erat.* Ecce prima

Digitized by Google

reſponſio ; ſecunda ſequitur , cum dicit. *Quia etiam propè inuenti ſunt, & vtiles fuerunt Gentibus, quæ ab idolorum cultu ex longinquo vocabantur, ſecundùm id quod dictum eſt* , Ex SION EXIBIT LEX , ET VERBVM DOMINI DE IERVSALEM ; *Debitores eorum vocat Apoſtolus ex Gentibus Chriſtianos , id eſt Gentiles conuerſos. Rom.* 15. Sequitur. *Et addidit quare ; Si enim ſpiritalibus eorum , inquit , communicauerunt Gentes , debent & in carnalibus miniſtrare eis.* Tertia ratio poteſt eſſe , quoniam tunc temporis erat fames illa in Ieruſalem , quam prophetauerat Agabus Propheta Ieroſolymitanus futuram eſſe ſub Claudio Cęſare. Propter quod Diſcipuli , ſiue Chriſtiani , qui erant Antiochiæ, factâ collectâ, miſerunt eam per Paulum & Barnabam pauperibus Chriſtianis , qui erant in Ieruſalem, vt legitur *Act.* 11. & hoc legitur expreſſe in legenda illius Iacobi , quem interfecit Herodes. Hoc idem etiam dicit Auguſtinus in eodem lib. cap. 22. his verbis. *Nam illis , Ieroſolymæ fame imminente, & per Prophetas , qui tunc erant, prædictâ ante, boni fideles ex Græcia frumenta miſerunt.* Licet igitur collectæ fierent ab Apoſtolis ad opus prædictorum Sanctorum , qui erant in Ieruſalem, & hoc rationibus ſupradictis ; non tamen propter hoc ſequitur , quod debeant fieri ad opus illorum pauperum , in quibus ceſſant rationes prædictæ , quantumcumqûe vacent ſpiritualibus , vel vacare ſe dicant.

§. Ad illud autem quod dicunt , ſe nolle , vel non debere operari corporaliter, vnde viuant ; ne opera ſpiritualia, quæ ſunt meliora corporalibus, interponant ; Reſpondendum eſt diſtinguendo. In illis enim , qui non habent officium prædicandi, aut ex delegatione, aut ex ordinaria poteſtate , non eſt opus prædicationis melius opere manuali ; immò non eſt opus bonum , ſed illicitum , & opus peccati , vt oſtenſum eſt multipliciter ſuprà diſt. 1. In illis verò , qui habent officium prædicandi, licet opus prædicationis ſit melius ſimpliciter in ſeipſo, non tamen eſt ſemper magis expediens ; ſed quandoque minus , & ideo quandoque intermittendum pro opere manuum propter victum , vt patet in Paulo ſuprà ead. diſt. §. *Item forſan.* Patet etiam in alijs Apoſtolis infrà ead. diſt. §. *Non ſolus autem.* Et hoc multis de cauſis aſſignandis infrà ead. diſt. §. *Hoc autem faciebat Apoſtolus.* Reſtat ergo , quod vacare ſpiritualibus, non excuſat Seruos Dei à prȩcepto Apoſtoli ſupradicto;

niſi fortè illis ſpiritualibus ita ſint adſtricti per Eccleſiam, quod nihil aliud agere poſſint; tunc enim excuſantur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead diſt. in illo §. *Sunt autem quidam caſus.*

6. Item, quod vacare ſpiritualibus non excuſet Seruos Dei neceſſarijs indigentes à præcepto Apoſtoli ſupradicto, niſi fuerint ad illa ſpiritualia per Eccleſiæ ordinationem adſtricti, & in eis adeò occupati, quod nihil aliud agere poſſint, clarè liquerè poteſt hôc modô. Conſtat enim, quod ſpiritualibus operibus ſupradictis maximè tenentur vacare ex profeſſione ſua Monachi, & Clerici. Quod autem ad omnes Monachos egentes, & vnde viuant, aliter non habentes, extendatur præceptum Apoſtoli ſupradictum, patet per Auguſtinum per totum librum *De Opere Monach.* Vnde in libro illo loquens *Ad Monachos Carthaginenſes*, concludit cap. 30. dicens. *Poſtremò, quod vultis ſentire de nobis. Paulus Apoſtolus præcipit vobis, vt cum ſilentio, id eſt quieti & obedienter ordinati, operantes panem veſtrum manducetis.* Nota, quod dicit Auguſtinus. *Paulus Apoſtolus præcipit vobis, vt cum ſilentio operantes, &c.* Ad Monachos ergo extenditur præceptum Apoſtoli ſupradictum.

§. Si dicas, prout dicunt quidam Otij Defenſores, quod in illo libro loquitur Auguſtinus contra illos Monachos tantùm, qui dicebant non debere operari corporaliter, ne fieret contra præceptum Domini dicentis Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe, quid manducetis, &c.* Superfluum eſt hoc; Immò loquitur etiam contra illos, qui, licet non dicerent contra præceptum Domini eſſe, corporaliter operari; tamen, aut propter pigritiam, aut propter arrogantiam, ſub prætextu vacandi ſpiritualibus, nolebant corporaliter operari, licet neceſſarijs indigerent; ſed volebant viuere de quæſtu, manibus otioſis. Vnde in principio libri dicit Auguſtinus *Ad Aurelium Epiſcopum*, ad cuius inſtantiam compoſuit librum illum. *Dominus Ieſus Chriſtus habitans in interiori homine tuo, tibique ſollicitudinem paternæ, ac fraternæ charitatis inſpirans, vtrùm filijs & fratribus Monachis, qui B. Paulo Apoſtolo obedire negligunt dicenti,* QVI NON VVLT OPERARI, NON MANDVCET, *permittenda ſit illa licentia? Voluntatem ac linguam tuam aſſumens in pectus ſuum, imperauit mihi ex te, vt hinc ad te aliquid ſcriberem.* Et infrà. *Primùm ergo videndum eſt, quid dicant illius profeſſionis homines, qui operari nolunt.* De-

inde verò ostendit Augustinus, præceptum Apostoli supradictum, non esse contrarium verbo Euangelij supradicto. Vnde librum illum diuidit Augustinus in duas partes; in quarum prima ostendit, quod præceptum Apostoli supradictum ad omnes illos extenditur, qui nullô legitimô impedimentô detenti, operari potentes, sed nolentes, præ nimia egestate necessaria quærere compelluntur; volens, vt à nullo indigeant victu & tegumento, quoniam hoc valet spiritualiter Seruis Christi. In secunda verò parte ostendit, quod operari manibus, propter necessitatem victus, non est contrarium illis præceptis Domini Matth. 6. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus? &c.* Item, *Nolite solliciti esse in crastinum, &c.* Vnde in eodem lib. cap. 3. dicit Augustinus sic. *Primò ergo demonstrare debemus, B. Apostolum Paulum opera corporalia Seruos Dei operari voluisse, quæ finem haberent in magnam spiritualem mercedem, ad hoc vt ipsi victu & tegumento à nullo indigerent, sed manibus suis hoc sibi procurarent; deinde ostendere illa Euangelica præcepta, de quibus nonnulli, non solùm pigritiam, sed & arrogantiam suam fouent, Apostolico præcepto & exemplo non esse contraria.* Patet igitur, quod Augustinus præceptum Apostoli de operando manibus propter necessitatem victus, non solùm inducit contra illos Monachos, qui dicebant non debere corporaliter operari, ne fieret contra præcepta Euangelij supradicta; sed etiam contra illos Monachos, seu quoscumque alios Seruos Christi, qui, licet non sint illius falsæ opinionis; tamen, aut propter arrogantiam, aut propter aliam causam minùs legitimam, nolunt operari corporaliter vnde viuant, cum tamen indigeant necessarijs vitæ, & à præcepto Apostoli non legitimè excusentur.

§. Item, quod ad omnes tales Monachos extendatur præceptum Apostoli supradictum, patet ex eo, quod dicit Hieronymus Ad Rusticum Monachum. *Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quemquam grauarent, & alijs tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in vsus tuos cessura non præparès? aut fiscellam texe iunco, aut canistrum lentis plectè viminibus.* Et infrà. *Texantur lina capiendis piscibus; scribantur & libri, vt & manus operetur cibos, & anima satietur lectione.* De Consec. dist. 5. can. *Numquam.* Item Hieronymus Ad Mantum

Digitized by Google

Presbyterum. *Nihil otiosus accipio. Manu quotidie, & propriô labore quærimus cibum, scientes ab Apostolo dictum esse.* QVI AVTEM NON OPERATVR, NON MANDVCET. Item in lib. 8. Historiæ Tripartitæ, quam Cassiodorus transtulit de Græco in Latinum, sic legitur. *Monachus, nisi operatus fuerit manibus, violento iudicatur æqualis.* Item ibidem. *Serapion circa decem millia sub se Monachos habuit, quos omnes sic educabat, vt ex propriis sudoribus necessaria compararent, & alijs ministrarent egentibus.* Item Beatus Benedictus *in Regula Monachorum*, in capitulo *De opere manuum quotidiano* ita dicit. *Tunc verè Monachi sunt, si de labore manuum viuunt, sicut Apostoli & Patres nostri.* Ecce qualiter Augustinus, & Hieronymus, & Benedictus ostendunt seipsos, & alios Monachos, tam ex præceptô Apostoli, quàm exemplô Apostolorum adstrictos ad operandum corporaliter propter victum; cum tamen constet eos non fuisse illius falsæ opinionis, vt crederent corporaliter operari, esse contrarium præceptis Euangelicis supradictis. Item Cassianus in lib. 10. De institutis Monachorum. *Hoc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancta sententia, operantem Monachum vnô Dæmone pulsari; otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.*

§. Item videtur, quod in omni conuentu Regularium non habente sufficienter necessaria huius vitæ, illi, qui apti sunt ad operandum, nec sunt occupatione Ecclesiasticâ sic districti, quod aliud agere non possint, debent pro victu conuentus corporaliter operari. Quod si labor eorum non sufficit conuentui, fortè propter multitudinem infirmorum, & occupatione Ecclesiasticâ districtorum, qui non possunt corporaliter operari; tunc indigentiæ illius conuentus ex eleemosynis bonorum fidelium debent suppleri. Vnde Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 16. *Qui excellentiorem sanctitatis gradum in Ecclesia Dei tenere voluerunt, vt spei sæcularis vincula cuncta præscinderent, & animum libenter diuinæ militiæ dedicarent; sic debent & ipsi præceptis Apostolicis obedire, vt compatiantur infirmis; & amore priuatæ rei non illigati, manibus suis in commune laborare, vt hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus, & aliquid, vnde vitam transigant, operantibus, propter infirmitates tamen Monachorum aliquorum, & occupationes Ecclesiasticas, & eruditionem doctrinæ salutaris, deesse putauerint.* Nota hîc,

Digitized by Google

eos arguit de dissolutione, & euagatione, & de hypocrisi, siue de falso nomine sanctitatis, ita dicens. *Cæterum, quis ferat homines contumaces, saluberrimis Apostoli monitis resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam prædicari; vt Monasteria sanctiore doctrinâ fundata, geminâ illecebrâ corrumpantur, & dissoluta licentiâ vagationis, & falsô nomine sanctitatis?* Ecce quod Augustinus Monachos operantes dicit meliores esse, & fœliciores, & anteponendos non operantibus; non operantes verò contumaces appellat, vtpotè præcepto Apostoli de operando manibus non obedientes; & illos, qui extra Monasteria vagantur semper quærentes, sub prætextu paupertatis habitæ propter Christum, vel sub prætextu vacandi spiritualibus, arguit de dissolutione, & vagatione, & de hypocrisi, siue falso nomine sanctitatis. Patet igitur, quod præceptum Apostoli de operando corporaliter propter victum, pertinet ad viros Regulares, qui Græcè Monachi appellantur; nisi ab illo præcepto legitimè excusentur, in aliqno casuum prædictorum.

§. Quod autem ad Clericos indigentes extendatur supradictum præceptum Apostoli, patet sic. Legitur enim in Carthaginensi Concilio. *Clericus victum & vestitum, sibi Artificiolô, vel Agriculturâ quærat.* Dist. 91. can. *Clericus victum.* Et ne dicere posset aliquis, hoc debere intelligi de Clericis Idiotis, qui alios erudire non possunt, & ideo tamquam Agricolæ debent manibus operari, ideo sequitur in eodem Concilio, & in ead. dist. *Clericus, quamtumlibet verbô Dei eruditus, Artificiolô victum quærat.* Et ne Clerici, propter ignorantiam operandi, se valeant excusare, sequitur in eodem Concilio, & in ead. dist. *Omnes Clerici, qui ad operandum sunt validi, & artificiola, & literas discant.* Ecce quod præceptum Apostoli supradictum extenditur ad Clericos indigentes, & literatos; qui tamen spiritualibus vacare tenentur, secundùm quod dicitur in capitulo prę-allegato dist. 91. can. *Clericus victum*, in fine. Hoc autem, quod dicitur hîc de corporali Clericorum labore, intelligendum est secundùm antiqua iura. Hodie verò, cum non debeant Episcopi Clericos sine titulis ordinare, introductum est in odium Episcoporum ordinantium sine titulis, *Quod debeant ordinatis ab eis necessaria prouidere.* Extrà *De Præbendis.* cap. *Non liceat*, & cap. *Episcopus*; & sic non tenentur hodie Clerici, saltem

bus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi?

§. Quod verò dicunt se vacare diuinæ lectioni, non eos excusat, sed magis accusat, cum in ea inueniant præceptum Apostoli suprædictum, videlicet de operando manibus propter victum. Peruersi sunt ergo semper legendo, & quod docet lectio, non agendo; nolentes facere quod legunt, vt diutius legere possint. Vnde Augustinus in eod. cap. *Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inueniunt, quod præcipit Apostolus? Quæ est ergo ista peruersitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare; & vt quod bonum est, diutiùs legatur, ideo facere nolle bonum, quod legitur? Quis enim nesciat tantò citiùs quemque proficere, cum bona legit, quantò citiùs facit, quod legit?*

§. Quod autem se dicunt vacare prædicationi, siue doctrinæ, vel disputationi, non eos similiter ab operando excusat, cum non omnes valeant prædicare, vel docere; etsi etiam omnes possent, melius tamen est, quod successiuè prædicent, vel doceant, quàm quod simul; ne cæteri à necessarijs operibus impediantur; & etiam, quod vnò prædicante, vel docente, possunt multi audire. Vnde Augustinus in eod. cap. *Si autem alicui sermo erogandus est, & ita occupet, vt manibus operari non vacet; numquid omnes in Monasterio possunt venientibus ad se ex alio genere vitæ fratribus, vel diuinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæstionibus salubriter disputare? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quamquam, etsi omnes possent, vicissitudine tamen facere deberent; non solùm, ne cæteri à necessarijs operibus occuparentur; sed etiam, quia sufficit, vt audientibus pluribus, vnus loquatur.* Restat igitur, quod vacare spiritualibus, spirituales viros necessarijs indigentes, non excusat ab operando manibus propter victum, nisi in casibus suprædictis.

§. Item forsan obiiciet Otiositatis Defensor, etsi opera spiritualia, quæ ad priuatam vtilitatem pertinent, vt sunt orationes, exhortationes, & lectiones priuatę, aliquando interponenda sint propter opera corporalia, vnde victus habeatur; tamen illa spiritualia opera, quæ pertinent ad publicam vtilitatem Ecclesiæ, vt est publicè prædicare, publicè docere, populi confessiones audire, & eis pœnitentias salutares iniungere, vel aliis modis regimen animarum exercere, non sunt interponenda propter opera corporalia; sed excusant à præcepto A-

poſtoli ſupradicto, maximè illos, qui propter neceſſitatem Eccleſiæ ſunt huiuſmodi ſpiritualibus occupati; minùs enim in eis proficerent, ſi ſe in corporali opere occuparent. Alioquin peccaſſent cæteri à Paulo Apoſtoli, qui prædicando vixerunt, non de corporali opere, ſed magis de prædicatione. Vnde Auguſtin. in eodem lib. cap. 20. *Quid ergo cæteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cephas, quia non operabantur, peccabant, aut afferebant impedimentum Euangelio? Quia dixit Beatus Paulus, ideo ſe non vſum hac poteſtate, ne quod impedimentum daret Euangelio Chriſti.* Et infrà. *Si non peccauerunt, nullum impedimentum dederunt; neque enim nullum eſt peccatum, impedire Euangelium. Quod ſi ita eſt, etiam nobis, inquiunt, liberum eſt, & vti, & non vti hac poteſtate; Ergo liberum eſt nobis publicè prædicando, viuere de prædicatione.* Hanc obiectionem facit Auguſtinus in perſonis Pſeudo-Monachorum Carthaginenſium in capitulo ſupradicto.

§. Ad quod dici poteſt, quod illi, qui per Eccleſiam canonicè miſsi, ſeu ordinati ſunt ad prædicta officia Eccleſiaſtica exercenda, ab operando corporaliter legitimè excuſantur; quia viuere poſſunt de Euangelio Iure Dominicô, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sunt autem quidam caſus.* Sed illi, qui ſine miſsione canonica in his ſe occupant, cum per hoc Pſeudo ſint cenſendi, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. 1. §. *Quoniam igitur futura, &c.* non excuſantur à præcepto Apoſtoli ſupradicto; ſed viuere debent de labore corporis, quem præcepit Apoſtolus illis indigentibus, qui non habent eiuſmodi poteſtatem, ſcilicet viuendi de Euangelio ſine opere corporali, vt dicit Auguſtinus ſoluens dictam obiectionem, conſequenter in eodem capite ſupradicto his verbis. *Hanc quæſtionem breuiter ſoluerem, ſi dicerem, quia & iuſtè dicerem, credendum eſſe Apoſtolo.* Et infrà. *Hoc tamen*, ſcilicet manibus operari, *eum præcepiſſe ijs, qui non habebant huiuſmodi poteſtatem*, ſcilicet viuendi de Euangelio, *ea, quæ iam multa dicta ſunt, manifeſtant.* Item ſuper illud 2. Theſſ. 3. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem, &c.* dicit Gloſ. *Tunc iſti Pſeudo magis debent viuere de labore corporis, qui non habent hanc poteſtatem*, ſcilicet viuendi de Euangelio; præſertim, cum Apoſtolus, qui ex miſsione diuina multùm erat in huiuſmodi ſpiritualibus ad vtilitatem publicam pertinentibus occupatus, vtpotè *habens ſollicitudinem omnium Eccleſiarum*, 2. Corinth. 11. nihilominùs tamen aliquando in-

terponebat illa ſpiritualia opera, licet ad publicam vtilitatem pertinentia, propter opera manuum, de quibus ſibi, & ſuis neceſſaria miniſtrabat, vt ipſemet dicit Act. 20. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ*; nec tamen propter hoc minùs, quàm alij Apoſtoli, in prædicatione proficiebat. Vnde ſuper illud 1. Corinth. 15. *Sed abundantiùs illis omnibus laboraui*, dicit Gloſ. *Quia & de opere manuum vixit, nec in Euangelio minùs fecit.* Item Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 24. *Quis tam expeditò curſu ſecutus eſt Dominum, quàm ille, qui ait,* NON IN VACVVM CVCVRRI, NON IN VACVVM LABORAVI? *qui tamen opera iſta corporalia, & præcepit, & fecit.* Sed certè, vt dicit Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 22. *Ita mirabilia ſunt opera pigrorum, vt hoc impedire velint Euangelium, quod Apoſtolus ideo præcepit, & fecit, ne impediretur ipſum Euangelium*; videlicet, operari corporaliter propter victum, quod & ipſe præcepit, & fecit.

§. Hoc autem faciebat Apoſtolus multis de cauſis. Aliquando enim operabatur manibus Apoſtolus, & nolebat viuere de Euangelio; ne propter ſumptus, ſi eos ab Auditoribus ſuis reciperet, quemquam fortè grauaret. Vnde 2. Theſſ. 3. *In labore, & fatigatione*, Gloſ. Id eſt in labore fatigante, *nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus.* De hoc autem dicit Auguſtinus in eodem lib. cap. 14. *Mirandam rem fecit Apoſtolus, qui reuerà in tanta ſollicitudine Eccleſiarum, & propagatarum, & propagandarum, ad eius curam & laborem pertinentium, etiam manibus operabatur, ne quemquam grauaret*; Nulli enim oneroſus eſſe volebat. Vnde 2. Cor. 11. *In omnibus ſine onere vobis me ſeruaui, & ſeruabo.* Aliquando autem operabatur Apoſtolus propter auaritiam Auditorum, ne fortè odirent eum, ſiue Euangelium, ſi aliquid ab iis reciperet. Aliquando verò, ne accipiendo ab Auditoribus ſuis amitteret libertatem arguendi eos. Et iſti duo caſus ponuntur in Gloſſ. ſuper illud 1. Cor. 9. *Ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Aliquando autem hoc faciebat Apoſtolus compatiendo infirmis; videlicet, ne poſſet aliquis infirmus, ſiue imperfectus ſuſpicari, quod propter ſumptus prædicaret Apoſtolus; & per hoc crederet Euangelium eſſe venale; & ob hoc à doctrina Euangelij retraheretur. Vnde Act. 20. poſtquàm dixit Apoſtolus, *Argentum, aut aurum, aut veſtes nullius concupiui,*

ſicut ipſi ſcitis; quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ; continuo ſubiunxit. *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam ipſe dixit,* BEATIVS EST MAGIS DARE, QVAM ACCIPERE. Nota quod dicit, *Ad ea, quæ mihi opus erant, &c.* Et infrà. *Quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* De qua infirmitate dicit idem Apoſtolus 1. Cor. 9. *Factus ſum infirmis infirmus.* Quod exponens Auguſtinus in libro *De opere Monach.* dicit. *Quam enim dicit infirmitatem ſuam erga infirmos fuiſſe, niſi compatiendi eis? in tantum, vt, ne videretur venditor Euangelij, & verbi Dei curſum apud imperitos, in malam opinionem decidens, impedire, nollet accipere, quod ſibi iure Dominico debebatur.* Ecce quod aliquando manibus operabatur Apoſtolus compatiendo infirmis, ne poſſent ſuſpicari, quod ipſe propter ſumptus prædicaret. Aliquando etiam manibus operabatur Apoſtolus propter victum, vt exemplô ſuô retraheret Pſeudo ab accipiendo, nec eſſet forma accipiendi Pſeudo rapacibus. Et iſte caſus cum præcedenti habetur in Gloſſ. ſuper illud 1. Corinth. 9. *Bonum eſt mihi mori magis, quam vt gloriam meam quis euacuet.* Aliquando autem manibus operabatur Apoſtolus, vt ſic à ſumptione ſumptuum abſtinendo, affectum, quem habebat ad ſuos Auditores, oſtenderet; videlicet, quod non propter eorum munera prædicabat, ſed propter eorum ſalutem. Vnde 2. Cor. 12. *Non quæro quæ veſtra ſunt,* Gloſſ. *Id eſt diuitias veſtras, in auro, vel argento;* SED VOS, Gloſſ. *ſaluare; quod aliter non fieret, niſi à ſumptibus abſtinerem.* Et infrà. *Vt intelligentes, quia pecuniæ præponit eos, tandem intelligerent affectum illius erga ſe.* Aliquando autem hoç faciebat Apoſtolus, vt ſcandalum euitaret. Vnde 1. Corinth. 9. ſuper illud *Non ſum liber? &c.* dicit Gloſ. *Ipſe Apoſtolicâ dignitate poteſtatem habens non operari manibus, ſed de Euangelio viuere; ne quem tamen accipiendo ſcandalizaret, abſtinuit.* Aliquando autem operabatur manibus proprijs, vt daret exemplum iis, qui tenues erant ſubſtantia in plebe, ſimiliter faciendi; ne fortè propter mendicitatem, vel nimiam egeſtatem, venderent libertatem ſuam Chriſtianam; adulando ſcilicet, vel detrahendo, vel furando, vel aliter prædicando propter victum, vt dicit Gloſſa ſuper illud 2. Theſſ. 3. *Vt noſmetipſos daremus formam vobis ad imitandum nos.* His enim mo-

Digitized by Google

dis, & alijs, plærumque peccatur propter mendicitatem, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Si verò quæratur.* Aliquando etiam operabatur Apostolus, quoniam, eô quod liberè, & sine adulatione veritatem prædicabat, & peccata liberè arguebat, non habebat gratiam apud homines; & ideo plærumque nemo dabat ei, vnde viuere posset; propter quod, cum plærumque opus manuum suarum ei, & suis non omnino sufficeret, & ipse ob causas prædictas petere nollet; frequenter patiebatur famem, & sitim, & nuditatem potiùs, quàm mendicaret, sicut ipsemet profitetur 2. Cor. 11. dicens. *in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate.* Item 1. Cor. 4. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Gloss. *Liberè enim, & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta praua vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines.* Et infrà. *Et laboramus operantes manibus nostris.* Gloss. *Quia nemo dat nobis.* Patet igitur, quod Paulus Apostolus opera spiritualia, etiam ad publicam vtilitatem pertinentia, & à Deo iuncta, interponebat propter opera corporalia, vnde sibi & suis vitæ necessaria ministrabat; & hoc rationibus supradictis.

§. Si qui ergo Prædicatores sint, quibus non est iuncta sollicitudo omnium Ecclesiarum, sicut Paulo; nec tantùm districti sunt, vel occupati circa militiam Christianam, sicut Paulus; & qui fortè propter suam multitudinem, & frequentem quæstum, probabilius timere possunt grauamen Auditorum suorum, quàm Paulus; qui modicis contentus erat, & rarò, vel numquam quærebat; præcipuè, cum tunc essent fideles charitate magis feruentes, & ob hoc ad dandum eleemosynas promptiores, quàm modò sint viri perfecti, vt dicit Hieronymus in libro *De illustribus viris*; & qui probabiliùs, quàm Paulus, suspecti possent haberi, ne prædicent propter sumptus, aut propter quæstum; aut ne recipiendo amittant audaciam arguendi; & qui magis, quàm Paulus, necesse habent ostendere Auditoribus suis charitatis affectum; videlicet, quod propter eorum salutem tantùm, & non propter aliud prædicent; cum de ipsorum charitate per eorum opera minùs constet, quàm de charitate Pauli; & quibus, eô quod frequenter, & multa petunt, non sponte offertur, nec liberaliter datur, sed necesse habent petere importunè; & ideo magis timere possunt, ne illos, à quibus petunt, vel accipiunt, scandalizent, quàm Paulus,

Digitized by Google

qui nec petebat, nec oblata, nisi rarò accipiebat; præcipuè, si de ipsorum Apostolatu non constet, sicut constabat de Apostolatu Pauli; magis deberent, saltem aliquando, manibus operari, & à sumptibus Euangelij abstinere, si validi essent ad operandum, quàm ipse Paulus; etiamsi de canonica missione ipsorum constaret; præcipuè illi, qui se dicunt imitatores Apostolorum; vt in hoc studerent Apostolos imitari; & vt per hoc darent exemplum alijs pauperibus corporaliter operandi potiùs, quàm propter mendicitatem suam venderent libertatem suam; adulando scilicet, vel aliter peccando, vt dictum est suprà ead. dist. in illo §. *Si vero quæratur*; & vt per hoc etiam ostenderent se nolle vitam agere in otio corporali, sed magis de labore corporali viuendo, per arctam viam quærere regnum Dei; & vt per hoc etiam auferrent occasionem sumendi Pseudo-Prædicatoribus, sicut faciebat Apostolus, vt dicit Augustinus in lib. *De opere Monach.* cap. 27. loquens contra quosdam Regulares Prædicatores, qui volentes viuere in otio corporali, quærebant victum ab Auditoribus suis, sic dicens. *Ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed per angustam & arctam viam huius propositi,* scilicet Monachatus, *regnum Dei quærere; eadem enim vobis causa est, quæ & Apostolo fuit, vt amputetis occasionem his, qui quærunt occasionem.*

§. Cum ergo Apostolus ex causis plurimis superiùs assignatis magis elegerit, cum egeret, propter sumptus suos manibus laborare, quàm Iure Dominicô & Apostolicâ potestate, absque opere corporali de Euangelio viuere; & hoc ideo præceperit omnibus Seruis Christi egentibus Apostolicâ potestate carentibus, vt non cogantur egestate necessaria petere, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sunt igitur otiosi*; mirandum esse videtur omni rationem habenti, quod quidam Prædicatores moderni, non habentes potestatem Apostoli, ac se iactantes vitam Apostolicam imitari, cum sint, vt asserunt, huius vitæ necessarijs indigentes, ac prædictas causas, propter quas manibus laborabat Apostolus, minimè ignorantes; nullam tamen omninò causam velint, vel valeant inuenire, propter quam eos oporteat pro vitæ necessariis corporaliter laborare; sed è contrario sibi elegerint quemdam viuendi modum, antiquis temporibus insuetum, imo incognitum; non à Christo, vel eius Apostolis; non à Sacris Concilijs; non à Sanctis Doctoribus

tibus Ecclesiasticis institutum; sed à se ipsis (nescimus quô spiritu instigante) præter vel contra Diuinæ authoritatem Scripturæ inuentum; non à Sede Apostolica cô modô, quô asserunt, confirmatum; videlicet, vt ipsi nullum opus manuale agentes, nullasque possessiones Ecclesiasticas, vnde communiter viuere valeant, iuxta generalem morem Ecclesiæ possidentes, necesse habeant, egestate cogente, omni tempore, propter victum à suis Auditoribus mendicare; ac res illorum, non solùm indiscretè & indifferenter recipere, verùm etiam quotidianis discursibus opportunè & importunè, incessanter petere, vel rogare. licèt non sint inualidi, nec occupationibus Ecclesiasticis adeò per ordinationem Ecclesiæ impediti, quod nihil aliud valeant operari; quibus tamen in casibus posset dici, eos à præcepto Apostoli de operando corporaliter propter victum legitimè excusari. Ex quo satis potest videri, quod laboriosæ vitæ, ac doctrinæ Apostoli, quam se imitari mentiendo asserunt ad instar Pseudo, contrariam vitam ducunt. Contra tales superstitionum inuentores dicit Isidorus lib. 8. *Etymolog.* c. 3. *Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliqui ex arbitrio suo induxerint. Apostolos Dei habemus Authores, qui nec sibi quidquam ex arbitrio suo, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaque, si etiam Angelus de cœlo aliter Euangelizauerit, Anathema vocabitur.*

§. Sed adhuc obijciunt Otij Defensores de facto Apostoli, dicentes Apostolum, saltem Athenis, vbi (quia studiosissimos rerum inquisitores inuenerat) *disputabat in Synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro per omnes dies, ad eos, qui aderant*, vt legitur Act. 17. illis diebus saltem non fuisse manibus operatum. Ex quo concludunt, quod saltem illis diebus sumptus à suis Auditoribus petebat, vel saltem recipiebat; quod mendicare appellant, quando petuntur propter Deum. Et ex hoc concludunt vlteriùs, quod saltem illis diebus, quibus prædicant, vel docent, vel disputant, possunt victum petere propter Deum. Et quoniam semper, aut legunt, aut disputant, aut prædicant, prout dicunt; ideo semper possunt licitè mendicare, petendo scilicet propter Deum.

§. Sed certè ab hoc defendit Apostolum Augustinus per textum ipsius Apostoli dicens in eodem lib. cap. 18. *Propter hoc*

enim, videlicet quoniam Athenis quotidiè disputabat, *ex Macedonia supplebatur ipsius indigentia, sicut ipse dicit 2. Cor. 8. & 2. Cor. 11. Quamquam & alijs horis & noctibus poterat manibus operari; quia ita valebat animô, & corpore.* Et infrà. *Ipsa optima est gubernatio, vt omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur.* Ecce patet, quod etiam Athenis, vbi quotidie prædicabat, vel disputabat Apostolus, non petebat ab Auditoribus suis victum, quamuis egeret; sed recipiebat de Macedonia, vel viuebat de opere suo corporali, quod operabatur, vel aliquâ horâ diei, vel saltem in nocte.

§. Adhuc fortè dicet Pseudo-Prædicator Otiositatis Amator, quod Apostolus, dum erat apud nondum conuersos, non recipiebat, ne per hoc ab eius doctrina retraherentur, & tunc manibus operabatur. Cum autem erat apud iam conuersos, tunc recipiebat, & tunc ab opere corporali cessabat. Vnde illi Prædicatores, qui prædicant, non infidelibus conuertendis, sed fidelibus iam conuersis, recipere possunt ab Auditoribus suis, & cessare ab opere corporali.

§. Ad quod dicimus, quod nec ante, nec post recipiebat Apostolus. Vnde Thess. 2. postquàm dixerat *Nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus, prædicauimus vobis Euangelium Dei*, continuò subiunxit, *Vos enim testes estis, & Deus, quam sanctè & iustè, sine querela vobis, qui credidistis, affuimus.* Gloss. *Quasi diceret. Ita ante conuersionem nos habuimus erga vos, sicut etiam & post conuersionem.* Ergo, sicut nec à conuertendis, ita nec à conuersis accipiebat, dum eis scilicet prædicabat. Vnde in eodem libro prædicto cap. 12. defendit Augustinus Apostolum à receptione sumptuum ab Auditoribus suis, dum apud illos erat, siue ante conuersionem, siue post, ita dicens. *Venerat, sicut apparet, ad tantam indigentiam ipse Apostolus, vt de longinquis Ecclesiis ei necessaria mitterentur, dum tamen ab eis, apud quos erat, nil tale acciperet.* Ecce, quod nihil accipiebat Apostolus ab illis, apud quos erat, siue iam conuersis, siue adhuc conuertendis.

§. Non solùm autem Paulus, opera spiritualia & ad publicam vtilitatem pertinentia, propter opera corporalia, vnde viueret, interponebat; sed etiam alij Apostoli. Domino enim adhuc in carne mortali cum eis viuente, non habebant necesse Apostoli operari corporaliter propter victum; quia Do-

minus de loculis ſuis, in quibus fidelium oblationes ſeruabantur, eis neceſſaria miniſtrabat. Vnde Auguſtinus ſuper Ioannem. *Habebat Dominus loculos, à fidelibus oblata conſeruans, & ex eis ſuorum neceſsitatibus, & alijs indigentibus tribuebat.* Et habetur 12. q. 1. cap. *Habebat.* Quando verò mittebat eos prædicare, Matth. 10. *Euntes prædicate, &c.* & Luc 10. *Ite, ecce ego mitto vos, &c.* tunc ipſi viuebant de ſua prædicatione, recipientes, ſcilicet à ſuis Auditoribus, neceſſaria huic vitæ, iuxta permiſſionem Domini Luc. 10. dicentis, *Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſuâ.* Poſtquàm verò Dominus, per mortem & reſurrectionem corporalem, corporaliter ab iis receſſit; non legitur, quod ad mendicandum, vel victum ab Auditoribus ſuis petendum ſe conuerterint Apoſtoli, cum egerent; ſed potiùs ad corporalem laborem artis licitæ, de qua ipſi vixerant ante; cum ab hoc ſe non prohibitos eſſe ſcirent. Vnde ſuper illud Ioan. 21. *Dicit ei Simon Petrus, vado piſcari*, dicit Gloſſ. *Poſt acceptum inſufflationis ſpiritum, poſt verba eius*, SICVT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS, *ſubitò fiunt Apoſtoli quod fuerant, ſcilicet piſcatores, non hominum, ſed piſcium. Sed ſciendum eſt, non prohibitos fuiſſe arte licitâ victum quærere, cum vnde viuerent, non haberent.* Et certè veriſimile eſt, quod tantô libentiùs, quantô faciliùs ad mendicandum, quàm ad corporaliter operandum ſe conuertiſſent, ſi hoc ſibi honeſtum & licitum eſſe ſcirent. Deinde verò Eccleſiâ crebreſcente, & in numero credentium proficiente, non ſolùm vixerunt de corporali labore, ſed etiam de communibus bonis Eccleſiæ; nam credentes, quotquot erant poſſeſſores domorum, vel agrorum, vendebant prædia ſua, & ponebant pretia ante pedes Apoſtolorum; & ipſi diſtribuebant ſingulis, prout cuique opus erat, ita quod *nullus erat egens inter illos*, vt legitur Act. 4. Sic ergo patet, quod veri Apoſtoli, aut de loculis Domini, aut de ſumptibus Euangelij, aut de opere corporali, aut de bonis Eccleſiæ in communi leguntur vixiſſe; ſed nuſquam leguntur, vt credimus, mendicaſſe. Patet etiam, quod veri Apoſtoli opera ſpiritualia propter corporalia interponebant; quando, aut de loculis Domini, aut de oblatis pro ſumptibus Euangelij, aut de bonis Eccleſiæ poſitis in communi viuere non valebant.

§. Ex præmiſſis ergo relinquitur, quod vacare ſpiritualibus,

siue sub prætextu publicæ vtilitatis, siue priuatæ, non excusat Seruos Dei à præcepto Apostoli de operando manibus propter victum, nisi in casibus supradictis; nec debet homo validus se mendicitati exponere, nisi in casibus supradictis. Vnde illi, qui sub prætextu paupertatis habitæ propter Christum, mendicare volunt perpetuò; cum tamen corporaliter valeant operari, nec adeo districti sint occupatione Ecclesiasticâ, quod aliud agere non possint; nec aliam habent excusationem legitimam: non imitantur Apostolum in hac parte, sed contra eius doctrinam procul dubiô viuunt; licet enim Christianus reliquerit omnia propter Christum, non tamen propter hoc debet postea mendicare in casibus non concessis, sed potiùs debet manibus acquirere, vnde viuat, & vnde eleemosynas faciat. Vnde Luc. 12. super illud, *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*, dicit Glos. *Non tantùm cibos vestros communicate pauperibus, sed etiam vendite possessiones; vt omnibus vestru semel pro Domino spretis, postea labore manuum operemini, vnde viuatis, & eleemosynas faciatis.* Vnde Beatus Franciscus, qui *in Regula sua* cap. 2. iubet secundùm perfectionem Euangelicam omnia vendere, & dare pauperibus, consequenter iubet Fratres suos validos, operari corporaliter propter victum, ita tamen quod propter lucri sollicitudinem deuotionis spiritum non extinguant, dicens *in Regula sua* cap. 5. *Fratres illi, quibus dederit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quod otiô exclusô inimicô animæ, scientiæ, orationis, & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent temporalia cætera deseruire. De mercede verò laboris sui, pro se & alijs Fratribus suis, recipiant corpori necessaria, præter denarios & pecuniam; & hoc humiliter, sicut decet Dei Seruos, & sanctissimæ paupertatis sectatores.* Nota hîc, quod illos appellat Franciscus *sanctissimæ paupertatis sectatores*, qui operantur corporaliter, vnde viuant; quid ergo de illis validis, qui in casibus non concessis semper mendicant? Quod ergo dicitur in 6. cap. eiusdem Regulæ, *Quod Fratres illius ordinis vadant pro eleemosyna confidenter*, intelligendum est de illis, vel ad opus illorum, qui propter infirmitatem, vel debilitatem corporis, vel propter alias causas legitimas, à præcepto Apostoli de operando corporaliter propter victum legitimè excusantur, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sunt autem quidam casus*, cum sequentibus

Digitized by Google

ſeptem Paragraphis.

§. Sed adhuc dicet ſuperſtitioſus Otioſitatis Defenſor, ſe velle mendicare exemplô Chriſti, vt Chriſtum perfectius imitetur, quem aſſerit mendicaſſe iuxta illud Pſal. 39. *Ego autem mendicus ſum, & pauper*; quod ſecundùm Gloſ. dicit Chriſtus *de ſe ex forma ſerui.*

§. Sed, ſecundùm quod patet ibidem, non loquitur ibi Chriſtus de mendicitate victus corporalis, ſed de mendicitate ſpirituali, ſecundùm quam petebat Chriſtus homo à Patre, lætitiam æternam, ne quis alius homo gloriam lætitiæ illius ſibi arrogaret. Vnde Gloſ. *Hoc dicit Chriſtus de ſe ex forma ſerui, ne quis gloriam lætitiæ præmiſi ſibi arroget.* Et dicitur Chriſtus mendicus, quoniam à Deo Patre petit; pauper verò dicitur, quia ſibi non ſufficit in quantum homo, ſed Pater curam habet ipſius. Vnde Gloſ. *Mendicus eſt, qui ab alio petit; & pauper, qui ſibi non ſufficit.* Sequitur. *Dominus ſollicitus eſt mei*; Gloſ. *Id eſt, curam habet mei.* Egeſtas enim Chriſti, & paupertas appellatur in Scriptura, eius infirmitas aſſumpta. Vnde ſuper illud Pſal. 108. *Libera me, quia egenus & pauper ego ſum*, dicit Gloſ. *Egeſtas & paupertas Chriſti eſt infirmitas, ex qua crucifixus eſt.*

§. Item obijciunt Otij Defenſores illud Pſal. 108. *Et perſecutus eſt hominem inopem & mendicum*; Gloſ. *Id eſt Chriſtum.* Ergo videtur, quod Chriſtus fuit mendicus.

§. Reſpondeo. Mendicus ſumitur ibi pro paupere. Vnde Gloſ. exponens ponit pauperem, vbi textus ponit mendicum, dicens. *Pauperem perſequi, ſola ſtultitia eſt; alij verò interdum pro diuitijs & honoribus huius mundi patiuntur.* Non dicit Gloſ. *Mendicum perſequi*, ſed *pauperem perſequi.* Sumitur ergo mendicus pro paupere, ſicut alibi mendicus ſumitur pro egeno; & è conuerſo, vt Pſal. 69. vbi dicitur *Ego verò egenus ſum.* Gloſ. *Vel mendicus.*

§. Item opponunt illud Hieronymi *Ad Furiam*, De Virginitate ſeruanda. *Caue ne mendicante Dominô Deôtuô alienas diuitias augeas.*

§. Reſpondeo. Hieronymus poſuit *mendicante* pro *paupere*, ſicut & dictum eſt in Gloſ prædicta. Vel dixit Chriſtum mendicantem, non in perſona propria, ſed in membris ſuis, id eſt, debilibus & egentibus Chriſtianis, quemadmodùm ipſe Chriſtus dicit de ſe ipſo, non pro ſua perſona, ſed pro ſuis

Digitized by Google

membris. *Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.* Et infrà. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Et licet dicatur Chriſtus pauper, & inops, & mendicus; nunquam tamen legitur corporalem victum mendicaſſe, ſed potiùs loculos habuiſſe. Ioan. 12. & cibos emiſſe. Ioan. 4. *Diſcipuli autem eius abierant in ciuitatem, vt emerent cibos.* Dicitur ergo Chriſtus mendicus impropriè, ſcilicet propter infirmitatem aſſumptam, vt oſtenſum eſt §. præcedente; vel mendicus, id eſt pauper. Si verò appelletur Chriſtus mendicus, eô quod panem gratuitum, id eſt ſine labore corporis manducabat ab ijs quibus gratuitam gratiam prædicabat (talis enim panis gratuitus appellatur, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Item Auguſtinus*) falsò appellatur mendicus, quia panem, vel ſumptus hôc modô recipere, in Chriſto, qui eos, à quibus recipiebat, tamquam gregem paſcebat, non poterat eſſe mendicitas, ſed poteſtas, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed contra hoc forte.*

§. Item obijciunt illud Pſal. 69. *Ego verò egenus & pauper ſum.* Gloſ. *Id eſt petens.* Ergo Chriſtus fuit petens. Ergo mendicauit.

§. Reſpondeo. Secundùm Gloſſam, non loquitur ibi Chriſtus, ſed vir iuſtus; nec dicit ſe mendicantem, ſiue petentem cibum corporalem, ſed diuinum auxilium, contra legem membrorum, ſiue contra concupiſcentiam carnis. Vnde Gloſ. *Petens ſum, quia lex membrorum adhuc repugnat legi mentis meæ.* Quaſi diceret. *Non conuenit Chriſto, in quo lex membrorum non potuit repugnare legi mentis, cum non habuerit fomitem, vtpotè conceptus de Spiritu Sancto ſine virili ſemine.* Præterea non ſequitur, ſi Chriſtus fuiſſet petens cibum corporalem, quòd propter hoc eſſet mendicus; quia poterat petere ſumptus Iure Dominicô ab illis, quos tamquam gregem paſcebat, vt dictum eſt paulò ante.

§. Item dicunt Chriſtum mendicaſſe aquam à Muliere Samaritana, cum dixit Ioan. 4. *Da mihi bibere.*

§. Sed Gloſ. ſoluit exponens de aqua ſpirituali, non corporali, dicens, *Licet Chriſtus fatigatus ſitire poſſet, tamen hunc potum non exigit; ſed, vt cor Eccleſiæ de gentibus pro laboris eius cognitione potus ei efficiatur, deſiderat.* Ecce expreſſè dicit hæc Gloſ. quod non petebat aquam corporalem. Item ibidem ſu-

Digitized by Google

per illud, *Quomodò tu Iudæus cum ſis, &c.* dicit Gloſ. *Neſciens mulier quem potum petat, putans quod de aqua, opponit ſe eſſe de de alienigenis.* Ergo non petebat potum corporalem. Quod ex eo etiam liquidò apparet, quoniam non legitur aquam illam potaſſe, vtpotè qui nondum manducauerat illâ die, ſed miſerat Diſcipulos ſuos, vt emerent cibos; qui redeuntes dicebant ei. *Rabbi, manduca*; & cum eis reſpondiſſet. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*, dicebant ad inuicem. *Nunquid aliquis attulit ei manducare?* Ita legitur. Ioan. 4. Sic patet ergo, quod non quærebat aquam corporalem, cum nondum manducaſſet; ſed petebat aquam ſpiritualem, *id eſt fidem*, vt dicit Gloſ. Sed eſto, quod Chriſtus non eſſet Paſtor, & ſic non ex poteſtate, ſed ex ſola gratia peteret potum aquæ corporalem iuxta puteum; non tamen eſſet hoc mendicitas, cum ſaltem ad potandum ſit communis vſus aquarum.

§. Sed dicunt, quod quia Chriſtus non habebat hauritorium, & puteus altus erat, vt legitur ibidem; ideo egeſtate cogebatur petere aquam ab illa muliere, licet communis ſit vſus aquarum; & ideo mendicauit, quia egeſtate coactus petijt, quod eſt mendicare, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sunt igitur otioſi.*

§. Ad quod dicendum eſt, quod egeſtas aquæ ad fontem, vel ad puteum, non eſt talis egeſtas, propter quam timeri poſſit de periculis mendicationis poſitis ſuprà ead. diſt. §. *Si verò quæratur*; vnde talis petitio, non eſt illa mendicatio, quæ ab Apoſtolo prohibetur. Quemadmodùm, ſi Rex temporalis ad fontem veniens, non habens vas in quo biberet, à muliere habente vas peteret potum, nemo ſani capitis diceret eum propter hoc mendicare. Videtur ergo hæc ratio ridiculoſa eſſe, & ſuffragium mendicatum. Sed certè, qui falſum defendit, neceſſe habet vti ſuffragijs mendicatis & ridiculoſis.

§. Item dicunt Chriſtum mendicaſſe hoſpitium à Zachæo, cum ei dixit Luc. 19. *Zachæe, feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*

§. Sed certè Gloſ. ſoluit dicens. *Non inuitatus inuitat Dominus; quia, etſi nondum inuitantis vocem audierat, audierat tamen inuitantis affectum.* Quaſi diceret. *Quoniam præuidit Dominus & præſciuit, quod Zachæus habebat affectum inuitandi eum, ideo quaſi per dilectionem eum præueniens, inuitauit ſe ipſum apud eum.*

quod in nullo homine esset mendicitas, sed magis dilectio & charitas, maximè autem in Christo, qui cum Pastor esset Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus*, sumptus sumere ab eis, quos tamquam gregem pascebat, non erat ei mendicitas, sed potestas, vt ostensum est dist. 1. §. *Sed contra hoc forte.* Vnde nec verbum protulit mendicantis, cum dixit, *Zachæe festinans descende, &c.* sed magis verbum iubentis. Vnde Glos. *Quod descendere de Sycomoro, & parare mansionem in domo iubetur, hoc est, quod Apostolus ait*, ETSI COGNOVIMVS CHRISTVM SECVNDVM CARNEM, SED IAM NON NOVIMVS. Nota quod dicit Glos. *Parare mansionem in domo iubetur, &c.* Non ergo rogauit hospitium tamquam mendicus, sed magis iussit parari tamquam potestatem habens, vt Pastor, vel Dominus.

§. Item obijciunt, Christum mendicasse hospitium, & si non verbô, tamen signô; quoniam Dominicâ in Ramis-Palmarum, cum totâ die prædicasset in Ierusalem, horâ vesperâ circumspexit omnes, vtrùm aliquis inuitaret eum ad hospitium, & neminem inueniens, qui eum inuitaret, recessit in Bethaniam. Vnde Marci 11. *Circumspectis omnibus, cum iam hora vespera esset, exiuit in Bethaniam.* Glos. *Si quis eum hospitiô reciperet, circumspiciebat.* Circumspiciendo ergo, vt dicunt, etsi non verbô, saltem signô mendicabat hospitium.

§. Respondeo. Mendicatum est istud suffragium argumenti; Dominus enim, *qui missus erat ad oues, quæ perierant domus Israel.* Matth. 15. petere poterat ab eis hospitium tamquam eorum Pastor: nec esse poterat mendicitas, sed potestas, vt ostensum est suprà d. 1. §. *Sed contra hoc forte*; Sed dare voluit formam suis Prædicatoribus, vt ipsi *non quærentes datum, sed fructum.* Philipp. 4. non importunè peterent hospitium, seu quidquam aliud ab Auditoribus suis; sed honestiùs expectarent inuitari ab illis; ne fortè illi propter præsentem verecundiam, aut propter importunitatem tollendam concedentes petitum, *& rem, & meritum perderent*, vt dicit Glos. super illud 11. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* In hoc etiam facto dedit formam Prædicatoribus suis, vt si fortè propter nimiam paupertatem non possent inuenire hospitium nisi adulando, sicut frequenter contingit, magis eligerent hospitio carere, quàm per adulationes hospitium obtinere; exemplô suô, qui, quoniam pauper erat, & nulli adulabatur, ideo in tanta vrbe,

scilicet

ſcilicet Ieruſalem, hoſpitium non inueniens, magis elegit redire in Bethaniam, vnde venerat illâ die, quàm per adulationes hoſpitium inuenire, ſecundùm quod dicit Gloſ. ſuper locum prædictum his verbis. *Tantæ paupertatis fuit Chriſtus, & ita nulli adulatus, quod in tanta Vrbe nullum hoſpitum inueniret.* Et alia Gloſ. ibidem. *Vt qui in Vrbe non inueniebat, in agro pariulo apud Lazarum, & ſorores eius*, videlicet in Bethania, *hoſpitium inueniret.* Sic ergo patet, quod per authoritates præmiſſas non probatur Chriſtum corporaliter mendicaſſe, petendo aliquid corporale.

§. Et vt breuiter dicamus, quod Chriſtus, vel eius Apoſtoli victum, vel quidpiam aliud corporale mendicauerint, non poterit, vt credimus, in Scriptura Canonica reperiri; licet aliquando oblata receperint; quod in eis non potuit eſſe mendicitas, ſed poteſtas, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed contra hoc fortè.* Immò verò, cum ſumptus recipere ab eis, quos tamquam gregem paſcit quis, non ſit mendicitas, ſed poteſtas, vt oſtenſum eſt ſuprà; qui dicit Chriſtum mendicaſſe, recipiendo ſumptus ab Auditoribus ſuis, quos tamquam gregem paſcebat, per conſequentiam dicit eum non fuiſſe verum Paſtorem; contra illud Ioan. 10. *Ego ſum Paſtor bonus*; & contra illud Matth. 15. *Miſſus ſum ad oues, quæ perierant domus Iſrael.* Item per conſequentiam dicit, eum non fuiſſe verum Prædicatorem, ſed Pſeudo, cui ſumptus non debentur, vt oſtenſum eſt ſuprà. Item per conſequentiam dicit, eum non fuiſſe verum Meſſiam, ſed deceptorem; quia verus Meſſias miſſus eſt ad paſcendum oues domus Iſrael, vt dictum eſt paulò ánte, & ideo debentur ei ſumptus Iure Dominicô, vt oſtenſum eſt ſuprà; & ſic labitur in hæreſim contra Euangelicam veritatem, & in errorem Iudæorum dicentium, Ieſum noſtrum non fuiſſe verum Meſſiam in lege promiſſum. Similiter, qui dicit Apoſtolos, recipiendo ſumptus ab Auditoribus ſuis, mendicaſſe; per conſequentiam dicit, illos non fuiſſe veros Paſtores; contra illud, quod dictum eſt Petro Ioan. 21. *Paſce oues meas*; & ſic per conſequentiam dicit, eos non fuiſſe miſſos ad prædicandum, & paſcendum; contra illud Marc. 16. *Euntes in mundum Vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Reſtat igitur, quod nec exemplô Chriſti, nec exemplô Apoſtolorum, mendicandum eſt; cum nuſquam mendicaſſe

legantur, nec petendo, etiam ab Auditoribus suis vitæ, necessaria (quæ nusquam tamen meminimus nos legisse) potuerint mendicasse rationibus supradictis. Item cum dicat Ambrosius in 2. lib. De Viduis. *Noua omnia, quæ Christus non docuit, iure damnamus; quia fidelibus via est Christus*; dicant mendicationis Doctores, vbi legerunt Christum, vel eius Apostolos mendicasse, vel mendicare docuisse; nisi fortè in prædictis suprà ead. dist. §. *Sunt autem quidam casus*, & septem Paragraphis sequentibus.

§. Item obiiciunt de Lazaro mendicante, cuius anima deportata est ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. Vnde videtur, quod mendicare non sit peccatum, sed potiùs meritorium.

§. Ad quod patet responsio, per textum Euangelij ibidem; videlicet, quoniam indigebat, & non poterat corporaliter operari, vtpotè vlceribus plenus; vnde necesse habebat mendicare, & erat ei licitum in hoc casu, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sunt autem quidam casus.* Nec credendum est, eum deportatum fuisse ab Angelis in sinum Abrahæ, eô quod mendicaret; sed magis eô quod ægritudinem, & paupertatem patienter, siue humiliter sustineret. Vnde ibidem super illud, *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*, dicit Glos. *Pauper humilis per approbationem ex nomine scitur.* Non igitur mendicitas in eo, sed magis paupertas, & humilitas commendantur.

§. Rursus opponunt illud Hieronymi *Ad Oceanum* De commendatione Fabiolæ. *Optabat suu diuitijs pariter effusis pro Christo stipes accipere*; quod est mendicare. Ergo laudabile est pauperem pro Christo mendicare.

§. Respondeo. Verum est de illo, qui non potest corporaliter operari, qualis esset Fabiola, si suas diuitias pro Christo effudisset, cum anteà diues, & delicatè nutrita esset, & ideo corporaliter operari non posset. Vnde illi absque offensa præcepti Apostolici de operando corporaliter propter victum, mendicare liceret, si aliter sine peccato sustentari nequiret, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Est etiam infirmitas*, & §. *Isti tamen*, in fine.

§. Item adhuc obijciunt Otij Defensores, exempla quorumdam Sanctorum Patrum, qui manibus non operabantur; vt de Beato Benedicto, qui manens in specu longè à conuersatione

hominum, & à quodam Monacho *Romano* nomine paſcebatur; ex quo concludunt, quod non operabatur corporaliter propter victum.

§. Ad quod dici poteſt, quod cum non cogeretur egeſtate neceſſaria petere, vtpotè cui à Domino neceſſaria vitę per miniſterium *Romani* Monachi præbebantur; nec etiam petere poterat, vel mendicare, vtpotè ab hominum conuerſatione remotus (tribus enim annis, exceptô *Romanô* Monachô, hominibus incognitus fuit, vt legitur in vita ipſius) non tenebatur ex prȩcepto Apoſtoli corporaliter operari, quia nec periculis mendicationis erat ſubiectus. Sicut etiam Helias Propheta, licet propter Dominum domum ſuam & patriam relinquens, nihil ſecum ferret, vnde viueret; non tamen tenebatur corporaliter operari, quia periculis mendicationis non erat ſubiectus; vtpotè, qui non inter homines habitabat, & quem Dominus per miniſterium Corui, & Mulieris Sareptanæ paſcebat, vt legitur 3. *Regum, cap.* 17. Nec tamen credendum eſt de Beato Benedicto, quod ſaltem poſteà, dum fuit inter Monachos, quibus dedit Regulam Monachalem, non fuerit aliquando corporaliter operatus; ſed potiùs præſumi poſſet contrarium, cum operandum corporaliter præceperit *in Regula Monachorum*, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. *§. Item B. Benedictus.* Nec credendum eſt, eum ſanctiorem, aut perfectiorem fuiſſe, cum in ſpecu exiſtens non operaretur corporaliter, quàm poſteà, cum inter Monachos manens corporaliter operabatur; alioquin in charitate non profeciſſet, ſed ab ea miſerabiliter cecidiſſet, cum ſcriptum ſit quod *Charitas aut proficit, aut deficit.*

§. Item fingunt de Beata Matre Domini, quod ipſa mendicauit; cum hoc numquam ſcriptum in diuinis literis valeat reperiri. Sed inter commendationes eius dicit de illa B. Ambroſius, *Quod intenta fuit operi, & verecunda ſermone.* Vnde magis credendum eſt, quod erubeſcens mendicare de proprio vixit labore.

§. Similiter fingunt Paulum primum Eremitam mendicaſſe; quod eſt contra Hieronymum, qui vitam eius deſcribens dicit; quod quinquaginta annis ſolus manſit, & de foliis palmæ veſtiebatur, & de fructibus veſcebatur, & de hoc etiam, quod Dominus ei mittebat per auem, vel Angelum, quando illi ex-

Digitized by Google

pedire videbat; non igitur mendicabat.

§. Item obiiciunt de Beato Alexio, qui vagabundus per mundum, vt dicunt, mendicabat, nec manibus operabatur.

§. Ad quod dicendum est, quod in vita eius non continetur, quod numquam corporaliter operaretur propter victum; & tamen à præcepto Apostoli poterat excusari, cum delicatè nutritus esset, vtpotè de Nobilioribus Romanorum; delicatè namque nutriti non coguntur etiam in Monasterijs operari corporaliter, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Est etiam infirmitas.* Et forsan, quia mendicando errabat, cum posset aliter viuere in domo patris sui, ideo instinctu Spiritus Sancti in fine reuersus est ad domum patris sui, vbi tamquam ignotus à parentibus suis inter alios pauperes pascebatur, tamquam pauper alienus, vt legitur in vita eius; sed tunc non mendicabat, quia recipiebat alimenta sibi à parentibus suis debita tam iure naturali, quàm ciuili, licet non cognosceretur ab eis. Cur autem isti existimant imitandum Alexium mendicantem, & non Beatum Apostolum manibus operantem? Istud enim magis certum est, quàm primum, quia magis authenticum, & ideo magis eligendum.

§. Sed esto, quod aliqui Sanctorum mendicauerint in casibus non concessis; præsupponendum tamen est, quod hoc fecerint priuatô consiliô Spiritus Sancti, licet nobis ignotô. Vnde non est trahendum ad consequentiam; sicut de Samsone, qui licet videatur contra præceptum Domini feciſſe, Exod. 20. *Non occides*; quoniam se vnà cum hostibus ruinâ domus oppressit. *Iud.* 16. excusatur tamen, quia hoc fecit priuatô consiliô Spiritus Sancti, vt dicit Augustinus in lib. *De Ciuitate Dei*; & habetur 23. q. 5. cap. *Si non licet.* Similiter excusatur Dauid in eo, quod contra Goliam subierit singulare certamen 1. *Reg.* 17. quod tamen prohibitum est tamquam illud, in quo tentatur Deus, vt legitur 2. q. 4. cap. *Monomachiam.* Vel potest esse, quod aliqui Sanctorum mendicauerint, & adhuc multi tales mendicent, decepti sub specie pietatis; dum, vel latet eos veritas, vel compellit infirmitas. Vnde Augustinus in libro contra mendacium *Ad Consentium* dicit. *Constat, quod non omnia, quæ à Sanctis legimus facta, transferre debemus ad mores; sed hinc disce, quod ait Apostolus.* FRATRES, SI PRÆOCCV-

PATVS FVERIT HOMO IN ALIQVO DELICTO, VOS QVI SPIRITALES ESTIS, CORRIPITE HVNC IN SPIRITV LENITATIS; *præoccupationes enim ſunt iſtæ, in quibus delinquitur, dum quid faciendum ſit, aut ad horam non videtur, aut qui viderit vincitur; vt ſcilicet fiant peccata, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas.* Vnde ſi aliqui Sanctorum, non ſolùm mendicaſſent, ſed etiam mendicandum præcepiſſent in caſibus non conceſſis, contra præceptum Apoſtoli ſupradictum; in hoc non eſſet eis parendum, niſi aliter de voluntate Domini conſtaret. Vnde Cyprianus Martyr. *Mandant Martyres aliqua fieri; ſed, ſi in lege Domini ſcripta non ſunt, quæ mandant, ante eſt vt ſciamus à Domino ſe impetraſſe quæ poſtulant, & tunc facere quæ mandant; nam non ſtatim videri poteſt de Diuina Maieſtate conceſſum, quod fuerit humanâ pollicitatione promiſſum*, vt legitur diſt. 50. Can. *Si quis præproperâ.* Patet igitur, quod etſi forſan inueniretur aliquos Sanctos mendicaſſe, præter quàm in caſibus in Diuina Scriptura conceſſis; non tamen trahendum eſſet ad conſequentiam; cum hoc potuiſſent feciſſe priuatô conſiliô Spiritus Sancti, vel ſub pietatis ſpecie errore decepti, vel infirmitate compulſi.

§. Item dicunt Otij Defenſores, quod præceptum Apoſtoli de operando manibus propter victum, illos ſolos adſtringit, qui ſi mendicarent, timeri poſſet, ne propter mendicitatem caderent in furtum, vel in alia genera peccatorum, eô quod dicit Apoſtolus. *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret manibus ſuis.* Quaſi diceret. *Illi ſoli debent manibus operari, qui propter paupertatem proni eſſent ad furandum, vel aliô modô peccandum*; quod nullô modô timendum eſſe aſſerunt de viris Religioſis, qui omnia dimiſerunt propter Chriſtum; quales ipſi ſe eſſe aſſerunt. Vnde nec eos adſtringit, vt dicunt, præceptum Apoſtoli ſupradictum.

§. Ad quod dicendum eſt, quod, immò omnes adſtringit, qui egeſtate coguntur neceſſaria petere, niſi in caſibus exceptis prædictis; tam Laicos, quàm Clericos, & Monachos, quantumcumque perfectos, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item, quod vacare ſpiritualibus*; qui, etſi fortè de facili non cadant in opera peccatorum, tamen propter neceſſitatem mendicationis cadere poſſunt, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Si verò*

quæratur. Quod ſatis liquet in Iuda proditore, qui cum omnia reliquiſſet propter Deum, & ſecundùm præſentem iuſtitiam, quam tunc habebat, electus fuiſſet à Domino in Apoſtolatum; nihilominùs tamen poſteà, adhuc exiſtens Apoſtolus, propter cupiditatem pecuniæ cecidit in crimen furti, & proditionis, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sed forſan dicet.* Quod ergo dicunt Otij Defenſores, nullomodò credendum eſſe Viros Religioſos, qui propter Chriſtum omnia reliquerunt (quales ſe ipſi aſſerunt) caſuros fore propter neceſſitatem huius vitæ tranſigendæ in aliquod mortale peccatum, quantæ temeritatis, aut præſumptionis exiſtat, iudicet qui iudicare poteſt; cum maximè pertineat ad Perfectos, ſe ſeruos inutiles, iuxta doctrinam dominicam æſtimare; & vt beati ſint, ſemper pauidos eſſe, & ſuam infirmitatem cognoſcere; attendentes Petrum de ſua iuſtitia confidentem negando Chriſtum miſerabiliter cecidiſſe *Matth.* 26. Præſertim, cum non omnes ſint Dauide ſanctiores, nec Salomone ſapientiores, qui leuiori tempeſtate, quàm ſit huius vitæ tranſigendæ neceſſitas, mortaliter peccauerunt. Et ideo propter eiuſmodi neceſſitatis pericula, in poſterum euitanda, præcepit Apoſtolus vniuerſis Seruis Domini, neceſſarijs huius vitæ indigentibus, corporaliter operari propter victum quærendum, niſi ab operando corporaliter legitimè excuſentur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Si verò quæratur*, & §. *Quoniam igitur.* Cum etiam illud præceptum Apoſtoli, de operando manibus, ſit morale; non ſolùm datum eſt imperfectis ad dimittendum præſens peccatum; ſed etiam perfectis, ne labantur in futurum. Vnde ſignanter dicit Auguſtinus in lib. *De opere Monach.* cap. 13. *Præcauit hoc ipſe Apoſtolus, ne quiſquam ex neceſſitate tranſigendæ huius vitæ in mala opera dilabatur*, vt dictum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Quoniam igitur tot mala.* Certum enim eſt, quod *præcauere* pertinet, non ad iam factum, ſed ad faciendum.

§. Patet igitur, quod præceptum Apoſtoli de operando manibus propter victum, non ſolùm illos adſtringit, qui propter neceſſitatem proni ſunt incidere in peccata; ſed etiam illos, qui propter illam cadere poſſunt. Sicut illud præceptum Apoſtoli 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem*, non ſolùm fornicatores, vel eos, qui de facili labuntur in fornicationem, adſtringit; verùm etiam omnes, qui in fornicationem labi poſſunt. Exceptis for-

Digitized by Google

ſan *Beguinis*, qui Beguinas fugere non debent, vt aſſerunt; ſed cum eis continuè commorari, & confabulari, & in Domino conſolari, audiendo etiam quotidie à mane vſque ad veſperam confeſſiones illarum, ſi ſint Presbyteri; cum tamen dicatur Eccleſ. 9. de muliere. *Colloquium eius, quaſi ignis exardeſcet.* Item Salomon Prouerb. 6. *Numquid poteſt homo ignem abſcondere in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cum tetigerit eam.* Eccleſiaſt. 9. *Cum aliena muliere ne ſedeas omninò, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & ne alterceris cum ea in vino, nec etiam ſine vino; ne fortè declinet cor tuum in illam, & in ſanguine tuo* (id eſt prò peccato tuo) *labaris in perditionem.*

§. Si dicatur, quod etſi non liceat fœminas ſanctas tangere, tamen licet eas frequenter videre, & cum eis ſanctam familiaritatem & cohabitationem habere; contradicit Gregorius in lib. 21. Moral. ſuper illud Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine*, ita dicens. *Non detur intueri, quod non licet concupiſci.* Eccl. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcet.* Item Hieronymus Ad Oceanum. *Fœmina conſcientiam ſecum inhabitantis exurit, nec poteſt totô corde habitare cum Deo, qui fœminarum acceſſibus copulatur.* Et infrà. *Fœminæ nomen tuum neſciant; Fœminam, quam videris benè conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentiâ.* Et habetur diſt. 32. Can. *Hoſpitiolum tuum.* Item in eadem Epiſtola. *Si fœminæ cum viris habitent, viſcarium Diabolo non deerit.* Item in eadem Epiſtola. *Ianua Diaboli, via iniquitatis, Scorpionis percuſſio, nociuumque genus fœmina eſt; proxima ſtipula incendit ignem.* Et infrà. *Ferreas mentes libido domat*; Ideoque *ſine peccato carnis pauci inueniuntur*, vt legitur diſt. 50. Can. *Quia ſanctitas tua.*

§. Sed fortè dicet aliquis Beguinorum excuſator, quod licitum eſt bonis viris, maximè autem Prædicatoribus, habere familiaritatem continuam, & conſortium cum mulieribus, quales ſunt mulieres Beguinæ, quæ *Beguinæ* ideo appellantur, vt aſſerunt, quaſi *benignæ*, vel quaſi *bonô igne ignitæ*; cum Dominus Ieſus Chriſtus tales mulieres haberet in ſuo comitatu, vt legitur *Luc.* 8. Apoſtoli etiam tales mulieres circumducebant 1. Corinth. 9. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſoro-*

Digitized by Google

rem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cephas?

§. Ad quod dicendum eſt, quod quædam mulieres, quas Dominus curauerat ab infirmitatibus ſuis corporalibus, vel ſpiritualibus, eum ſequebantur, vt ei, tamquam vero Paſtori ſuo in officio prædicationis occupato, vitæ neceſſaria compararent, ac de ſuis facultatibus miniſtrarent, vt apparet *Luc.* 8. Ob eamdem etiam cauſam quædam ſimiles mulieres Apoſtolos ſequebantur; non quod ipſi paſcerent eas, ſed potiùs paſcebantur ab illis Iure Dominicô, tanquam earum Euangeliſtæ à Domino ordinati; ſicut dicit Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 4. & 5. Sed Beguinæ noſtri temporis, non paſcunt illos ſanctos homines, cum quibus conuerſantur, tamquam ſuos Euangeliſtas; cum non ſint earum Euangeliſtæ à Domino ordinati; videlicet, quia non ſunt earum Prædicti; ſed magis quandoque paſcuntur ab illis; vel ſaltem ſub prætextu paupertatis, & ſimulatæ ſanctitatis ipſarum, licet ſint iuuenes, & validæ ad operandum corporaliter, vnde viuant; nihilominùs tamen, per eorum procurationem paſcuntur de eleemoſynis fidelium, quæ potiùs deberent pauperibus debilibus, & laborare impotentibus, tam viris, quàm fœminis erogati. Nam ſecundùm Apoſtolum, illæ tantùm viduæ debent de bonis pauperum ſuſtentari, quæ ſexagenariæ ſunt, vt propter debilitatem ſenectutis iam laborare non poſſint. Vnde ſuper illud 1. Timoth. 5. *Vidua eligatur, non minùs ſexaginta annorum*, dicit Hieronymus. *Idcirco ætas præſcribitur, vt illæ tantùm accipiant pauperum cibos, quæ iam laborare non poſſunt.* Et habetur 31. q. 1. cap. *Quomodò Virginibus*. Et ſic Eccleſia grauatur per illas iuniores Beguinas, contra illud 1. Timoth. 5. *Si quis fidelis habet viduas iuuenes*, Gloſ. in domo ſua, *ſubminiſtret illis*, Gloſ. quæ neceſſaria ſunt, *& non grauetur Eccleſia; vt his, quæ verè viduæ ſunt, ſufficiat.*

§. Sed eſto ſine prejudicio, quod mulieres illæ Beguinæ paſcerent eos, & miniſtrarent illis, tamquam ſuis Euangeliſtis; quia tamen non conſtat eos ad inſtar Apoſtolorum Chriſti virtute ex alto eſſe indutos, ſiue in gratia confirmatos, ſicut nec Sæculares Clericos; idcirco, ſi Beguinæ illæ iuniores fuerint, & formoſæ, periculoſa eſt illis earum frequentia corporalis; nam ſicut dicit Hieronymus Ad Nepotianum. *Periculoſè*

tibi

Digitized by Google

tibi miniſtrat, cuius vultum frequenter attendis. Maximè autem periculoſa eſt iuuenibus viris, propter lubricum iuuenilis ætatis. Vnde Apoſtolus docens Timotheum, qualiter deboat alloqui mulieres, præcipuè iuueniles ætate, eô quod ipſe erat iuuenis, facit ei mentionem de caſtitate dicens. *Anus obſecra, vt matres; iuuenculas, vt ſorores, in omni caſtitate.* Gloſ. *In alloquijs iuuencularum, rectè iuuenis de caſtitate monetur.* Item ſuper illud Canticorum 2. *Capite nobis vulpeculas paruulas*, dicit Bernardus. *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quàm mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt non potes, & quod maius eſt; vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus iuuenculæ eſt in menſa; oculi tui ad oculos illius in colloquio; manus tuæ ad manus illius in tactu; & caſtus vis haberi? Eſto ſis; ſed ego ſuſpicione non careo. Scandalo mihi es; tolle ſcandali cauſam, quô te comprobes verum, vt iactas, Euangelij imitatorem.* Item Beatus Franciſcus *In Regula ſua* cap. 11. *Præcipio Fratribus vniuerſis firmiter, vt non adeant ſuſcepta conſortia mulierum; neque ingrediantur in Monaſteria Monacharum, præter eos, quibus ab Apoſtolica Sede conceſſa eſt licentia ſpiritualis; nec fiant Compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.* Si non licet eis ingredi Monaſteria Monacharum, quæ aliquâ regulâ canonicâ coercentur; multô minùs licet eis ingredi domos Beguinarum, vel aliarum Mulierum conſortia, quæ nullâ regulâ canonicâ coercentur.

§. Quod ſi fortè dicatur, non eſſe timendum de ſancta familiaritate Beguinarum, ſaltem incorruptarum, & virginum; eô quod non ſint aſſuetæ ad carnale commercium, & ideo nullum, aut modicum gerunt incitamentum; Reſponderi poteſt, quod etiam in eis eſt nonnullum periculum, propter earum verba tenera, & ridentem aſpectum. Vnde Hieronymus Ad Oceanum. *Quid te delectat virginale alloquium? Si enim eos, quos diligunt, viderint, ridentibus oculis ſalutationis tenera verba proferunt.* Eccl. 9. *Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius.* Item, nonne Mater Domini virgo fuit caſtiſſima? nonne Apoſtoli fuerunt caſtiſſimi? præcipuè, poſtquàm virtute ex alto fuerunt induti, id eſt in gratia confirmati; & tamen illa nutu diuinô, vt credendum eſt, à collegio illorum diſceſſit; quod non feciſſet, ſi cum eis commorari diu licitè potuiſſet. Nonne Paulus fuit caſtiſſimus? vnde 1. Corinth. 7.

ſuper illud, *Volo omnes eſſe, ſicut meipſum*, dicit Gloſſa. *Id eſt continentes.* Nonne Thecla, quam ipſe Apoſtolus baptizauit, fuit virgo caſtiſſima? & tamen de illa poſtmodùm, cum ambo eſſent in Antiochia, tentatus fuit 2. Corinth. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, &c.* Et ideo illam à ſuo conſortio ſeparauit. Vnde Hieronymus Ad Oceanum. *Potuit Maria Mater Domini de choro Apoſtolorum non diſcedere, ſi liceret. Thecla poſt tentationem paſſionis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere.* Ex quibus patet, quàm periculoſa ſit, & quam illicita Regularibus Viris, quantumcumque perfectis & ſanctis, Beguinarum, & Monacharum, & quarumcumque cohabitatio fœminarum. Vnde Eccleſ. 42. *In medio mulierum noli commorari.*

§. Dicet forſan aliquis Regularis; Quod Viri Regulares, qui per longam experientiam exercitati ſunt in operibus callitatis, viſitare debent Sanctas Mulieres, quæ appellantur *Beguinæ*, vt eas inſtruant bonis moribus, & in Domino conſolentur. Nec eſt timendum de illorum cohabitatione propter votum continentiæ, & obſeruantiam parcimoniæ in vtriſque.

§. Ad quod dicendum eſt, quod hoc non pertinet ad Viros Regulares, ſiue ad Monachos; ſed potiùs ad Clericos, ſiue Prælatos, quorum officium eſt viſitare ſanctas Viduas, & ſanctas Virgines; ita tamen, ne ingrediantur ſoli domos earum. Vnde Hieronymus Ad Nepotianum. *Si propter officium Clericatus, aut Vidua viſitatur, aut Virgo; numquam domum eius ſolus introeas. Tales habeto ſocios, quorum contubernio conformeris.* Ecce quod officium Clericatus, ſiue Prælationis eſt, viſitare Sanctas Mulieres. Vnde nec Clerici, qui non ſunt Prælati; nec alij continentiam profeſſi, debent viſitare Sanctas Viduas, vel Sanctas Virgines, ſine iuſſu Prælatorum. Vnde in Concilio Affricano 3. *Clerici, vel Continentes, ad Viduas, vel Virgines, niſi ex iuſſu, vel permiſſu Epiſcoporum, vel Presbyterorum, non accedant.* diſt. 81. Can. *Clerici.* Monachi ergo hoc facientes ſine miſſione Clericorum, id eſt Prælatorum, vſurpant officium alienum. Item, cum Prælatis, qui habent ſuper fœminas regimen animarum, non liceat ingredi domos illarum, niſi cum cautela bonæ ſocietatis, vt patet per Hieronymum paulò ante; in hoc reddunt Monachi, ſeu Regulares

Viri, meritò ſe ſuſpectos, ſi frequenter adeant domicilia fœminarum; vel ſi habeant priuata colloquia cum eiſdem, cum non ſint earum Prælati. Vnde Auguſtinus contra Vigilantium. *Quid facit Monachus in cellulis fœminarum? Quid ſibi volunt ſola & priuata colloquia, & Arbitros fugientes oculi?*

§. Nec dicat aliquis, non eſſe timendum de cohabitatione illorum cum mulieribus ſupradictis, propter eorum votum continentiæ, & obſeruantiam parcimoniæ; cum dicat Seneca *Ad Lucilium*. Epiſt. 39. *Luxuria, quæ videtur aliquando deſiiſſe, deinde frugalitatem profeſſos ſollicitat, atque in media parcimonia voluptates relictas petit; & quidem eò vehementiùs, quò occultius; omnia enim vitia in aperto leuiora ſunt; morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt.* Item Bernardus in Sermone 58. *Quantumcumque in hoc corpore manens profeceris; erras, ſi vitia putas emortua, & non magis compreſſa.* Item Damaſcenus lib. 4. cap. 17. *Impoſſibile eſt aliquem non concupiſcere, vel finaliter ſine geſtu voluptatis eſſe.* Item Hieronymus Ad Ruſticum Monachum. *Vas electionis macerat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit; & tamen cernit naturalem carnis ardorem ſuæ repugnare ſententiæ, vt quod non vult, hoc agere compellatur; & tu arbitraris abſque lapſu poſſe tranſire, niſi omni cuſtodiâ ſeruaueris cor tuum?* Quod igitur dictæ perſonæ continentiam cum parcimonia ſeruent in ſua cohabitatione, apud multos indigeret probatione.

§. Sed iterum dicet aliquis Regularis Beguinarum Amator; quod bonis Viris Regularibus, & pudicis; præcipuè autem prædicare ſcientibus; vtile eſt conuerſari in conſortio bonarum Mulierum, quæ appellantur *Beguinæ*; præcipuè autem in conſortio adoleſcentularum, & pulchrarum; propter duos eorum profectus; videlicet, propter profectum prædicationis, & quod per earum aſpectus, & colloquia quandoque tentati carnaliter, pugnant contra tentationes, quas vincendo glorioſiùs coronantur. Nam ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 6. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.*

§. Ad quorum primum dicendum eſt, quod licet fortè Auditoribus ſuis quandoque Regulares, ſeu Monachi proficiant prædicando; quemadmodùm Pſeudo-Prædicatores Auditoribus ſuis quandoque proficiunt, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Notandum verò*, & §. *Nec mireris*; ta-

men sibi non proficiunt; sed magis officiunt tales Prædicatores, officium prædicationis sibi prohibitum assumentes, vt ostensum est suprà ead. dist. 1. §. *Secundùm igitur prælibatam*, cum sequentibus multis Paragraphis, & ostendetur etiam infrà. dist. 4. in 16. signo,

§. Ad secundum dicendum est, quod licet contra aliqua vitia sit pugnandum; tamen contra luxuriam non est hôc modô pugnandum; sed magis fugiendum. Vnde Apostolus 1. Cor. 6. dicit. *Fugite fornicationem.* Non dicit. *Pugnate contra fornicationem.* Vnde Ambrosius super isto verbo dicit. *Cum alijs*, nempe vitijs, *potest expectari conflictus; hanc fugite, ne approximetis; quia non potest aliter melius vinci.* Item Hieronymus in Epist. *Contra Vigilantium* ita dicit. *Monachus non Doctoris, sed plangentis habet officium; qui vel se, vel mundum lugeat; qui sciens vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maximeque adolescentularum, vitat aspectum; & in tantum castigator sui est, vt etiam, quæ tuta sunt, pertimescat. Cur, inquit, pergis ad eremum? videlicet, vt te non audiam; vt te non videam; ne me capiat oculus meretricis; ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis; hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie; aduersarijs armatis obsiste; vt postquàm viceris, coroneris. Fateor imbecellitatem meam; nolo pugnare spe victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuito. Si stetero; aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est, certa dimittere, & incerta sectari? Aut scutô, aut pedibus mors vitanda est. Tu, qui pugnas, & superari potes, & vincere. Ego cum fugio, non vincor in eo quod fugio; sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est, vicinô serpente, dormire; potest fieri, vt non mordeat me; tamen potest fieri, vt aliquando mordeat me.* Item super illud Matth. 4. *Tunc ductus est Iesus in desertum*, dicit Chrysostomus. *Ductum commemorat, vt nos apertissimè signatum esse videamus; quia non sponte in tentationem nos oporteat insilire; sed cum tracti fuerimus, viriliter repugnare.* Item Augustinus *De Ciuitate Dei* lib. 9. cap. 8. *Perturbatio passionum, quæ est tentatio, à sapientibus & bonis ita regitur, vt malint eam non habere, quàm vincere.*

§. Ad illud autem, quod dicit Apostolus, *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*; dicendum est, quod loquatur ibi de illo, qui pugnat, vbi pugnandum est; non de illo, qui pugnat, vbi

fugiendum eſt. Et hoc patet ex verbo Apoſtoli præcedente, vbi dicit, *Nam qui certat in agone, non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*; conſtat enim, quod in agone pugnandum eſt, non fugiendum. In luxuria verò ſecundùm Apoſtolum fugiendum; non, ſe tentationibus offerendo pugnandum.

§. Sed dicet aliquis Regularis. Nonne licet mihi habere ſpiritualem familiaritatem, & ob hoc frequentem cohabitationem, ſaltem cum Reginis, & Comitiſſis & alijs reuerendis Matronis; de quibus non poteſt mala ſuſpicio ſuboriri?

§. Reſpondemus. Minimè, vt nobis videtur; & hoc duabus de cauſis. *Primò*, quia, etſi de illis reuerendis Matronis nulla mala ſuſpicio habeatur, præſertim, quia difficilior eſt in eis ruina; habent tamen multas pediſſequas, quarum aliquæ poſſunt eſſe ſuſpectæ; quoniam propter eârum vilem conditionem, in eis facilior eſt ruina, ſicut dicitur de Matribus & Sororibus Sacerdotum. Extrà *De cohabitatione Clericorum & Mulierum* cap. 1. Non enim omnes Matronæ ſunt, quæ cum Matronis ſunt, quemadmodum dicit ex Auguſtino Gregorius. *Non omnes Sorores meæ ſunt, quæ cum Sorore mea ſunt.* diſt. 81. can. *Legitur.* Item Hieronymus in Epiſtola Ad Ruſticum Monachum. *Matrem ita vide, ne per eam alias videre cogites, quarum vultus cordi tuo inhæreant. Ancillas, quæ illi in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidijs. Quantò vilior earum conditio, tantò ruina facilior eſt.* Et infrà. *Nolo te habitare cum Matre; ne ſi delicatos cibos acceperis, oleum igni adjcias & inter frequentiam puellarum videas per diem, quod nocte cogites.* Si ergo non eſt licita cohabitatio Regularis Viri cum Matre, propter delicatos cibos, & frequentiam mulierum; quantò minùs cum Regimis, & Matronis alijs alienis, vbi ſunt cibi delicatiores, & maior frequentia puellarum? *Secundò* illicitata eſt cohabitatio Virorum Regularium cum Matronis, quia familiaritas Mulierum, & etiam Epiſcoporum (quod minùs videretur) retrahit Regulares Viros à ſancta contemplatione Diuinorum. Vnde Caſſianus in lib. 11. De inſtitutis Monachorum. *Hæc eſt antiquitùs Patrum vſque nunc permanens ſententia. Omnibus modis Monachum fugere debere Mulieres, & Epiſcopos; neuter enim ſinit eum, quem ſemel ſuæ familiaritati deuinxerit, vel quieti cellæ operam dare; vel Diuinæ Theoriæ, per ſanctarum rerum intuitum, puriſſimis oculis inhærere.*

§. Nec dicat etiam aliquis Regularis, se confidere de sua præterita castitate ; Cum dicat Salomon Prouerb. 7. *Multos vulneratos deiecit Mulier; & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Item Hieronymus Ad Nepotianum. *Vide, ne in præterita castitate confidas ; nec enim Dauide sanctior, nec potes esse Salomone sapientior. Memento semper, quod Paradisi Colonum de possessione sua Mulier eiecerit.* Et infrà. *Caue omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, deuita.* Hoc benè faciebat; hoc est, suspicionem vitabat Apostolus, qui in colligendo, & deferendo eleemosynas, quæ per eum mittebantur pauperibus Christianis, qui erant in Ierusalem, voluit habere socium Lucam Euangelistam; ne possent infirmi & impij suspicari, quod ad vsus suos vellet eas retinere. Vnde 2. Cor. 8. *Diuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ à vobis ministratur in gloriam.* Super quo verbo dicit Augustinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 16. *Ad hoc dicit Apostolus Lucam ordinatum comitem sibi, vt deuitaret hominum reprehensiones; ne sine testimonio sociorum in hoc ministerio Sanctorum, tamquam sibi accipere, & in suos vsus conuertere ab infirmis & impijs putaretur, quæ accipiebat ad supplendum necessitates Sanctorum.* Ecce qualiter Apostolus malas suspiciones infirmorum & impiorum hominum deuitabat. Multô magis ergo deberent Viri Regulares qui non sunt pares in sanctitate & fama Beato Apostolo, malas suspiciones etiam infirmorum & impiorum, nedum bonorum hominum deuitare.

§. Non caret autem scrupulô suspicionis malæ, si fortè aliqui Religionis speciem ostendentes, Viduas iuniores & pulchras, vel opulentas, ad eorum regimen non pertinentes, sub specie pietatis adeò circumueniant & seducant, quod blandè ablatâ eis suâ pecuniâ, posteà eas sub professione continentiæ faciant intrare Monasteria Monacharum, vel in sæculo remanere in habitu Beguinarum; & tunc procurent eis eleemosynas, vnde viuant, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sed forte*; posteà verò sub prætextu audiendę confessionis vel impendendæ doctrinæ salutaris, quotidianis colloquijs, ac immoderatâ familiaritate coniungantur eisdem. Primum enim videtur esse contrarium doctrinæ Apostoli 1. Timoth. 5. dicentis. *Vidua eligatur.* Glos. *quæ Ecclesiæ pascatur eleemosynis.* Non *minùs sexagintâ annorum.* Glos. *In qua ætate extinctus est fomes libidinis.* Et

Digitized by Google

infrà. *Adoleſcentiores autem Viduas deuita* Gloſ. *Prohibet Apoſtolus adoleſcentes Viduas in hac recipi profeſſione; lubricæ enim ætati facilè credi non debet.* Et certe videtur ſimile dici poſſe de Puellis. Item in eodem capitulo infrà. *Volo ergo iuniores*, Gloſſ. Viduas, *nubere filios procreare, Matres familias eſſe, nullam occaſionem maledicti*, Gloſ. Id eſt maledicendi, *aduerſario dare.* Sequens verò immoderata familiaritas ſupradicta non caret ſuſpicione malâ, vt oſtenſum eſt multipliciter paulò ſuprà.

§. Illud etiam non modicam ſuſpicionem inducit, ſi fortè aliquis Beguïnorum, ſiue Regularis, ſiue Sæcularis exiſtat, maiorem vni Beguinæ, vel Moniali, quàm aliis dilectionem, vel familiaritatem exhibeat; plures fortè illi, quàm aliis eleemoſynas (licet forte non magis egeat) procurando; vel fortè xeniola; vel ſaltem dulces literas deſtinando. Vnde Hieronymus ad Nepotianum. *Omnes Puellas, aut Virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige.* Et infrà. *Crebra munuſcula, blandas quoque ac dulces literas ſanctus amor non habet.*

§. Factâ igitur à Tractatu *De Otioſis* breui quadam, non ſine cauſa, digreſſione, ad propoſitum, vnde ſermo venerat, reuertentes; Dicimus confidenter, quod ſicut illud præceptum Apoſtoli 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem*, omnes adſtringit; non ſolùm, qui de facili fornicantur; verùm etiam, qui fornicari poſſunt; ſic & illud præceptum Apoſtoli de operando corporaliter propter victum, vt non cogatur quis egeſtate neceſſaria petere, & ob hoc, vt oſtenſum eſt, aliquando peccare, omnes adſtringit; non ſolùm, qui propter mendicitatem adulari, vel furari, vel aliter peccare proni ſunt; ſed etiam omnes, tam Regulares, quàm Sæculares; tam Perfectos, quàm Imperfectos; qui propter mendicitatem prædictis modis, vel alijs peccare poſſunt, niſi ab illo præcepto, vt ſæpe dictum eſt, legitimè excuſentur. Quod autem Perfectos adſtringat præceptum Apoſtoli de operando corporaliter propter victum, ex eo manifeſtè apparet, quod ipſe Apoſtolus Vir perfectiſſimus, non ſolùm Imperfectis, quibus erat incomparabilis; ſed magis Viris Perfectis, quibus erat imitabilis, ſemetipſum poſuit in exemplum ad illud præceptum firmiùs adimplendum, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Hoc autem faciebat Apoſtolus.*

§. Adhuc etiam obijciunt Otij Defenſores dicentes, quod

ceſſandum eſt ab omni opere corporali, vt liberiùs vacari poſſit diuinæ contemplationi. Vnde Matth. 6. ſuper illud, *Reſpicite volatilia cæli*, dicit Gloſ. *Sanctorum quidam ita ſunt remoti à mundo, vt iam in terris nihil agant, nihil laborent; ſed ſolâ contemplatione iam in cœlo degunt.* Item Gregorius ſuper Ezechielem in ſecunda homilia ſecundæ partis.. *Contemplatiua vita eſt, charitatem Dei & proximi totâ mente retinere, ab exteriori actione quieſcere, ſoli deſiderio Conditoris inhærere; vt nihil agere iam libeat, ſed calcatis omnibus ad videndum faciem ſui Creatoris animus inardeſcat.* Ergo, vt dicunt, ceſſandum eſt ab omni opere manuum, cum ſit opus exterius, vt liberiùs vacari valeat contemplationi; maximè, cum dicat Dominus Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.* Ille autem, qui operatur manibus vnde viuat, ſollicitus eſſe videtur in craſtinum, vt dicunt.

§. Ad quod dicendum eſt, quod Viri Contemplatiui, qui ſuſtentantur de bonis communibus Eccleſiæ, non tenentur ex præcepto Apoſtoli propter victum corporaliter laborare, cum non cogantur egeſtate rem alterius deſiderare; vel, quod peius eſt, rogare. Si verò indigeant neceſſariis huius vitæ, tunc tenentur iuxta præceptum Apoſtoli corporaliter operari, niſi excuſentur aliâ ratione, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sunt igitur Otioſi.* Et hoc propter præceptum Apoſtoli, & propter euitanda mendicitatis pericula, poſita & aſſignata ſuprà ead. diſt. §. *Si verò quæratur.* Nec impedit eos quælibet actio, quominùs poſſint certis horis & competentibus contemplationi vacare. Sunt enim quædam actiones, quæ impediunt animi libertatem ad contemplandum diuina; videlicet, quæ fiunt ex cupiditate, ſcilicet causâ colligendæ pecuniæ, vt ſunt opera Mercatorum, Procuratorum, & Conductorum, vel etiam Opificum, ſi ſint fraudulenti, vel auari, vel cupidi. Et iſtæ actiones dicuntur exteriores, quia ducunt extra deſiderium per quod debent Contemplatiui ſoli Deo inhærere. Propter quod ſignanter dicit Gregorius. *Contemplatiua vita eſt, ab exteriori actione quieſcere, ſoli deſiderio Conditoris inhærere.* Et de talibus actionibus intelligi debent authoritates prædictæ. Sunt aliæ actiones, quæ non impediunt animi libertatem ad contemplandum, vt opera corporalia Opificum, dum tamen non ſint fraudulenti, vel cupidi, vel auari. Vnde Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 14. *Aliud eſt corpore laborare animô liberô, ſicut*

Opifex

Digitized by Google

Opifex, si non sit fraudulentus, aut auarus, aut priuatæ rei auidus; aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ pecuniæ sine corporis labore, sicut sunt Negotiatores, Procuratores, Conductores. Nota quod dicit, *corpore laborare, animô liberô*; ex quo patet quod labor corporis non impedit animi libertatem ad contemplandum, si tamen absint fraus, auaritia, & cupiditas. Et hoc satis patet exemplô Apostolorum, qui post Resurrectionem Domini redierunt ad opera corporalia propter victum; non ad negotia sæcularia propter lucrum, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Non solus.* Vnde Gregorius in Homil. *Piscatorem Petrum, Matthæum Telonarium scimus. Et post conuersionem suam Petrus ad piscationem rediit, Matthæus verò ad Telonij negotium non resedit; quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud Telonij lucris pecunias augere.* Item August. in lib. *De Opere Monach.* cap. 8. *Quid impedit seruum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi?* Et constat, quod meditatio Legis Diuinæ, & oratio, siue psalmodia, partes sunt contemplationis. Ex quo sequitur, quod opus manuum sine fraude, & aliis vitiis, non impedit contemplationem. Et hoc verum est, dum tamen ita sit moderatum, quod non extinguat spiritum deuotionis, sicut est in Monasteriis benè moderatis. Vnde B. Franciscus *in Regula sua* cap. 5. *Fratres, quibus dederit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quod otiô exclusô inimicô animæ, scientiæ, orationis, ac deuotionis spiritum non extinguant*, vt dictum est suprà ead. dist. §. *Ex præmissis.* Item Aug. in eodem lib. cap. 29. *Mallem per singulos dies certis horis, quantum in benè moderatis Monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad orandum, & legendum, & aliquid de diuinis literis agendum, liberas; quàm tumultuosas prolixitates causarum alienarum pati; de negotiis sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis; quibus nos molestiis idem adstrinxit Apostolus; non vtique suô, sed eius, qui per eum loquebatur, arbitriô.* Nota quod dicit, *In benè moderatis Monasteriis.* Ecce quod labor manuum moderatus non impedit animi contemplationem. Item Luc. 12. super illud *Nolite solliciti esse, quid manducetis*, dicit Gloss. *Non prouidentiam prohibet, per quam in sudore vultus panis præparatur; sed vetat sollicitudinem, quæ mentem perturbat, & ab æternis reuocat.* Ex quo patet, quod opus manuum propter victum, dum tamen absint vitia suprà-

dicta, est opus prouidentiæ; non sollicitudinis, quæ impediat animi contemplationem. Sed certè è contrario operari manibus propter victum aufert sollicitudinem, libertatem animi perturbantem. Vndè Augustinus in eodem lib. cap. 27. dicit. *Cum operari possumus, non debemus tentare Dominum nostrum*, videlicet mendicando, *quia & hoc, quod possumus, eius munere possumus; & cum hîc viuimus, illô largiente viuimus, qui largitus est vt possimus; & ideo de istis necessarijs solliciti non sumus.* Ecce quod manibus operari propter victum, aufert sollicitudinem victus perturbantem animi libertatem, & ab æternis reuocantem. Quam sollicitudinem prohibet Dominus Luc. 12. dicens. *Nolite solliciti esse, quid manducetis.*

§. Ad illud verò, quod suprà obiectum est; videlicet, quod operari manibus propter victum, est cogitare in crastinum, quod à Domino prohibetur; Respondemus, quod non est verum. Sed cogitare in crastinum, est cogitare finaliter in temporalibus, quò pertinet crastinus; non in æternis, vbi semper est hodiernus. Quod faciunt, qui sæcularibus negotijs implicantur. Vnde infrà eod. cap. dicit Augustinus. *Quapropter in ista militia nostra, nec in crastinum cogitamus; quia non propter ista temporalia, quò pertinet crastinus; sed propter illa æterna, vbi semper hodiernus est, nos ei probauimus; vt ei nullis negotijs implicati placeamus.* Ex quo patet, quod non corporaliter operari; sed negotijs sæcularibus implicari, & finem actionis suæ constituere in temporalibus, est in crastinum cogitare. Relinquitur ergo ex præmissis, quod labor manuum moderatus non impedit, sed potiùs expedit contemplationi Sanctorum; alioquin Monachi secundùm Regulam Beati Benedicti viuentes, Contemplatiui dici non possent; cum dicatur in eius Regula. *Tunc verè Monachi erunt, si manibus suis laborauerint vnde viuant, sicut Apostoli, & Patres nostri*, vt dictum est suprà ead. dist. §. *Item B. Benedictus.*

§. Sed certè videri potest magis è contrario, quod mendicatio, si sit perpetua, contemplationem impediat; eô quod impedit animi libertatem propter sollicitudinem vitæ huius transigendæ. Quemadmodùm è contrario securitas cibi facit, vt meliùs vacari possit æternis. Vnde super illud Matth. 10. *Nolite possidere aurum*, dicit Glos. *Vnde ergo necessaria?* Et respondet. *Tantum accipite, quantum ad necessitatem sufficit, vt in-*

Digitized by Google

de ſecuri, æternis meliùs vacetis. Si ergo ſecuritas neceſſariorum vitæ facit, vt meliùs vacari poſſit æternis; è contrario mendicitas, quæ incerta eſt de neceſſarijs vitæ, impedit libertatem animi ad vacandum æternis. Item mendicitas impedit libertatem animi, quam debet habere Chriſtianus ad non peccandum, propter pericula ipſius mendicationis prædicta ſuprà ead. diſt. §. *Si verò quæratur*; ad quam libertatem Religio Chriſtiana nos aduocat, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Si verò dicatur.*

§. Rurſum dicunt, ſe nolle operari corporaliter propter cibum, vt liberiùs poſſint vacare ſtudio verbi Dei, & ex hoc promptiores eſſe prædicationi, confidentes, vt aſſerunt, de cibo corporali in Domino promittente, & dicente Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? &c.* Et infrà. *Quærite ergo primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Nec attendunt, quod ſimiliter promittit Dominus verbum ſuum, ſicut promittit corporalem cibum Matth. 10. dicens. *Dum ſteteritis ante Reges, & Præſides, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* De qua Domini promiſſione dicit Auguſtinus in lib. *De opere Monach.* cap. 2. *Sermo quippe ſapientiæ ſpiritalis eſt, de quo voluit eos cogitare promittens, quod eis nihil ipſe ſollicitis præſtaretur.* Vnde Gloſ. Interlinearis ibidem. *Non enim ex ingenio, vel arte veſtra, verba veſtra procedunt, ſed ex Spiritus Sancti gratia.* Cur igitur viri literati, & competenter prouecti, magis confidunt in Domino, de cibo corporali habendo ſine labore corporis, quàm de verbo Dei habendo ſine ſtudio & labore mentis? niſi quia plùs timent laborem corporis, tamquam grauiorem & eis inſuetum, quàm ſtudium ſiue laborem mentis, tamquàm minùs grauem, & eis aſſuetum. Niſi fortè dicere velint, quod Dominus promittit verbum ſuum ante Reges & Præſides, perſecutores Eccleſiæ infideles, quales erant tempore Apoſtolorum, & non ante viros Catholicos, filios ſpiritales Eccleſiæ & fideles, quales ſunt temporibus modernorum. Quod quantùm ſit ridiculoſum, & veritati contrarium, iudicet, qui iudicare poteſt.

§. Item, quod occupatio verbi Dei non excuſet illos (ſaltem qui ad legendum, vel prædicandum ex officio non tenentur)

quominùs operentur corporaliter propter victum pate-per Apoſtolum, qui licet teneretur ex officio prædicare, nihilominùs de opere manuum ſuarum vixit, nec tamen propter hoc in Euangelio minùs fecit, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Item forſan obijciet.*

§. Sed iterum dicunt, quod illi, qui ſtudent verbo Dei, licet ſint validi & egeni, non tamen tenentur ex præcepto Apoſtoli propter victum corporaliter operari, quoniam dici nequeunt otioſi. Nam ſicut dicit Gloſ. ſuper illud *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Pſal. 118. *Non eſt otioſus, qui verbo Dei ſtudet; nec pluris eſt, qui extrà operatur, quàm qui ſtudium cognoſcendæ Diuinitatis exercet.*

§. Ad quod dici poteſt, quod, licet Gloſſa illa loqui videatur; non de ſtudio ſcholaſticæ lectionis, quod pertinet magis ad intellectum; ſed de ſtudio diuinæ contemplationis, quod magis pertinet ad affectum. Vnde paulò ante dicit Gloſ. *Hi oculi defecerunt nimiô deſideriô, vehementi cupiditate, quaſi opere laſſati.* Vnde Auguſtinus ſtudium doctrinæ vocat otioſam vitam. *De Ciuit. Dei* lib. 19. cap. 1. dicens. *Hi otioſam vitam diligunt, qui tantùm ſtudijs doctrinæ occupati ſunt; vitam verò negotioſam diligunt, qui regendis rebus humanis occupatiſſimi ſunt. Iſti ſunt Principes & Prælati* Dicimus tamen ex abundanti, quod licet ſtudentes ſcholaſticè verbo Dei, dici nequeant otioſi; ſi tamen competenter fuerint eruditi, & adeò egeant, quod non habeant vnde viuant, poſtquàm competenter fuerint eruditi; tutiùs eſſet eis iuxta præceptum Apoſtoli propter victum, corporaliter operari; vel aſſumere alium modum ſine peccato viuendi, quàm ſe exponere perpetuæ mendicitati, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sunt igitur Otioſi*, cum ſequentibus ſex Paragraphis. Et hoc propter præceptum Apoſtoli, & propter pericula mendicitatis poſita ſuprà ead. diſt. §. *Si verò quæratur.* Præſertim, cum illi Monachi (quos probat Auguſtinus in opere Monachorum debere propter victum corporaliter operari) diuinis literis, vt dicebant, eſſent intenti. Vnde Auguſtinus in eodem lib. cap. 19. *Oſtendant*, inquit, *quomodò proficiant in Eccleſiaſticis literis, quibus ſe vacare gloriantur.* Nec tamen propter hoc erant, ſecundum Auguſtinum, ab operando corporaliter propter victum, legitimè excuſati, vt patet ibidem.

Digitized by Google

5. Item rursum obiiciunt Otij Defensores dicentes. Nunquid decens, aut honestum esset, vt Viri Nobiles, aut eminenter Literati, aut Sacerdotes; præcipuè prædicationi vacantes; qui elegerunt in altissima paupertate Domino famulari, si non habeant vnde viuant, operentur opera Rusticorum, aut Sutorum?

6. Ad hoc dicendum est, quod hoc dicentes malè tegunt sub prætextu honestatis suam superbiam; cum se per humilitatem mendicare verbô tenùs profitentes, per superbiam dedignentur corporaliter operari; cum Apostolus Prædicatôr è contrario, vt se humiliaret, nihil petebat ab Auditoribus suis; sed potiùs operabatur manibus, vnde viuebat. Vnde 2. Corinth. 10. *Numquid peccatum feci meipsum humilians*? Glos. operando manbius meis; *quoniam gratis*, id est sine sumptu, *Euangelizaui vobis Euangelium Dei*. Cum etiam ipse Apostolus non dedignaretur opera Rusticorum. Vnde Aug. in eod. lib. cap. 13. *Quæ apta sunt hominis vsibus, honestè operabatur Apostolus; sicut sese habent opera Fabrorum, Structorum, Sutorum, Rusticorum, & his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod reprehendit superbia eorum, qui honesti vocari amant, sed esse non amant.* Et infrà. *Patriarchæ pecora pauerunt.* Et infrà. *Græci, quos Paganos dicimus, Philosophos multùm sibi honorabiles Sutores habuerunt. In Ecclesia homo ille iustus, cui desponsata fuit Virgo Maria, quæ peperit Christum, Faber fuit.* Si ergo Patriarchæ, qui erant de melioribus Iudæorum, pecora pauerunt; Si Philosophi, qui erant de melioribus Paganorum Sutores fuerunt; Si Ioseph, qui erat de melioribus Christianorum, Faber fuit; Si etiam Paulus Christianorum supremus, vel de supremis vnus, postquàm fuit Apostolus, tabernacula fecit, vt legitur *Act.* 18. & in lib. *De opere Monach.* cap. 19. & sic omnes prædicti operabantur corporaliter, vt non cogerentur egestate necessaria petere, seu, quod idem est, mendicare; Cujusmodi professionis, aut sectæ, vel legis cupiunt illi esse, qui contra tot exempla Sanctorum, & de omni lege nobis cognita meliorum, magis eligunt, & eligendum asserunt, & perfectius esse dicunt, se & alios Christi seruos, egentes & validos, à præcepto Apostoli non legitimè excusatos, perpetuâ egestate coactos, semper vitæ necessaria petere, seu perpetuò mendicare; quàm ad instar prædictorum Sanctorum Patrum

propter victum corporaliter laborare; vel saltem, de communibus bonis Ecclesiæ, ad instar Clericorum, aut Monachorum, iuxta statutum Ecclesiasticum viuere, pro vitanda periculosa mendicitate? Non est igitur inhonestum, sed valde honestum Nobilibus, Literatis, Sacerdotibus, Prædicatoribus, qui reliquerunt omnia propter Christum; si pro necessitate victus opera Rusticorum, aut Fabrorum, aut Structorum, aut Sutorum, aut quæcumque alia exerceri possunt sine peccato, corporaliter operentur; maximè cum dicat Ecclesiasticus cap. 17. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab Altissimo creatam.* Glos. *Laborare, & otium fugere laudabile est; Vnde Apostolus.* CVM SILENTIO OPERANTES PANEM SVVM MANDVCENT. Item alia Glos. *Peccanti homini sententia data est, vt labore manuum quærat victum. Vnde illud* IN SVDORE VVLTVS TVI VESCERIS PANE TVO.

§. Item, non sufficit Defensoribus Otij, suam mendicationem illicitam aliquatenùs excusare; sed etiam nituntur ostendere, quod mendicare sit opus perfectionis illis, qui propter Christum omnia reliquerunt; quantumcumque sint validi ad operandum corporaliter; dum tamen vacent spiritualibus. Quod ideo asserunt, quod sequatur ad opus perfectionis, quod est relinquere omnia propter Christum. Dicunt enim, quod quia reliquerunt omnia propter Christum (quod est opus perfectionis) & ideo facti sunt inopes; idcirco necesse habent postea mendicare; & ideo mendicare, considerata eius causa prima, opus est perfectionis.

§. Sed certè pari ratione dici posset, quod furari, vel adulari sunt opera perfectionis in illo, qui reliquit omnia propter Christum. Plærumque enim contingere potest, quod aliquis, qui omnia reliquit propter Christum, propter inopiam & cupiditatem pecuniæ, postea incidat in adulationem, vel furtum, vel proditionem, vel aliud graue peccatum, vt patet in Iuda proditore, sicut ostensum est suprà ead. dist. in illo §. *Sed forsan dicet*, & §. *Item dicunt Otij Defensores.* Dicendum est ergo, quod mendicare necessariò non sequatur ad relinquere omnia propter Christum; cum possit pauper Christi viuere de bonis Ecclesiæ, si sit persona Ecclesiastica, vt legitur 12. q. 1. cap. *Videntes*; vel de Euangelio, si ad hoc fuerit ab Ecclesia ordinatus, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Item, vt ostendit Augustinus*; vel

Digitized by Google

saltem, si validus sit corpore, potest operari corporaliter vnde viuat, & sic necesse non habeat mendicare, neque furari. Omnibus enim semel pro Deo spretis, vel relictis, non debet Christianus, aliter viuere potens sine peccato, se perpetuę mendicitati exponere, propter pericula mendicationis prędicta suprà ead. dist. §. *Si verò quæratur*; sed postea debet laborare manibus, vnde viuat, & vnde eleemosynas faciat, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Ex præmissis ergo.*

§. Item, quod mendicare propter victum, etiam voluntario pauperi, non possit per se loquendo dici opus perfectionis, potest sic ostendi. Dicit enim Seneca *Ad Lucilium* Epist. 2. *Honestum nihil est, quod ab inuito & coacto fit. Omne honestum voluntarium est; nec potest esse honestum, quod non est liberum.* Cum igitur omnis homo, verè & sine mendacio mendicans, licet sit pauper voluntarius, tamen egestate coactus mendicet, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sed fortè dicet*; Relinquitur, quod verè, & sine mendacio mendicare, licet non semper sit inhonestum, non tamen propter se est honestum, quia nec voluntarium; Ergo nec propter se meritorium; quia *Vbi necessitas est, ibi nec corona est*, vt dicit Hieronymus *Contra Iouinianum*, & habetur in Decretis *De Pœnitentia*, dist. 2. cap. *Si enim, inquit*, circa medium; Ergo nec est opus perfectionis. Mendicare verò cum mendacio, id est, non egestate coactum, cum sit opus peccati, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Sunt igitur otiosi*, & §. sequenti; non potest esse opus perfectionis. Ergo mendicare per se loquendo nullô modô potest esse opus perfectionis. Patet igitur, quod licet relinquere omnia propter Christum, sit opus perfectionis; tamen deinceps mendicare propter victum proprium, non est opus perfectionis, nec meritorium in eo; qui potest aliter viuere sine peccato; sed est opus prouidentiæ naturalis, vel consuetudinalis in illis, qui à præcepto Apostoli excusantur; in alijs verò est opus peccati, vt ostensum est suprà ead. dist. §. 1. 2. & 3. Posset etiam fortè esse meritorium; non propter se, sed propter aliud; videlicet, propter voluntariam paupertatem propter Deum assumptam, & exinde necessariò consecutæ mendicationis pœnalem erubescentiam, patienter propter Deum toleratam; si fortè fuerit talis voluntarius pauper in tali statu, qui à præcepto Apostoli de operando manibus propter victum legitimè excusetur. Sed, quod mendicare sit opus perfectionis, non po-

Digitized by Google

terit, vt opinamur, in diuinis literis rèperiri.

§. Et certè, si mendicare esset opus humilitatis, & perfectionis illis, qui relinquentes omnia propter Deum, aliunde quàm ex mendicatione sine peccato viuere possunt; & si Christus, vel eius Apostoli mendicassent, sicut mentiuntur Otij Defensores, non tacuisset Diuina Scriptura hoc opus de Christo & Apostolis eius, qui relinquentes omnia propter Deum, tantæ humilitatis & perfectionis fuerunt, quod modò pares non habeant. Quæ Scriptura alios eorum actus humilitatis & perfectionis non tacuit; sed in plærisque locis diligenter expressit. Nec tam diligenter defenderet Augustinus Apostolum virum humillimum, & perfectissimum, à petendo, vel recipiendo sumptus ab Auditoribus suis (quod ipsi mendicare appellant, quando petuntur propter Deum) si mendicare esset opus perfectionis; & ipse Apostolus vir perfectissimus, vt se magis ac magis humiliaret, & sic perfectior esset, & ex hoc maius apud Deum præmium acquireret; potiùs mendicasset, vel victum ab Auditoribus suis postulasset, quàm manibus operatus fuisset; cum tamen è contrario nec mendicabat, nec victum à suis Auditoribus postulabat; sed vt magis se humiliaret, operabatur manibus, vnde viuebat, vt ostensum est suprà ead. dist. in illo §. *Ad illud autem, quod docent*, & §. *Item rursum*. Similiter B. Clemens, pauperes Christianos, vt perfectiores essent, potiùs mendicare sineret, quàm eis alimonias prouideret; de quo tamen legitur in Vita ipsius, *Quod illos, quos baptismatis sanctificatione mundauerat, non sinebat publicè fieri mendicitati subiectos.*

§. Si dicas, quod hoc faciebat B. Clemens timens, ne pauperes Christiani inquinarentur donis Gentilium, inter quos degebant, sicut paulò post sequitur in Legenda; quod modò non est timendum de illis Christi pauperibus, qui mendicant inter Christianos; quia illorum escis, vel donis, inquinari non possunt; Respondemus, quod dona, siue escæ Gentilium, non possent inquinare Christianos; nisi fortè manducarent illas *cum conscientia Idoli*, id est *in veneratione Idolorum*, vt legitur 1. Corinth. 8. *Omnia enim munda mundis.* Tit. 1. Sed timebat B. Clemens, ne pauperes Christiani, propter nimiam ègestatem inhiantes muneribus Gentilium, aut Iudæorum, inter quos tunc viuebant, libertatem Christianam non peccandi amitterent;

rent; adulando fortè, vel aliter peccando, vt eis mendicantibus libentiùs donaretur. Et hoc appellatur in Legenda B. Clementis, *donis Gentilium inquinari*. Quod etiam modò contingere poteſt, & frequenter contingit mendicantibus, etiam inter Chriſtianos, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Si verò dicatur*, & §. *Si verò quæratur*. Maximè autem temporibus iſtis, *quando refriguit charitas multorum*, vt prædixit Dominus Matth. 24.

§. Item, ſi humilius, & perfectius eſſet, mendicando ſumptus depoſcere; quàm de Euangelio Apoſtolicâ authoritate ſumptus accipere, vt mentiuntur quidam Otij Defenſores; Apoſtolus Timotheum virum humilem & perfectum, qui omnia reliquerat propter Chriſtum (timens idem Apoſtolus, ne propter defectum victus idem Timotheus in ſæcularia deſidera incideret; cum propter infirmitatem corporis manibus operari non poſſet) potiùs hortaretur ad mendicandum, quàm ad ſumendum ſumptus de Euangelio Apoſtolicâ authoritate; cuius tamen contrarium ipſe facit 2. Timoth. 4. dicens. *Laborantem Agricolam oportet primum de fructibus percipere*. Et Auguſtinus eumdem Timotheum, virum humilem & perfectum, non diceret nolle propter erubeſcentiam mendicare; cum de opere perfectionis nemo humilis & perfectus adeò erubeſcat, quod propter erubeſcentiam illud dimittat; ſed potiùs per humilitatem & patientiam eam vincat; ac ſic velit abſque oſtentationis iactantia *lucere lucem ſuam coram hominibus, vt glorificent Patrem ſuum, qui in cœlis eſt*. Matt. 6. De hoc Auguſtinus in eodem libro cap. 14. *Timotheum, ne in ſæcularia deſideria incideret, quia per infirmitatem corporis operari non poterat, ſic hortatur Apoſtolus*. LABORA, *inquit*, SICVT BONVS MILES CHRISTI IESV. Et infrà. *Hîc, ne Timotheus angustias pateretur dicens*, FODERE NON VALEO, MENDICARE CONFVNDOR, *adiunxit Apoſtolus*, LABORANTEM AGRICOLAM OPORTET PRIMVM DE FRVCTIBVS PERCIPERE; Id eſt *neceſſaria ab Auditoribus ſumere*; ſic enim exponit Gloſſa locum illum 2. Timoth. 2.

§. Item, quod mendicitas pauperum Chriſti, non faciat magis perfectum, ſatis patet per familiare exemplum. Non enim perfectior fuit Lazarus mendicans *Luc.* 16. quàm Abraham diuitiis multis abundans; cum non Abraham in ſinu Lazari, ſed Lazarus in ſinu Abrahæ quietem meruerit adipiſci.

Vnde ſuper illud Iob 12. *Lampas contempta apud cogitationes hominum*, dicit Gregorius lib. 10. Moral. *Pauper ad requiem Lazarus venerat; diues tamen Abraham fuerat, qui Lazarum in ſinu tenebat.*

§. Item, ſi mendicare eſſet opus perfectionis, potiùs danda eſſet eleemoſyna illi, qui abſque erubeſcentia & dolore illam reciperet, tamquam perfectiori; quàm illi, qui cum erubeſcentia & dolore recipit illam, vt potè minus perfecto; cum de opere perfectionis nemo perfectus, vt dictum eſt, finaliter erubeſcat, vel doleat; ſed huius contrarium dicit Hieronymus *Contra Vigilantium* in his verbis. *Ei tribuas, qui erubeſcit accipere, & cum acceperit dolet; ſeminans ſpiritualia, & metens carnalia.* Cum igitur erubeſcendum ſit recipere, & multô fortiùs mendicare; Reſtat, quod mendicare non poſſit opus perfectionis eſſe. Item nota hîc ſecundùm Hieronymum, quod laudabile eſt etiam in Prædicatore ſeminante ſpiritalia, ſi metendo carnalia, id eſt recipiendo ſumptus ex Euangelio, erubeſcat, & de receptis doleat; quoniam honeſtius eſſet, & tam ſibi, quàm infirmis Auditoribus ſuis vtiliùs, propriis ſtipendiis ad inſtar Apoſtoli militare, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Hoc autem faciebat Apoſtolus.* Si ergo in illo, qui habet officium prædicandi, laudabile eſt recipiendo ſumptus Euangelij ſibi debitos erubeſcere, & de acceptis dolere; quantùm deberent erubeſcere, & de acceptis dolere, qui ſe prædicationis officio ingerentes, ſumptus ſibi non debitos, à quolibet, & indiſcretè, & indifferenter recipiunt, ac importunè petunt?

§. Cum igitur, vt dictum eſt, Auguſtinus Apoſtolum à ſumptione ſumptuum ab Auditoribus ſuis defendat; & Apoſtolus timens, ne Timotheus propter mendicitatem in ſæcularia deſideria incideret, ipſum Timotheum, non ad mendicandum, ſed de Euangelio viuendum commoneat & iterum Auguſtinus, Timotheum virum humilem & perfectum excuſando à mendicitate, eum confundi de mendicatione innuat; & iterùm potiùs danda ſit eleemoſyna ei, qui cum erubeſcentia & dolore recipit illam, quàm ei, qui ſine erubeſcentia & dolore mendicat; Relinquitur, quod mendicare per ſe loquendo, etiam illi, qui reliquit omnia propter Chriſtum; niſi à præcepto Apoſtoli ſupradicto legitimè excuſetur; non eſt opus perfectionis, nec meritorium; ſed magis Apoſtoli præcepto aduerſum. Illi ergo, qui ſuam men-

Digitized by Google

dicationem continuam dicunt esse opus perfectionis, eô quod reliquerunt, vt aiunt, omnia propter Christum; videntur esse de illis, de quibus dicitur Michææ 7. *Malum manuum suarum, dicunt bonum.* Ideoque videntur rectè incurrere maledictionem Isaiæ dicentis. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, &c.* Item, cum in hoc doceant, vel prædicent contrarium doctrinæ Apostoli; videntur ab eodem Apostolo esse excommunicati dicente Galat. 1. *Si quis vobis Euangelizauerit præter id, quod accepistis à nobis, Anathema sit.*

5. Talibus ergo mendicantibus potiùs danda esset eleemosyna spiritualis, quam non petunt (corrigendo scilicet eos, ne mendicarent; sed vnde viuerent, corporaliter laborarent; vel alium modum viuendi sine mendicatione assumerent, vt sic bonę famę ipsorum consuleretur) quàm eleemosyna corporalis, quam iniustè petunt; vt potè, quia contra præceptum Apostoli eam petunt. Nam, vt dicit Augustinus in libro *De Opere Monach.* cap. 21. in fine. *Multô misericordiùs operatur erga animas infirmorum, qui famæ bonæ Seruorum Dei consulit; quàm erga corpora egentium, qui panem esurientibus frangit.* Vnde super illud Matth. 5. *Qui petit à te, da ei,* dicit Glos. *Rem, vel correctionem*; maximè autem, quando dator inde grauatur. Ita enim dandum est petenti, vt nec dator, nec alius grauamen inde, vel nocumentum aliud patiatur; alioquin danda est correctio, non quod petit; & sic dabitur omni petenti. Vnde Glos. ibidem. *Da petenti, ita scilicet, vt nec tibi noceat, nec alteri; pensanda est enim iustitia. Ita enim omni petenti dabis, etsi non id quod petit, sed melius, cum iniustè petentem correxeris.* Non enim ita dandum est, vt dator indigeat, & cui datur de dato otiosè viuat. Vnde 2. Corinth. 8. dicit Apostolus. *Non enim, vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio.* Glos. *Non volo, vt alij de vestro otiosè viuant, vobis autem sit paupertas.* Item Seneca *De Officijs* lib. 2. *Dabo egenti, sed vt ipse non egeam; succurram perituro, sed vt ipse non peream. Respiciendæ sunt cuique facultates suæ, ne aut plùs præstemus, quàm possumus; aut minus.* Non hoc ideo dicitur, quia peccatum sit datori, dare etiam vltra vires suas, nisi fortè in casu; sed peccatum potest esse in accipiendo propter infirmitatem datoris. Vnde continuò dicit Glos. *Non hoc ideo dixit, quin melius esset, scilicet dare vsque ad paupertatem; sed infirmis timet, quos sic dare monet, vt egestatem*

non patiantur. Aliquando tamen melius esset, non dare alicui, quàm dare; quia petenti esset vtilius. Ille namque, qui semper petit ab alijs, vt semper viuat in otio corporali, iniustè petit, quia contra doctrinam Apostoli petit, etiam si fortè seductus ab aliquo putet se iustè petere; & ideo melius esset non dare ei, quàm dare. Nam, sicut dicit Augustinus Ad Vincentium Donatistam. *Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat; quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.* Et habetur 5. q. 5. cap. *Non omnis.* Et hoc intelligas verum esse, nisi laboret quis extremâ necessitate; tunc enim dandum est, & bono, & malo. dist. 86. can. 21. *Pasce fame morientem; quos enim pascendo seruare poteras, si non paueris; occidisti.*

§. Hodie autem maximè corrigendi essent validi mendicantes, & omnes aliter, quàm de mendicatione, viuere honestè potentes; quoniam hodie tanta, & tam onerosa est multitudo talium mendicorum; non ad instar aliorum mendicantium modicô contentorum, sed magna & frequenter à quibuscumque importunè petentium; & vt maiora valeant extorquere, Religionis fauorem, aut vitæ sanctitatem, aut generis nobilitatem, aut scientiam eminentem, & eius priuatam vtilitatem, per se ipsos, aut per legatos, & quæstores suos prætendentium; quod egentes inualidi, qui aliter quàm de mendicatione viuere nequeunt, per tales validos mendicantes eleemosynis sibi ex charitate debitis miserabiliter defraudati, multis videntibus inediâ & fame tabescunt. De hoc Ambrosius *De Officijs* lib. 1. *Numquam*, inquit, *maior auiditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam causam habentes, nisi vagandi; & volunt subsidia euacuare pauperum, exinanire sumptum; nec exiguô contenti maiora petunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione, licitantes incrementa quæstuum.* Sapientes igitur eleemosynarij cauere debent, ne talibus fraudulentis, aut propter præsentem pudorem, aut propter eorum importunitatem, tam magna tribuant, quod verè indigentibus, de necessitate mendicantibus, & aut fortè meritò mendicare erubescentibus, subuenire non valeant; sed eos vacuos, & inanes relinquant. Vnde idem Ambrosius dicit ibidem. *Ideo modus liberalitatis tenendus est, vt quod benè facis, id quotidie facere possis; ne subtrahas necessitati, quod indulseris effusioni.*

§. Patet igitur ex præmiſsis, quod indigentes neceſſarijs huius vitæ, ſi validi ſint corpore, non habentes excuſationem legitimam à præcepto Apoſtoli de operando manibus propter victum; ſi corporaliter operari renuunt, vnde viuant, ſed impudenter mendicant; otioſi meritò dici poſſunt, volentes paſci à Deo, non ſicut homines, ſed ſicut aues; & ideo non videntur eſſe de quærentibus regnum Dei, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt §. *Item omnes regnum Dei quærentes.*

§. Et nota, quod quidam Otioſorum, licet velint imitari aues in non operando, non tamen volunt imitari eas in non congregando in horrea, & non ſeruando. *Verè volatilia cœli, ſed per ſuperbiam in altum ſe extollendo,* vt dicit Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 21. De quibus poteſt dici illud Auguſtini in eodem lib. cap. 22. dicentis. *Propterea dicunt ſe operari non debere, quia volucres cœli, de quibus dedit Dominus ſimilitudinem, non ſeminant, neque metunt. Cur ergo non attendunt quod ſequitur ibidem in Euangelio? Neque congregant in apothecas, id eſt in horrea. Cur ergo iſti manus otioſas, & plena repoſitoria volunt habere? Cur ea, quæ ſumunt ex laboribus aliorum, recondunt & ſeruant, vnde quotidie proferatur? Hoc enim aues non faciunt.* Et infrà eodem lib. cap. 23. *Si volatilia cœli ſic intelligitis in Euangelio, vt nolitis operanda manibus veſtris victum, veſtitumque procurare; nil etiam reponatis in craſtinum, ſicut nihil reponunt volatilia cœli.* Et infrà eod. cap. *Cur ergo volatilia cœli, non vobis ſunt exemplo, ad nihil ſeruandum; & vultis, vt ſint exemplo, ad nihil operandum?*

§. Iſti etiam, dicentes ſe velle viuere iuxta verbum Domini ſicut aues; videlicet ſine opere corporali; multô tamen ſuauiùs viuere, & magis ſibi ſeruiri ab hominibus volunt, quàm aues; quæ tunc demum paſcuntur ab hominibus, cum captæ fuerint, & incluſæ; ita quod non valeant auolare, nec ſibi cibum parare; cum è contrario iſti, nec capti ſint, nec incluſi, quominùs viuere poſſint in Monaſterijs poſſeſſiones communes habentibus, Chriſto Domino militando; vel ſaltem cibum ſibi acquirere, ſi vellent, corporaliter operando. Vnde Auguſtinus in eodem lib. cap. 22. *Sed ſi iam iſti omninò in ijs, quæ ad tranſigendum vitam iſtam pertinent, ſicut volucres agunt; oſtendant nobis homines ſic ſeruire volucribus, ſicut ſibi ſeruiri volunt; niſi captis, vel incluſis, quibus fides non habetur, ne auolantes non redeant.*

§. Item notandum est, quod illi, qui sub prætextu paupertatis habitę propter Christum, vel sub prætextu vacandi spiritualibus, vt suprà dictum est, volunt perpetuò mendicare; paupertatem suam lucrosam sibi esse volunt; cum, alijs pauperibus continuè laborantibus, & ex labore suo vitam parcam & arctam ducentibus, & vix sibi sufficientibus, ipsi sub prętextu voluntariæ paupertatis, perpetuò mendicantes, victum quandoque habeant copiosiùs sine corporali labore, quàm illi, qui corporaliter operantur, & etiam quàm illi, à quibus recipiunt, vnde viuunt; quod non est dubium, lucrum esse; videlicet habere sine labore, quod acquirunt alij cum magno labore. Et similiter sanctitatem, quam simulant vacando spiritualibus, venalem exponunt; cum ideo vacent spiritualibus, vt per hoc santiores putentur; & ob hoc eis libentiùs tribuatur; ad instar quorumdam Monachorum, qui sub speciebus prædictis vagabantur prædicando per diuersas prouincias, ab hominibus necessaria proinde exigentes. Contra quos inuehitur Augustinus in eodem lib. cap. 28. loquens, non ad illos vagos Monachos, sed ad bonos Monachos, qui propter illos diffamabantur, & dicens. *O Serui Dei, Milites Christi! itane dissimulatis callidi hostis insidias, qui famam vestram cupiens obscurare suis putoribus, tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes?* Et infrà. *Et omnes petunt, & omnes exigunt; aut sumptus lucrosæ egestatis; aut simulatæ pretium sanctitatis.* Nota quod illos Regulares, qui non canonicè missi ab Ecclesiarum Prælatis circumeunt prouincias sub habitu Religionis, & specie sanctitatis, & sumptus suos ab hominibus exigunt, hypocritas appellat Augustinus, & venditores suæ voluntariæ paupertatis, & suæ simulatæ sanctitatis. Vnde paulò post hortatur Augustinus bonos Monachos ad operandum corporaliter, vnde viuant; ne si fortè ad instar illorum Monachorum hypocritarum, & gyrouagorum, velint semper victum ab alijs petere, seu mendicare cum otio corporali, videri possint intrasse Religionem magis propter facilem victum habendum in otio, quàm propter Deum. Vnde subiungit. *Ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum; sed per angustam, & arctam viam huius propositi*, id est Monachatus, *regnum Dei quærere*; videlicet operando corporaliter propter victum. Ex quo patet,

Digitized by Google

quod non ſolùm Monachos gyrouagos; ſed etiam ſanctos, & bonos Monachos hortatur Auguſtinus ad præceptum Apoſtoli de operando manibus obſeruandum.

§. Item nota de illis, qui dum ſunt inopes, & ſine honore, intrant Religionem; quod ignoratur, vtrùm intrent propter Deum, aut propter victum habendum in otio corporali; & vt etiam ab illis honorentur, à quibus ſolebant contemni. Vnde Aug. in eodem lib. cap. 20. dicit de illis. *Neque enim apparet, vtrum ex propoſito ſeruitutis Dei venerint, an vitam inopem & laborioſam fugientes, vacui*, id eſt vacantes, ſiue otioſi, *paſci atque veſtiri voluerint, & inſuper honorari ab his, à quibus contemni conterique conſueuerant.* Notandum eſt, quod, ſi aliqui ſub ſpeciebus prædictis otioſitatem ſuam, per diſputationes & friuolas rationes, ac extortas authoritates, contra manifeſta verba ipſius Apoſtoli conentur defendere; rumpunt ſilentium, ſibi ab Apoſtolo impoſitum, 2. Theſſ. 3. dicente. *Vt cum ſilentio operantes panem ſuum manducent.* Vnde Auguſtinus in eodem lib. cap. 3. loquens de Monachis ſupradictis, ita dicit. *Audiant, qui non habent hanc poteſtatem, quam habet Apoſtolus*; videlicet, *vt tantummodò ſpiritualiter operantes, manducent panem, à corporali labore gratuitum*; Id eſt, qui non habent poteſtatem viuendi de Euangelio; *& quemadmodùm dicit Apoſtolus* PRÆCIPIMVS, ET OBSECRAMVS IN CHRISTO, VT CVM SILENTIO SVVM PANEM MANDVCENT, *non diſputent contra manifeſtiſſima verba Apoſtoli; quia & hoc*, ſcilicet non diſputare, *pertinet ad ſilentium, cum quo debent operantes manducare panem ſuum.* Sed certè, quemadmodùm dicit Auguſtinus in eodem lib. cap. 2. *Quod vtiliter monet charitas Apoſtoli, non ſolùm facere nolunt, ſed nec intelligere; ipſi autem ab alijs intelligi volunt; non timentes, quod ſcriptum eſt.* NOLVIT INTELLIGERE, VT BENE AGERET.

§. De illis etiam Monachis, & ijs ſimilibus dicit Auguſtinus; quod non ſolùm ſibi pernitioſi ſunt, ſed etiam alios rudes & ſimplices, propter ſuas ſuperſtitiones (quas illi Religionem putant plærumque ad eos causâ Religionis venientes, & manibus, iuxta præceptum Apoſtoli, operari potentes, verbis ſuis ad decipiendum compoſitis corrumpunt inducentes ſcilicet eos ad ſuam otioſitatem, contra præceptum Apoſtoli ſupradictum; quod facere non poſſent, ſi ita vacarent linguis ſuis ad decipiendum eruditis, ſicut manibus vacant; Id eſt ſi ita

otioſi eſſent linguis, ſicut ſunt otioſi manibus. Vnde comparat eos Auguſtinus illis viduis indiſciplinatis, de quibus dicit Apoſtolus 1. Timoth. 5. quod *Diſcunt circuire domos, otioſæ, curioſæ, & verboſæ, loquentes quod non oportet*, ita dicens in eodem libro cap. 21. *Contingit autem eis, quod in viduis iunioribus & indiſciplinatis cauendis Apoſtolus dicit*; NON SOLVM AVTEM OTIOSÆ, SED ETIAM CVRIOSÆ, ET VERBOSÆ, LOQVENTES QVÆ NON OPORTET. *Hoc ille de malis fœminis dicebat, quod & nos in malis viris dolemus & plangimus; qui aduersùs ipſum, in cuius Epiſtolis iſta legimus, Otioſi & Verboſi, qua non oportet loquuntur; & qui ſunt inter eos, qui eô propoſitô ad ſanctam militiam venerunt, vt placeant, cui ſe probauerunt; cum ita vigeant viribus corporis & integritate valetudinis; vt non ſolùm erudiri, ſed etiam operari ſecundum Apoſtolum poſsint; receptu iſtorum otioſis, corruptiſque ſermonibus, quos iudicare per imperitum tyrocinium non valent, in eamdem labem peſtiferâ contagione imitantur.* Et infrà. *Quapropter iſti, qui vacare volunt manibus, vtinam vacarent & linguis! Neque enim tam multos ad ſuam imitationem inuitarent, ſi eis non tantùm exempla pigra, ſed etiam muta proponerent*; Id eſt, *ſi ita ceſſarent à loquendo & prædicando, ſicut ceſſant ab operando*; quia verbis ſuis compoſitis corrumpunt illos, & inducunt ad ſuam ſuperſtitioſam otioſitatem; quod facere non poſſent, ſi non loquerentur, nec prædicarent. *De Otioſis* igitur hæc ad præſens ſufficiant.

§. Quoniam autem ex Otioſitate Curioſitas, ex Curioſitate verò Gyrouagatio prouenit; quæ omnia per Apoſtolum tamquam pernitioſa, & Eccleſiæ periculoſa prohibentur, vt oſtendetur infrà ead. diſt. ideo de his ad inſtructionem eorum, qui Scripturas ignorant, aliquid eſt dicendum. Sciendum igitur, quod in primitiua Eccleſia fuerunt quidam, qui contra doctrinam Apoſtolicam, ſeu Dominicam, ſine corporali labore viuere cupientes, cum non haberent aliter vnde viuerent, ingerebant ſe negotijs alienis, animi curâ, non manibus gerendis, vt exinde paſcerentur in otio corporali, & ſic otium corporale fouerent; contra quos inuehitur Apoſtolùs 2. Theſſ. 3. dicens. *Audiuimus enim quoſdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes*, Gloſ. *de negotijs alienis, & ſic paſci merentur. Quod factum abhorret diſciplina dominica; eorum enim Deus venter eſt, qui fœdâ curâ neceſſaria ſibi prouident.* Nota quod fœdam curam

curam appellat Gloſſa iſta, aliena negotia prædictô modô, ſcilicet animi curâ, non manibus gerere propter victum, vt patebit paulò poſt infrà. Quæ autem negotia dicantur aliena dicetur infrà ead. diſt. §. *Patet igitur.* Illi autem taliter curantes negotia aliena, vt ſic paſci mererentur, *Curioſi* dicebantur, & adhuc eis ſimiles, *Curioſi* dici poſſunt; quia curâ animi, non manibus operantur, ad inſtar illorum, qui cum ad aliquam ſpiritualem militiam teneantur, illâ tamen omiſſâ, vel ſaltem intermiſſâ, negotiis ſæcularibus ſe immiſcent; *Qui & dicuntur operari animi curâ, non manibus,* vt dicit Gloſ. ſuper illud 2. Timot. 2. *Nemo militans Deo,* Gloſ. in ſpiritualibus, *implicat ſe ſæcularibus negotijs.* Gloſ. *vt faciunt Negotiatores, & huiuſmodi; curâ, non manibus operantes.* Propter talia verò negotia ſic gerenda fiebant, & adhuc fiunt aliqui *Inquieti*, id eſt *Gyrouagi*; vagantes ſcilicet pro talibus ſic gerendis negotijs hac & illac, quos corripi monet Apoſtolus 1. Theſſ. 5. dicens. *Corripite inquietos.* Gloſ. *Id eſt Curioſos, & Gyrouagos*; ad hoc etiam dans ſemetipſum Apoſtolus in exemplum 2. Theſſ. 3. dicens. *Non enim inquieti fuimus inter vos.* Glo. *Vt illi, qui aliena negotia curant vagantes hac & illac.* Tales, ſcilicet Gyrouagi, Domino diſplicent, vt oſtendetur infrà ead. diſt. §. *Sciendum autem.* Videntur etiam eſſe incompoſitę mentis, cum non poſſint ſecum conſiſtere, nec ſecum morari, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. 1. §. *Secundùm igitur prælibatam.*

§. Et notandum, quod, ſicut prætactum eſt, ex Otioſitate prouenit Curioſitas, & Gyrouagatio; quæ omnia, poſtquàm homo ad hæc fuerit aſſuetus, difficilè dimittuntur. Propter quod ab iſtis vehementer dehortatur Apoſtolus Seruos Dei, præcipiens eis contrarium, 1. Theſſ. 4. dicens. *Rogamus vos, Fratres, vt operam detis, vt quieti ſitis*; Gloſ. *A curioſitate.* Et nota, quod dicit, *operam detis.* Gloſ. *Quaſi diceret. Difficile eſt dimittere conſuetudinem, ſed cogite vos.* Sequitur. *Et veſtrum negotium agatis.* Gloſ. *Dimiſſis alienis; quod vobis vtile eſt, in emendatione vitæ veſtræ.* Nota hîc, quod vtile eſt animæ, contentum eſſe negotijs proprijs, & non immiſcere ſe alienis; Id eſt, contentum eſſe propriô, & ſibi conueniente officiô, & non immiſcere ſe alieno, vt magis patebit infrà ead. diſt. Sequitur. *Et operemini manibus veſtris.* Gloſ. *Quod adiuuat vos quietos eſſe; Illud enim malum,* ſcilicet Inquietudo, id eſt Curioſitas, & Gyrouagatio, *ex otio venit,* vt dicit Gloſ. *Et hoc facite, ſicut præci-*

pimus vobis. Ecce quod præceptum est Apostoli manibus operari, vt dictum est; non consilium tantùm. Et nota ex Glossa præmissa, quod manibus operari adiuuat homines, ne fiant Curiosi, vel Gyrouagi. Illi ergo, qui, licet indigeant, operari tamen renuunt, vnde viuant; non mirum, si Gyrouagi & Curiosi fiant.

§. Sed fortè obijciet Curiositatis Defensor dicens. Nonne opus charitatis est Christiano procurare aliena negotia? cum ad hoc hortetur. Apostolus Rom. vlt. dicens. *Commendo vobis Phœben sororem, vt assistatis ei, in quocumque negotio vestri indiguerit.* Ex quo videtur, quod licitum & meritorium sit aliena negotia procurare.

§. Ad quod responderi potest distinguendo, tam in negotijs, quàm in Personis aliorum negotia gerentibus, nec non & in Personis eorum, quorum negotia sunt gerenda. Sunt enim quædam actiones, quibus quælibet Persona, siue Sæcularis, siue Regularis existat, debet alios ex charitate iuuare, vt sunt orationes, & alia suffragia spiritualia. Vnde Gal. vlt. *Alter alterius onera portate.* Glos. *Subuenite vobis inuicem orationibus, & alijs huiusmodi.* ET SIC *adimplebitis legem Christi.* Glos. *Id est charitatem; quia Christus præcepit, vt nos inuicem diligamus.* Sunt & aliæ actiones, quibus Viri Sæculares possunt, & debent ex charitate iuuare miserabiles Personas; succurrendo scilicet eis, si necesse habuerint; seu defendendo eas, siue in iudicio, siue extrà. Iacob. 1. *Religio munda & immaculata hæc est, visitare Pupillos & Viduas, in tribulatione ipsorum.* Glos. *Id est, succurrere eis, qui carent præsidiô, tempore necessitatis.* Talis persona miserabilis erat illa Phœbe, de qua loquitur Apostolus Rom. vlt. *Nam*, sicut dicit Glossa ibidem, *Romam profecta erat pro quibusdam negotijs*, vnde indigebat auxiliô; vtpotè mulier Christiana inter Gentiles existens, qui tunc Romæ dominabantur. Licitum ergo erat & meritorium viris Christianis, qui tunc degebant Romæ sub Dominio Gentilium, dictam mulierem, quasi miserabilem Personam, in negotijs eius adiuuare. Præsertim in primitiua Ecclesia, in qua nondum prohibitum erat Monachis, vel Clericis curam animarum, vel Personatus habentibus causâ pietatis, etiam sæcularibus aliorum procurationibus se immiscere. Nunc autem, iuxta constitutiones canonicas, viri eiusmodi, tales actiones, etiam pro miserabilibus Personis

Digitized by Google

exercere non debent, niſi de mandato ſuorum Epiſcoporum; quia tales actiones, licet in ſe piæ ſint & meritoriæ, tamen non conueniunt illorum profeſſioni. Vnde in Concilio Calcedonenſi. *Decreuit magna Synodus, neminem eorum deinceps, hoc eſt Epiſcopum, ſeu Clericum, aut Monachum, miſceri ſæcularibus procurationibus poſſe; niſi forte, qui legibus ad minorum ætatum tutelas, ſiue curationes inexcuſabiles attrahuntur; aut cui ipſius ciuitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum commiſerit gubernacula, & Orphanorum, atque Viduarum quæ indefenſæ ſunt, aut earum Perſonarum, quæ maximè Eccleſiaſticô indigent adminiculô, propter timorem Dei*, vt legitur diſt. 86. can. *Peruenit.* Viri enim Regulares, qui contemplationi vacare debent, vitare debent ſæculares actiones, tam pro ſe, quàm pro alijs exercendas, vt meliùs contemplationi vacare poſſint. Vnde ſuper illud Iob 4, *Rugitus leonis, &c.* dicit Gregorius in lib. 5. Moral. *Sancta mens, tantô alacriùs ad intima vigilat, quantô ſe ab exteriore inquietudine occultat.* Item ſuper illud Iob 5. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum*, dicit Greg. in lib. 6. Moral. *Contemplatiua vita perfectiùs ſepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditùs diuidit.* Item ſuper illud Iob 6. *Aut poterit comedi inſulſum?* dicit Greg. in lib. 7. Moral. *Sancti viri, cum æternitatis deſiderijs anhelant, in tanta altitudine vitæ ſe ſubleuant, vt audire iam quæ mundi ſunt, graue ſibi ac deprimens pondus credant; valde namque inſolens ac intolerabile æſtimant, quidquid id non ſonat, quod intùs amant.* Item ſuper illud Iob 33. *Per ſomnium in viſione nocturna*, dicit Gregorius lib. 23. Moral. *Si interna contemplari volumus, ab exna implicatione dormiamus.* Et infrà. *Cum ab externis actionibus mens ſopitur, tunc pleniùs mandatorum Dei pondus agnoſcitur. Tunc verba Dei mens viuaciùs penetrat, cum ad ſe admittere curarum ſæcularium tumultus recuſat.* Et infrà. *Dum ſic animus internis eruditi appetit, vt tamen alteriùs implicetur; vnde exteriùs auditum aperit, inde interiùs obſurdeſcit.* Item Ambroſius De fuga ſæculi. *Cui portio Deus eſt, nihil debet habere, niſi Deum, ne alterius impediatur neceſsitatis munere; quod enim ad alia officia confertur, hoc Religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur.* Et habetur 12. q. 1. cap. *Cui portio.* Et ideo, ne Viri Eccleſiaſtici à Diuinis Officijs abducantur, ſtatuerunt Sancti Patres, *Vt, ſi quis talibus Perſonis impoſuerit onus tutelæ, vel curæ ſæcularis, pro illo in Eccleſia non oretur.* Vnde Cyprianus in Epiſt. Ad Plebem

Furnenſem. *Epiſcopi Anteceſſores noſtri, religiosè conſiderantes, & ſalubriter prouidentes cenſuerunt; ne quis frater decedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret; & ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur; neque enim apud altare Dei nominari meretur in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & Miniſtros voluit abducere.* Si hoc autem de Sæcularibus Clericis, quid de Regularibus Viris? Item Hieronymus Ad Nepotianum. *Procuratores, aut Diſpenſatores rerum alienarum, quomodò poſſunt eſſe, qui proprias iubentur contemnere facultates?* Sic ergo patet, quod Viri Regulares, qui contemplationi vacare debent, vitare debent ſæculares actiones, ſiue pro ſe, ſiue pro alijs exercendas. Et nota, quod actiones ſæculares, vel mundanæ dicuntur; non opera corporalia, quibus victus quæritur, ſicut mentiuntur quidam otioſi (nam illa non impediunt libertatem animi ad contemplandum Deum, dum tamen ſint moderata, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Adhuc etiam obijciunt*; ſed potiùs expediunt propter ſecuritatem cibi, ſeu victus, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sed certè*) ſed dicuntur actiones ſæculares, ſiue ſæcularia negotia, cum animus occupatur curâ colligendæ pecuniæ ſine labore corporis, vt faciunt Negotiatores, Procuratores, & Quæſtuarij, & huiuſmodi; curâ enim, non manibus operantur, vt oſtenſum eſt paulò ante. §. *Quoniam autem.* Huiuſmodi homines, qui ſe immiſcent ſæcularibus negotijs, non manibus, ſed animi curâ gerendis, videntur amare mundum, & ea quæ in mundo ſunt; videlicet mundanas voluptates, aut mundanas opes, aut mundanos honores; propter quæ adipiſcenda talibus ſe immiſcent, contra illud 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* Et infrà. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; Id eſt ſecundùm Gloſſam, *voluptates, diuitiæ, & honores.* Licet igitur huiuſmodi homines, habitu fortè & profeſſione Religioſi exiſtant, veram tamen Religionem, id eſt mundam, & immaculatam non ſeruant; cum ſe immaculatos ab hoc ſæculo non cuſtodiant; *Religio enim munda & immaculata hæc eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Iacob. 1. Gloſſa. *Qui mundum diligit, ſe immaculatum à ſæculo non cuſtodit.*

§. Item ſunt quædam actiones Clericis licitæ, Viris autem Regularibus, ſeu Monachis (quantum eſt de ipſorum profeſ-

ſione) illicitæ, quoniam ab eorum diſcrepant profeſſione, vt eſt baptizare, vel de baptiſmo ſuſcipere, mortuos ſepelire, populo pœnitentias dare, infirmos viſitare, vnctiones facere, publicas Miſſas cantare, Eccleſiaſticas actiones tractare, publicè prædicare; Iudices, vel Arbitros, vel Procuratores, vel Aduocatos, in cauſis etiam Eccleſiaſticis, vel miſerabilium Perſonarum eſſe. Licet enim omnia iſta in ſe pia ſint, & meritoria; non tamen conueniunt ſtatui Regularium, ſiue Monachorum, quorum eſt ſubiectos & quietos eſſe, ieiunia & orationes obſeruare, in clauſtris morari, nullas cauſas, ſiue ſæculares, ſiue Eccleſiaſticas tractare, loca publica non frequentare, numquam publicè prædicare, nec publicas Miſſas cantare, nec baptizare, nec de baptiſmo ſuſcipere, nec mortuum ſepelire, nec pœnitentias dare, nec infirmos viſitare, vt oſtenſum eſt ſuprà pro parte diſt. 1. §. *Secundùm igitur*, & §. *Rurſus*. Item in Calcedonenſi Concilio. *Eos, qui in Monaſterijs ſunt, placet nobis Epiſcopo ſuo eſſe ſubiectos, quieti operam dare, ieiunia & orationes obſeruare, in locis, in quibus ſe Deo ſemel deuouerunt, permanentes; neque Eccleſiaſticas, neque ſæculares, neque aliquas attrectare actiones, relinquentes propria Monaſteria; niſi forte iubeantur propter vrgentes neceſſitates ab ipſius ciuitatis Epiſcopo.* 16. q. 1. cap. *Qui verè*. Item in eadem quæſtione. *Iuxta Calcedonenſis optimi Concilij tenorem, Monachos ad normam B. Benedicti viuere, intra clauſtra morari præcipimus; vicos, caſtella, ciuitates peragrare prohibemus; à populorum prædicatione omninò ceſſare cenſuimus.* Item Pelagius 16. q. 1. *De præſentium portitore, quod defenſor factus non eſt, nulla vobis moleſtia ſit; quia ſatis valde amariſſimum habeo, de iuſto propoſito ad illud homines deduci officium, in quo nullô modô, quæ à Monachis Deo promiſſa ſunt, valeant adimpleri. Omnimoda enim eſt illius habitus, & iſtius officij diuerſitas; illic enim quies, oratio, labor manuum; at hîc cauſarum cognitio, conuentiones, actus publica litigia, & quæcumque, vel Eccleſiaſtica inſtituta, vel ſupplicantium neceſſitas poſcit.* Sic ergo patet, quod quædam actiones licitæ ſunt Clericis, quæ, licet in ſe piæ & ſanctæ ſint, tamen illicitæ ſunt Regularibus Viris, propter diſcrepantiam profeſſionis. Hæc autem omnia intellige de Regularibus, non habentibus populum, nec ad Eccleſiaſticas prælationes aſſumptis, vt dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed forte dicet.* Patet igitur ex prædictis, quod quædam actiones, ſeu quædam

negotia licita ſunt Laicis, & iis conuenientia dici poſſunt, quæ tamen illicita ſunt Clericis, & illis aliena dici poſſunt. Sic etiam quædam negotia licita ſunt Clericis, & ijs conuenientia dici poſſunt, quæ illicita ſunt Regularibus Viris, & eis aliena dici poſſunt. Illæ namque actiones dicuntur alienæ, quæ cum ad ſtatum, ſeu officium agentis non pertineant, miniſterium propriæ actionis (id eſt ad ſtatum ſuum ſeu officium pertinentis) impediunt, vel negligi faciunt. Vnde ſuper illud Cantic. 1. *Vineam meam non cuſtodiui*, dicit Gloſ. *Vineæ noſtræ actiones noſtræ ſunt, quas vſu quotidianô excolimus; ſed in vineis poſiti vineam noſtram non cuſtodimus; quia, dum alienis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus.* Illi ergo, ſiue Clerici, ſiue Regulares, ſiue Sæculares Viri, qui miniſteriô propriæ actionis, id eſt ad ſtatum ſuum, vel officium pertinentis, negleƈtô, vel omiſſô, ad alienas actiones, ſiue ad aliena negotia, id eſt ad ſtatum vel officium ſuum impertinentia, vel diſcrepantia, vel contraria (cum ad hoc ex officio charitatis teneri non poſſint) ſine canonica vocatione ſe ingerunt, procul dubiô *Curioſi* dici poſſunt; & qui ex tali cura viuunt, ex fœda cura contra doƈtrinam Dominicam & Apoſtolicam viuere dici poſſunt.

§. Sed fortè adhuc obijcient aliqui Regulares *Curioſi* dicentes. Etſi aliquorum negotijs ſæcularibus, vt potè nobis alienis, & profeſſioni noſtræ contrarijs, non debeamus nos impudenter ingerere; tamen, quoniam tam ab Eccleſiaſticis, quàm à Sæcularibus Principibus ad illa quaſi inuiti trahimur, non poſſumus ea ſine illorum offenſa & ſcandalo recuſare; propter quod legitimam excuſationem habemus.

§. Ad quod dicendum eſt, quod Viri Regulares ſe taliter excuſantes videntur velle viuere *Otioſi & Curioſi*. Et quoniam per ſeipſos regnare non poſſunt, ſaltem regnantibus, id eſt præſidentibus, tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, adhærere conari videntur, eorum negotia procurando; vt vel ſic in potentia extollantur, iuxta illud Boëtij *De Conſolatione* lib. 3. *Qui in potentia extolli cupiunt, aut ipſi regnare volunt, aut regnantibus adhærere conantur.* Tales reddunt ſe indignos gratiâ Dei; non enim ſolet dari gratiæ alimonia illis, & maximè Regularibus Viris, qui fouent otium corporale, vel deſiderant in dignitatibus huius mundi ordinariè, vel extraordinariè reſi-

dere ; ſed potiùs illis , qui longè à conuerſatione hominum Chriſtum quærunt. Vnde ſuper illud Luc. 9. *Et ſeceſsit in locum deſertum , &c. & loquebatur illis de regno Dei* , dicit Gloſ. *Non otioſis , non in vertice Synagogæ , vel ſæcularis dignitatis reſidentibus ; ſed inter deſerta Chriſtum quærentibus cæleſtis gratiæ alimonia impertitur* ; ſupple *hoc ambientibus.*

§. Ad hoc autem , quod dicunt ſe incurſuros offenſam , vel ſcandalum Principum, vel Prelatorum, niſi negotia eorum agerent , vel niſi fierent triuiales ; dicendum eſt , quod propter ſcandalum aliquod veritatem vitæ relinquere non debent ; *Nam pro veritate vitæ , & doctrinæ , & iuſtitiæ ſunt ſcandala contemnenda* , vt ſolet notari in Gloſ. ſuper illud Matt. 18. *Qui ſcandalizauerit , &c.* Veritas autem vitæ Regularium exigit, vt non immiſceant ſe negotijs alienis , vt oſtenſum eſt ſuprà cad. diſt. in illo §. *Sed forte obijciet* , & duobus ſequentibus Paragraphis Maximè autem in ijs , quæ pertinent ad iudiciariam poteſtatem Prælatorum ; iudicando ſcilicet , ſiue in foro pœnitentiali, ſiue aliô modô, ſubditos eorum ; præſertim , cum ad hoc ex officio minimè conſtringantur. Vnde Gregorius in libro 10. Moralium. *Sancti viri latere ab huius mundi actibus appetunt ; ſemper ſua conſiderant ; & cum loco regiminis minimè conſtringuntur , iudicare , quæ aliena ſunt , recuſant.*

§. Item Viri Regulares hoc dicentes , oſtendunt ſe nondum mortuos eſſe Mundo, vel ſaltem Mundum nondum mortuum eſſe ſibi. Illi enim , *quibus* ad inſtar Apoſtoli *verè Mundus crucifixus eſt , & ipſi Mundo* , Galat. 6. (quales debent eſſe omnes Regulares, qui renunciauerunt huic Mundo) deinceps Mundi actionibus non tenentur ; nec eos amat Mundus ad vſum ſuum ; immò proijcit eos Mundus à ſe , ſicut mare proijcit corpora mortua. Vnde ſuper illud Iob 3. *Et vita his , qui in amaritudine animæ ſunt* , dicit Gregorius in libro 5. Moralium. *Plærumque contingit , vt iam Homo Mundum non teneat mente , ſed tamen Mundus Hominem occupationibus adſtringit ; & ipſe Homo quidem iam Mundo mortuus ſit , ſed ipſi Mundus adhuc mortuus non eſt. Quaſi viuus enim adhuc eum Mundus conſpicit, dum alijs intentum , in ſuis actionibus rapere contendit.* Et infrà. *Quia verò Paulus , nec Mundi gloriam quærebat , nec à Mundi gloria quærebatur ; ideo & ſe Mundo , & Mundum ſibi crucifixum gloriatur.* Et infrà. *Niſi Mundo quantulumcumque viuerent , hos*

ad vſum ſuum Mundus procul dubiô non amaret. Mare enim viua corpora in ſeipſo retinet; ſed mortua extra ſe protinùs expellit.

§. Item certum eſt, quod ille, qui vult vacare Deo, occupationes Mundi fugere debet. Vnde Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 4. *Vaca bonæ menti, ad quam nemo peruenit occupatus.* Item 1. Timoth. 5. ſuper illud, *Et hoc præcipe, vt irreprehenſibiles ſint*, dicit Gloſ. *Sublatis actionibus Mundi, quæ aditus ſolent aperire peccatis, poteſt bona conuerſatio incolumis permanere.* Maximè autem verum eſt hoc in Regularibus Viris, qui debent contemplationi vacare; & ideo à Mundi actionibus debent funditùs ſeparari, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Sed fortè obijciet Curioſitatis Defenſor.* Vnde B. Franciſcus *In Regula ſua* cap. 10. *Caueant Fratres à ſollicitudine huius ſæculi.* Item in cap. 3. *Caueant Fratres, & eorum Miniſtri, ne ſolliciti ſint de rebus eorum, qui vitam hanc voluerint accipere; vt liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Deus inſpirâuerit eis.* Ecce quod Viri Regulares & Religioſi, de rebus priuatis huius Mundi, nec pro ſe, nec pro alijs debent eſſe ſolliciti. Relinquitur ergo, quod illi Regulares Viri, quos Mundus non proijcit, ſed ad vſum ſuum trahit; & qui neglectis proprijs actionibus, id eſt ad ſtatum, vel officium ſuum pertinentibus, propter fauorem humanum, vel propter aliud aliquod commodum temporale, agunt pro aliis negotia huius mundi, & propter hoc vagantur hac & illac negotiis mundanis implicati; nondum ſunt Mundo mortui; ſed ad inſtar Vulpis, *qui ſimulat ſe mortuum, vt aues decipiat*, vt dicit Iſidorus lib. 12. *Etymolog.* ſunt ſimulatores & ficti; & dici poſſunt, & ſunt procul dubiô *Curioſi & Gyrouagi.* Et iſti periculoſi ſunt, quia contra doctrinam Apoſtoli viuunt, & alios ad idem inducunt; quemadmodùm faciunt *Otioſi*, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. §. *De illis etiam Monachis.*

§. Item propter hoc etiam periculoſi ſunt homines prædicti *Otioſi*, *Curioſi*, *Gyrouagi*; quoniam plærumque contingere poteſt, quod aliquando, vt fideles Chriſti ſibi magis alliciant, & ad largiendum ſibi magis inducant, & ſub prætextu Euangelij otiosè viuere valeant; ad prædicandum plebibus alienis, & confeſſiones audiendum, ſine canonica vocatione ſe ingerant, & ſic Pſeudo, & Penetrantes domos fiant; de quibus dictum

dictum est suprà dist. 1.

§. Sciendum autem, quod B. Benedictus assignans quatuor genera Monachorum; videlicet *Cœnobitas*, *Anachoritas*, *Sarabaïtas*, *Gyrouagos*; de isto quarto genere Monachorum sic dicit. *Quartum verò genus est Monachorum, quod vocatur Gyrouagum; qui totam vitam suam per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper gyrouagi, & numquam stabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaïtis, de quorum miserrima conuersatione melius est silere, quàm loqui.* Quod forsan ideo dicit, quoniam *quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere.* Ephes. 5. Istis *Gyrouagis* comminatur Dominus per Ieremiam 14. cap. sic dicentem. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino nostro non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum.*

§. Patet igitur ex præmissis, *Qui dici debeant Otiosi*, & qualiter viuant contra doctrinam Apostoli; & qui homines, & quando, & quare teneantur, vel non teneantur, propter victum corporaliter operari. Patet etiam, *qui sint Curiosi, & Gyrouagi*; & qualiter viuant contra doctrinam Apostoli; & qualiter sint omnes prædicti, tam sibi, quàm Ecclesiæ pernicioſi. De Otiosis igitur, & Curiosis, & Gyrouagis, hæc ad præsens sufficiant.

Explicit Secunda Distinctio.

INCIPIT
DISTINCTIO TERTIA
QVÆ DOCET
QVAM MVLTIPLICI SIMVLATIONE decipiunt prædicti Seductores Hypocritæ ſimplices fideles Chriſti.

POST hæc autem, quoniam Seductores prædicti per hypocriſim & ſimulationem, ſeu ſpeciem ſanctitatis, vt prætactum eſt, ſeducunt populum Chriſtianum, propter quam ſpeciem magis periculoſi ſunt; ne fortè ſimplices, & Scripturas ignorantes, putantes omnes illos ſanctos eſſe, qui ſpeciem ſanctitatis oſtendunt, illorum ſimulationibus omninò decepti in prædictis periculis capiantur; ideo in hac Tertia Diſtinctione, ad eorum inſtructionem contra fraudes illorum Seductorum, de ipſorum ſimulationibus aliquas Scripturas, ad memoriam Chriſti fidelium duximus reuocandas.

§. Sciendum igitur, quod Seductores iſti non ſunt de Iudæis, neque de Paganis, nec de apertis Hæreticis; ſed ſunt de Chriſtianis, aliter enim non poſſent facilè ſeducere Chriſtianos. Vnde de talibus loquens Apoſtolus 2. Timoth. 3. dicit. *Habentes ſpeciem pietatis.* Gloſ. *id eſt Religionis*, videlicet Chriſtianæ. Vnde ſequitur in Gloſ. *Quia eadem ſacramenta habent cum piis, & ideo periculoſi ſunt.* Quaſi diceret. *Quia ſacramenta recipiunt, quemadmodùm boni Chriſtiani, & in hoc ſimiles ſunt bonis Chriſtianis; ideo periculoſi ſunt, quia Chriſtianos facilius ſeducere poſſunt.*

§. Item, cum inter malos Chriſtianos, quidam ſint apertè mali, quidam verò per hypocriſim apparentes boni; inter iſtos

Digitized by Google

inueniuntur Seductores prædicti. Nam in omnibus dictis, vel factis ſuis, quibus vtuntur ad decipiendum, ſimulant charitatem, vt magis decipere poſſint. Vnde 2. Corinth. 6. ſuper illud, *In charitate non ficta*, dicit Gloſ. *Pſeudo ſimulant charitatem, vt decipiant.* Non enim quærunt Simulatores, ſiue Hypocritæ ſanctitatem; ſed ſolam apparentiam ſanctitatis. Vnde ſuper illud Iob 27. *Quæ enim ſpes eſt Hypocritæ, ſi auarè rapiat? &c.* dicit Gregorius lib. 18. Moral. *Hypocrita, qui Latinâ linguâ dicitur Simulator, iuſtus eſſe non appetit, ſed videri.* Et infrà. *Hypocritarum mos eſſe ſolet, vt & quod ſunt, ſupprimant, & quod non ſunt, ſe eſſe hominibus innoteſcant; quatenus menſuram ſuam per æſtimationem tranſeant, & præire cæteros ſe oſtendant, refugiunt videri, quod ſunt, & ante oculos hominum, ſuperductâ quadam innocentiæ honeſtate ſe veſtiunt.* Item Iſa. 9. ſuper illud, *Omnis Hypocrita eſt & nequam*, dicit Gloſſa Interlinearis. *Hypocrita, aliud eſt ſimulans, & aliud agens, præferens caſtitatem, & laſciuiens; oſtendens paupertatem, & marſupium replens.* Item ſuper illud Matth. 23. *Qui mundatis quod deforis eſt*, dicit Chryſoſtomus. *Exteriorum purgationum multa eſt cura, interiorum verò nulla; & ſi quis conſcientiam ſcinderet, multos vermes, & multam ſaniem inueniret.* Ezechiel. 8. *Fili hominis fode parietem, ingredere, & vide abominationes peßimas, quas iſti faciunt.* Epheſ. 5. *Quæ in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt dicere.* Non ſic Apoſtolus 2. Corinth. 4. dicens. *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia*, Gloſ. *Id eſt in hypocriſi, vt Pſeudo faciunt, qui videntur humiles*, vt etiam perſuadere & oſtentare valeant, ſe miſſos eſſe à Deo ad procurandum ſalutem animarum in Eccleſia generali; quemadmodùm aſſerunt de ſeipſis omnes Prædicatores, etiam Hæretici, vt legitur Extrà, *De Hæreticis*, cap. *Cum ex iniuncto.* Idcirco plurimas ſuperſtitioſas traditiones inueniunt, & eas ſub ſpecie Religionis inducunt, vt oſtendetur infrà diſt. 4. in 11. & 12. ſigno; quibus tantam humilitatem & Religionem prætendunt, quod videntur eſſe quaſi nuntij Dei. Tantam humilitatem & Religionem prætendebant quidam Pſeudo in Eccleſia primitiua; & tamen erant aduerſarij Eccleſiæ Chriſti. Vnde Apoſtolus inſtruens populum Chriſtianum contra illos Coloſſ. 2. dicit. *Nemo vos ſeducat in humilitate, & Religione Angelorum.* Gloſſ. *qui videntur eſſe quaſi nuntij Dei, per ſpeciem & humilitatem Re-*

ligionis; & hæc sunt, quibus homines facilè seduci possunt. Item 2. Corinth. 11. de talibus dicit Apostolus. *Nam eiusmodi Pseudo-Apostoli operarij subdoli.* Glos. *Callidè sub specie Religionis decipientes.* Et infrà. *Transfigurantes se in Apostolos Christi.* Glos. *Id est, exterius se ostendentes esse Apostolos Christi.* De talibus videtur prophetasse Hildegardis in Epistola supradicta dicens. *Populus iste à Diabolo seductus & missus, pallidâ facie veniet, & velut in omni sanctitate se componet.*

§. Prætendunt autem humilitatem & Religionem multis modis; videlicet *blandis verbis, moribus simulatè compositis, habitu Religionis, virtutum operibus simulatis.* De simulatione humilitatis & Religionis, *quam faciunt blandis verbis*, dicit Apostolus Rom. vlt. *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*; Id est *ad se ducunt.* Contra quos dicitur Isa. 3. *Populi mei, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*, Glossa, *blandis verbis.* De talibus dicit Greg. lib. 22. Moral. *Hi nimirum decipiendis Auditoribus exhibent linguæ dulcedines; quia & spinæ proferunt flores, & apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat; & potestate quidem admirandi videri appetunt, sed loquendi arte per remissa colloquia quasi humiliter substernuntur; & per sermonem de se insinuant, quod per operis exhibitionem negant.*

§. De simulatione, *quam faciunt, tam per blanda verba, quàm per mores simulatè compositos simul* legitur Matth. 7. super illud *Attendite à falsis Prophetis*, id est, *à falsis Prædicatoribus*, vbi dicit Glos. *In humilitate ambulant, ex falsa Religione*; supple, *quantum ad blanda verba, & mores simulatè compositos.* Vnde continuò sequitur in Glossa. *Ideo cauete, ne vos dilanient blandicijs, & simulationibus*; id est *blandis verbis, & moribus simulatè compositis.* De talibus videtur prophetasse Hildegardis in Epistola supradicta dicens. *Populus iste moribus placidis & quietis, hominibus se ostendet.*

§. De simulatione autem, *quam faciunt* Seductores prædicti *per habitum Religionis exteriorem* legitur Apoc. 6. super illud *Et ecce equus pallidus*, vbi dicit Glossa. *Videns Diabolus, nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreses, posse proficere; præmisit falsos Fratres, qui sub habitu Religionis naturam obtinent rufi & nigri equi.* Quæ Glossa posita & exposita est suprà dist. 1. in principio.

Digitized by Google

§. Duobus autem modis ſimulant humilitatem & Religionem, *per habitum exteriorem*; videlicet *diſtinguendo ſe ab alijs hominibus, per habitus vilitatem; & per exteriorem habitus auſteritatem.* De ſimulatione humilitatis & Religionis, *quam faciunt diſtinguendo ſe ab alijs hominibus per habitus vilitatem* legitur Matth. 6. vbi dicitur de Phariſæis Hypocritis; Id eſt de illis, qui ſuperſtitiosè diuidunt ſe ab alijs per ſpeciem Religionis, & ſimulationem ſanctitatis. *Exterminant facies ſuas, &c.* Gloſ. *Id eſt, extra terminos humanæ conditionis abducunt;* ſcilicet *per habitus vilitatem.* Vnde continuò ſequitur in Gloſſ. *Sicut ex nitore veſtium iactantia eſt; ita ex nimio ſqualore*; Id eſt *ex nimia vilitate.* Item ibidem. *Exterminant facies ſuas, &c.* Gloſ. *Luctuoſis ſordibus, in quibus iactantia eſt; & magis ſub ſpecie Religionis decipiunt.* Item ibidem. *Exterminant facies ſuas, &c.* Gloſſ. *Vt alijs diſſimiles videantur, & ex ipſa vilitate vltra homines prædicentur.* Ecce ſimulatio humilitatis & Religionis *per habitus vilitatem.* Et nota hîc, quod falſa humilitas magis inflat, quàm aperta ſuperbia. Vnde Auguſt. Ad Paulinum Epiſcopum. *Fit miris modis in anima hominis, vt ex falſa humilitate magis infletur, quàm ſi apertiùs ſuperbiret.*

§. De ſimulatione verò humilitatis & Religionis, *quam faciunt* dicti Seductores *diſtinguendo ſe ab alijs hominibus, per habitus auſteritatem exteriorem* legitur Matth. 23. ſuper illud, *Magnificant fimbrias*, vbi dicit Gloſ. *Quod Scribæ & Phariſæi Hypocritæ*, qui per ſimulationem humilitatis & Religionis decipiebant populum, quemadmodùm decipiunt Seductores prædicti, *in pallijs ſuis quadratis & fimbriatis*, quæ geſtabant, & alij Iudei ſecundum doctrinam Moyſi Numer. 15. *faciebant fimbrias alijs longiores*, ad diſtinguendum ſe ab alijs, *& in eis ligabant acutiſſimas ſpinas, vt eundo, vel ſedendo, interdum pungerentur; & quaſi ſic commoniti retraherentur ab offenſa Dei.* Contra quos inuehitur Dominus Matth. 23. dicens. *Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Hos imitari videntur quidam moderni, geſtantes viles veſtes, & aſperas exteriùs in aperto. Ecce ſimulatio ſanctitatis *per exteriorem habitus auſteritatem, & ab alijs diſſimilitudinem.*

§. Et ne vilitas, vel exterior auſteritas quemquam decipiat, notandum eſt; quod vilitas, vel auſteritas habitus exterioris, & generaliter quilibet rerum temporalium vſus reſtri-

ctior, tunc demum laudabilis est, quando non excedit quis mores illorum, inter quos viuendum est, nec modulum personæ suæ; alioquin vituperabilis est, quia magis sapit arrogantiam, vel hypocrisim, & vanam gloriam, quàm veram humilitatem. Vnde Augustin. in lib. *De doctrina Christiana*; & habetur dist. 41. can. 1. *Quisquis rebus prætereuntibus restrictiùs vtitur, quàm se habent mores eorum, cum quibus viuit; aut intemperans, aut superstitiosus est*; Id est, aut non vult se aliis conformare, quod est signum intemperantiæ, & arrogantiæ; aut est falsus Religiosus, siue Hypocrita. *Superstitio enim est vitiosa Religio; aut superflua, & superstatuta Ecclesiæ obseruatio*, vt dicit Isidorus lib. 8. *Etymolog.* cap. 3. Et nota quod dicit Augustinus, *Intemperans est*, quidam enim libri, vt quidam dicunt, habent *Temperans*; sed litera ista, *Intemperans*, magis congruit sententiæ Augustini, qui prout alibi ait, non facit differentiam, quid, vel quantum alimentorum quis sumat, dum tamen congruat personis, vel conformet se moribus personarum, cum quibus ei viuendum est. Vnde idem Augustinus in lib. Quæst. Euang. *Non interest omninò, quid, vel quantùm alimentorum sumas, vt succurras necessitati corporis, dummodò congruas ijs, cum quibus tibi viuendum est*, Et habetur dist. 41. can. *Quod dicit Dominus*. Idem autem dici potest de vestimentis, quod de alimentis; quoniam eadem ratio vtrobique. Quod autem litera ista, *Intemperans*, debeat esse in textu Augustini, patet *per Apparatum* ibidem dicentem. *Argumentum, quod Socij debent se in omnibus conformare*; qui Apparatus non concordaret textui, si hæc litera, *Temperans*, esset ibi. Non igitur in restrictiori vsu rerum temporalium consistit temperantia, sicut nec in vsu superfluo; sed magis in congruentia & conformitate morum ad personas, cum quibus viuendum est. Qui ergo restrictiùs vtitur rebus temporalibus, quàm se habent mores illorum, cum quibus viuendum est; non temperans, sed magis intemperans dici debet. Vnde nec Dominus, nec eius Apostoli leguntur viliorem, vel austeriorem habitum gestasse exteriùs, quàm alij Iudæi, inter quos viuebant; quin potiùs de hoc Dominus Pharisæos arguebat, vt ostensum est paulò ante. Item August. lib. 19. *De Ciuit. Dei* cap. 19. *Nihil sanè ad istam pertinet ciuitatem, quô habitu, aut quô more viuendi (si non est contra præcepta diuina) istam fidem, quâ peruenitur ad Deum, quisque sectetur.* Supple, *dum tamen con-*

Digitized by Google

grnat moribus eorum, cum quibus viuendum est, vt ostensum est paulò ante. Hoc idem patet exemplò eiusdem Augustini; Nam, vt *in Vita eius* legitur. *Vestes eius, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abiecta plurimùm; quia his plurimùm se, vel iactare insolentes homines solent, vel abycere; ex vtroque, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt ydem quærentes.* Item Hieronymus Ad Nepotianum. *Vestes pullas æquè deuita, vt candidas; ornatus, vt sordes pari modò fugiendæ sunt; quia alterum diuitias, alterum gloriam redolet*; id est, *hypocrisim*. Item Hieron. in lib. *De Virginitate* Ad Eustochium. *Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conueniunt Christianis.* Et habetur dist. 41. §. 1. Tales superstitiosas restrictiones rerum temporalium, & sordes habitus exteriores faciunt plærumque ambitiosi Hypocritæ, vt in sanctitate vitæ notabiles, & sanctiores aliis hominibus videantur, & per hoc ad honores huius mundi faciliùs prouehantur. Contra quos dicit Seneca *Ad Lucilium* Epist. 6. *Illud te moneo, ne illorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersâ viâ sequitur, euita.* Et infrà. *Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere? intùs omnia dissimilia sint; frons nostra populo conueniat.* Et infrà. *Nec splendeat toga, nec sordeat quidem.* Et infrà. *Non putemus frugalitatis indicium aurô, argentoque caruisse; id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus; non vt contrariam. Hoc primum Philosophia promittit, sensum communem, humanitatem, & congregationem; à qua professione nos dissimilitudo separabit. Videamus, ne ista, per quæ admirationem parare volumus, ridicula, & odiosa fiant. Nempe propositum nostrum est, secundum naturam viuere; hoc contra naturam est faciles odisse munditias, & squallorem appetere.* Et infrà. *Potest autem esse non incompta frugalitas; hic modus mihi placet; temperetur vita inter bonos mores, & publicos. Quid ergo*, dicunt Hypocritæ, *eadem faciemus, quæ cæteri? Nihil inter nos, & illos intererit?* Et respondet Seneca. *Intererit plurimùm. Dissimiles nos esse vulgo sciat, qui inspexerit propriùs; qui domum intrauerit, nos potiùs miretur, quàm supellectilem nostram. Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodùm argentô; nec ille minor est,*

ctior, tunc demum laudabilis est, quando non excedit quis mores illorum, inter quos viuendum est, nec modulum personæ suæ; alioquin vituperabilis est, quia magis sapit arrogantiam, vel hypocrisim, & vanam gloriam, quàm veram humilitatem. Vnde Augustin. in lib. *De doctrina Christiana*; & habetur dist. 41. can. 1. *Quisquis rebus prætereuntibus restrictiùs vtitur, quàm se habent mores eorum, cum quibus viuit; aut intemperans, aut superstitiosus est*; Id est, aut non vult se aliis conformare, quod est signum intemperantiæ, & arrogantiæ; aut est falsus Religiosus, siue Hypocrita. *Superstitio enim est vitiosa Religio; aut superflua, & superstatuta Ecclesiæ obseruatio*, vt dicit Isidorus lib. 8. *Etymolog.* cap. 3. Et nota quod dicit Augustinus, *Intemperans est*, quidam enim libri, vt quidam dicunt, habent *Temperans*; sed litera ista, *Intemperans*, magis congruit sententiæ Augustini, qui prout alibi ait, non facit differentiam, quid, vel quantum alimentorum quis sumat, dum tamen congruat personis, vel conformet se moribus personarum, cum quibus ei viuendum est. Vnde idem Augustinus in lib. Quæst. Euang. *Non interest omninò, quid, vel quantùm alimentorum sumas, vt succurras necessitati corporis, dummodò congruas ijs, cum quibus tibi viuendum est.* Et habetur dist. 41. can. *Quod dicit Dominus*. Idem autem dici potest de vestimentis, quod de alimentis; quoniam eadem ratio vtrobique. Quod autem litera ista, *Intemperans*, debeat esse in textu Augustini, patet *per Apparatum* ibidem dicentem. *Argumentum, quod Socij debent se in omnibus conformare*; qui Apparatus non concordaret textui, si hæc litera, *Temperans*, esset ibi. Non igitur in restrictiori vsu rerum temporalium consistit temperantia, sicut nec in vsu superfluo; sed magis in congruentia & conformitate morum ad personas, cum quibus viuendum est. Qui ergo restrictiùs vtitur rebus temporalibus, quàm se habent mores illorum, cum quibus viuendum est; non temperans, sed magis intemperans dici debet. Vnde nec Dominus, nec eius Apostoli leguntur viliorem, vel austeriorem habitum gestasse exteriùs, quàm alij Iudæi, inter quos viuebant; quin potiùs de hoc Dominus Pharisæos arguebat, vt ostensum est paulò ante. Item Augustin. lib. 19. *De Ciuit. Dei* cap. 19. *Nihil sanè ad istam pertinet ciuitatem, quô habitu, aut quô more viuendi (si non est contra præcepta diuina) istam fidem, quâ peruenitur ad Deum, quisque sectetur.* Supple, *dum tamen con-*

Digitized by Google

grnat moribus eorum, cum quibus viuendum est, vt ostensum est paulò ante. Hoc idem patet exemplò eiusdem Augustini; Nam, vt *in Vita eius* legitur. *Vestes eius, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abiecta plurimùm; quia his plurimùm se, vel iactare insolentes homines solent, vel abycere; ex vtroque, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt ydem quærentes.* Item Hieronymus Ad Nepotianum. *Vestes pullas æquè deuita, vt candidas; ornatus, vt sordes pari modò fugiendæ sunt; quia alterum diuitias, alterum gloriam redolet;* id est, *hypocrisim*. Item Hieron. in lib. *De Virginitate* Ad Eustochium. *Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conueniunt Christianis.* Et habetur dist. 41. §. 1. Tales superstitiosas restrictiones rerum temporalium, & sordes habitus exteriores faciunt plærumque ambitiosi Hypocritæ, vt in sanctitate vitæ notabiles, & sanctiores aliis hominibus videantur, & per hoc ad honores huius mundi faciliùs prouehantur. Contra quos dicit Seneca *Ad Lucilium* Epist. 6. *Illud te moneo, ne illorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersa viâ sequitur, euita.* Et infrà. *Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere? intùs omnia dissimilia sint; frons nostra populo conueniat.* Et infrà. *Nec splendeat toga, nec sordeat quidem.* Et infrà. *Non putemus frugalitatis indicium aurô, argentoque caruisse; id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus; non vt contrariam. Hoc primum Philosophia promittit, sensum communem, humanitatem, & congregationem; à qua professione nos dissimilitudo separabit. Videamus, ne ista, per quæ admirationem parare volumus, ridicula, & odiosa fiant. Nempe propositum nostrum est, secundum naturam viuere; hoc contra naturam est faciles odisse munditias, & squallorem appetere.* Et infrà. *Potest autem esse non incompta frugalitas; hic modus mihi placet; temperetur vita inter bonos mores, & publicos. Quid ergo,* dicunt Hypocritæ, *eadem faciemus, quæ cæteri? Nihil inter nos, & illos intererit?* Et respondet Seneca. *Intererit plurimùm. Dissimiles nos esse vulgo sciat, qui inspexerit propriùs; qui domum intrauerit, nos potiùs miretur, quàm supellectilem nostram. Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodùm argentô; nec ille minor est,*

qui ſic argentô vtitur, vt fictilibus. Infirmi animi eſt, non poſſe pati diuitias. Licet autem quidam Regulares ſecundùm Regulam ſuam vti debeant vilibus indumentis; non tamen illos debent deſpicere, aut iudicare, qui pretioſis veſtibus induuntur. Vnde B. Franciſcus *in Regula ſua* cap. 2. *Fratres omnes vilibus veſtimentis induantur, vt poſſint ea repeciare de ſaccis, & alijs pecijs. Quos moneo & exhortor, ne deſpiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis.* Sed magis vnuſquiſque iudicet, & deſpiciat ſemetipſum; talem enim habitum debet quiſque geſtare, qualis conuenit eius profeſſioni, vel eius ſtatui; alioquin videtur facere contra præceptum Domini Deuter. 22. dicentis. *Non induêris veſtimentô linô lanaque contextô* Gloſ. *Lineis veſtibus lanam miſcet, qui inordinatè viuit, ex profeſſionibus diuerſi generis; vt ſi Monialis habeat ornamentum Vxoris, aut Vxor gerat ſpeciem Virginis.* Illi ergo, qui ſæcularem, ſeu publicam vitam ducunt, debent geſtare habitum ſecundùm publicos mores. Mores enim publicos, ſiue in habitu, ſiue in aliis rebus exterioribus, ſapiens non conturbat; nec vult ſingulariter videri à populo, propter nouitatem aliquam vitæ ſuæ. Vnde Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 13. *Non conturbabit ſapiens publicos mores; nec populum in ſe vitæ nouitate conuertet.* Contrarium autem faciunt *Beguini & Beguinæ Hypocritæ*, qui licet non ſint Regulares propriè; tamen, vt ſanctiores alijs videantur, & populum in ſe vitæ nouitate conuertant, ſuperſtitioſas, tam in habitu, quàm in alijs exteriobus, inueniunt nouitates, & ad eas quoſcumque poſſunt inducunt; cum tamen magis curandum eſſet, differre à peccatoribus, conuerſatione, & mentis puritate interioti, quàm habitu, vel cultu exteriori. Vnde *in Regiſtro* Cœleſtinus Papa *Epiſcopis Galliarum* cap. 1. *Didicimus quoſdam in veſtris partibus Sacerdotes, ſuperſtitioſo cultui potiùs inſeruire, quàm mentis, vel fidei puritati. Diſcernendi enim ſumus à plebe, vel cæteris; doctrinâ, non veſte; conuerſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam ſi ſudere incipimus nouitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, vt locum ſuperuacuis ſuperſtitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere.* Item Baſilius in libro De inſtitutis Monachorum. *Non idem habitus debet eſſe Militis, & Prælati.* Similiter igitur, nec idem habitus debet eſſe

Viris

Viri Sæcularis, & Regularis. Item Hieronymus Ad Euſtochium *Veſtis Chriſtiani, neceſatis munda debet eſſe, neceſordida, nec vllâ diuerſitate notabilis; ne ad eum omnium prætereuntium turba conſiſtat, & digitô demonſtretur.* Item Hieronymus *Ad Euſtochium* in lib. De Virginitate. *Neceſatis Religioſa propter veſtes ſordidas velis videri, nec plùs ſis humilis, quam neceſſe eſt; ne gloriam fugiendo quæras.* Item Auguſt. In Regula Clericorum. *Non ſit notabilis habitus veſter; nec affectetis placere veſtibus, ſed moribus.* Vnde Apoſtolus, cum reprobaſſet in Mulieribus ornamenta nimis pretioſa dicens. *Non in tortis crinibus, aut aurô, aut margaritis, vel veſte pretioſâ*; ne fortè crederent per hoc ſe debere vti veſtimentis vilibus, vel abiectis, ad indicium ſuæ honeſtatis; ideo docuit eas ſuam indicare honeſtatem; non per talia veſtimenta; non per verba ſuperſtitioſa, & inſueta, *ad inſtar Beguinarum*; ſed per opera bona, ſubiungens 1. Timoth. 2. *Sed quod decet Mulieres*, ſcilicet bonas, *promittentes.* Gloſſ. Id eſt, indicantes, *pietatem*, id eſt mentis Religionem, & honeſtatem, *per opera bona.* Non dicit, *per mollia verba, vel per vilia veſtimenta.* Ecce quod vilitas, vel aſperitas habitus exterioris; & generaliter quælibet ſuperſtitioſa nouitas vituperabilis eſt; quando fit contra modulum ſui ſtatus, aut ſuæ profeſſionis; aut contra publicos mores eorum, cum quibus viuendum eſt; quia tunc fit propter vanam gloriam; ſcilicet ad hoc, vt ipſe faciens, populum in ſe vitæ nouitate conuertat, & præ alijs notabilis in ſanctitate fiat.

§. Similiter, ornatus habitus vituperabilis eſt, quando excedit mores eorum, cum quibus viuendum eſt, aut modulum perſonæ, ad mouendum concupiſcentiam. Vnde ſuper illud 1. Timoth. 2. vbi loquitur Apoſtolus de habitu Mulierum dicens, *Non in tortis crinibus, aut aurô, aut margaritis, vel veſte pretioſâ*, dicit Gloſ. Auguſtini. *Ne his omnibus vltra modulum perſonæ, & mores, occaſione mouendæ concupiſcentiæ ſtudeant.*

§. Item, vituperabilis eſt ornatus habitus, quando fit ad iactantiam, vel elationem; vtpotè ſi fiat ad ſolam corporis venuſtatem. Vnde in ſeptima Synodo dicitur. *Omne quippe, quod non propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodùm magnus ait Baſilius.* 21. q. 4. cap. *Omnis iactantia.* Ideo *Lucæ* 16. reprobatus eſt diues epulo, *Qui induebatur purpurâ, & byſſô*; quia, ſicut dicit Gloſſa ibidem, *hoc non niſi ad ina-*

nem gloriam faciebat.

§. Si autem ornatus habitus fiat secundùm mores eorum, inter quos viuendum est, & secundùm modulum personæ, ac præter corporis diligentiam, & non ad mouendum concupíscentiam; non est vituperabilis, sed magis laudabilis. Vnde in Concilio Gangrensi. *Parcimoniam cum veste humili non reprobamus; sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus.* dist. 41. can. *Parcimoniam.* Ecce quod habitus humilis non reprobatur, nec tamen laudatur hîc; sed ornatus infucatus, id est tinctus, laudatur, dum tamen fiat prçter corporis diligentiam; id est, non ad venustatem corporis tantùm, sed propter morem seruandum. Et sic notatur 21. q. 4. *In Summa Quæstionis.*

§. Coniugatis igitur, vel coniugari volentibus, vel continentiam non professis; qui secundùm publicos mores, & modulos personarum, ornatô habitu solent vti, non est pretiosus habitus præproperè prohibendus; scilicet, nisi excedant modulum personæ, vel mores patriæ. Vnde Augustinus Ad Possidium Sacerdotem. *Nolo, vt de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi eos, qui neque coniugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo.* Et est sumptum hoc 1. Corinth. 7. vbi dicitur *qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo.* Glos. *Interiori pulchritudine.* Vnde coniuges licet fecerint pacta priuata de obseruanda continentia, non tamen debet alteruter mutare habitum coniugalem in habitum vidualem, contra voluntatem, & in scandalum sui coniugis. Vnde Augustin. Ad Ecdiciam. *Si de faciendis eleemosynis, & in pauperes impendendis rebus tuis, cum tuo viro fideli, & tecum sancta pacta continentiæ seruare, consilium communicare debuisti; quantô magis de habitu atque vestitu nihil tibi præter eius arbitrium mutandum, vel vsurpandum fuit.* Et infrà. *Est quidam pro modulo personæ habitus Matronalis à Viduali veste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis, saluâ Religionis obseruantiâ, conuenire. Hunc te Marcus si deponere noluit, ne te velut Viduam illô viuente iactares; puto, quod non fuit in hoc reus, nec ad dissensionis scandalum perducendus.* Et certè videtur eadem ratione, quod nec Vir possit mutare habitum suæ professionis in habitum Religiosum, aut suæ professioni non congruum, in scandalum Vxoris. Nam, *sicut Mulier non habet potestatem sui corporis, sed Vir;*

ita nec Vir habet potestatem sui corporis, sed Mulier. 1. Corinth. 7. Igitur, si fiat habitus ornatus, vel delitiosus, secundùm mores patriæ, & modulum personæ, propter vitandum scandalum Vxoris, vel causâ seruandi authoritatem, vel reuerentiam, quæ debetur personæ suæ, non est vituperabilis, sed magis laudabilis. Vnde Hieronymus Ad quemdam Regem. *Vtere delicijs; non pro te, sed pro Regina; vel ad timorem incutiendum, vt iustitia exerceatur.* Sic ergo patet, quod vilis, vel ornatus habitus, quandoque est laudabilis, quandoque vituperabilis. Vilitate autem vestium vituperabili vtuntur Hypocritæ, vt simulent humilitatem, & Religionem, siue sanctitatem; contra illud Hieronymi Ad Nepotianum. *Humilitatem vestium tumenti animô ne appetas.*

§. Sed fortè obijciet Simulator Hypocrita, de Ioanne Baptista, *Qui habebat vestimenta de pilis Camelorum.* Matth. 3. Et de antiquis sanctis, de quibus dicitur Heb. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Item de ornatu bonarum Mulierum, de quibus dicitur 1. Petri 3. *Quarum non sit extrinsecùs capillatura.* Glos. *Sicut ait Cyprianus. Sericô, & purpurâ indutæ, Christum induere sinceriter non possunt; aurô, & margaritis, & monilibus adornatæ, & ornamenta cordis & pectoris perdiderunt.* Videtur ergo, quod vilitas vestium simpliciter loquendo sit laudabilis, & ornatus vituperabilis.

§. Ad quod dicendum est, sicut iam dictum est; quodtam vilitas vestium, quàm ornatus, seruatis moribus & modulô personæ, laudabiles sunt; illis autem non seruatis, vituperabiles sunt.

§. Ad ea autem, quæ obijciunt de vilitate vestium Ioannis Baptistæ, & aliorum antiquorum Sanctorum; Dicendum est, quod Ioannes non excedebat mores publicos aliorum; cum non haberet publicam hominum conuersationem, sed priuatam; cum habitaret in deserto, solus vel cum paucis, & sibi similibus, tamquam Eremita. Vnde Matth. 3. super illud *Esca eius erat locusta, & mel syluestre*, dicit Glos. *Esca non cum studio parata, sicut conuenit Eremitæ.* Alij verò Sancti, *Qui circuibant multa loca*, vt dicit Glos. *in melotis, in pellibus caprinis.* Hebr. 11. non excedebant mores publicos, nec modulum personę suę; secundùm suam professionem, & statum, quem elegerant, non contrariuin publicis moribus, cum non haberent publicam ho-

minum conuerſationem, ſed ſolitariam in deſertis, vnde ſequitur ibidem. *In ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ*; ſicut Monachus portans vilem habitum, iuxta traditiones ſuæ Regulæ, non dicitur excedere publicos mores, nec modulum perſonæ; cum non habeant Monachi, vel ſaltem habere non debeant, mores publicos, ſed proprios & priuatos; nec publicam hominum conuerſationem, ſed priuatam, & à populo remotam, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Et ideo*, & §. *A Deo enim.*

Ad illud autem Cypriani, exponentis verba Petri dicendo, *Sericô & purpurâ indutæ, &c.* dicendum eſt, quod loquatur de illis Mulieribus, quæ excedunt mores patriæ, & modulum perſonæ ſuæ, ad mouendum concupiſcentiam, vel ad elationem; alioquin contrarius eſſet Cyprianus authoritatibus Hieronymi & Auguſtini prædictis paulò antè in illo §. *Et ne vilitas*, & §. *Similiter.*

§. Item, quod ornatus, vel pretioſus habitus, non ſit reprobandus, ſed approbandus, ſeruatis moribus patriæ, & modulô perſonæ, patet eſſe verum per B. Bartholomæum; qui, licet Apoſtolus eſſet, & Prædicator humilitatis Chriſti; nihilominùs tamen, cum prædicaret in India, ſeruatis moribus illius patriæ, & modulô perſonæ ſuæ, vtebatur veſtibus pretioſis, vt legitur *in Vita ipſius* his verbis. *Veſtitur Bartholomæus Colobiô albô clauatô purpurâ; habens per ſingulos angulos gemmas purpureas.* Patet igitur, quod non eſt vituperabile vti veſtibus pretioſis, moribus & modulô perſonæ ſeruatis. Et ſic patet reſponſio ad obiecta. Ecce qualiter Hypocritæ ſimulant ſanctitatem *per habitus Religionem.*

§. Simulant etiam Religionem, vel ſanctitatem *per Virtutum opera ſimulata*; ieiunando ſcil. orando, elemoſynas dando, & alia multa virtutum opera coram hominibus faciendo. Vnde ſuper illud Matt. 6 *Qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium*, dicit Gloſ. *In conſpectu hominum ſimiles ſunt Miniſtris iuſtitiæ, dum ieiunant, orant, eleemoſynas dant; ſed non ſunt eorum fructus, quia eis pro vitio reputantur.* Ieiunia verò plærumque faciunt ſuperſtitioſa; abſtinendo ſcilicet à quibuſdam cibis communibus, nec magnô parabilibus, quamuis voluptuoſis; ſed aliis cibis æquè voluptuoſis, & magis ſumptuoſis vtentes; vt illi, qui abſtinentes à carnibus, piſcibus magnis, tam fluuialibus, quàm mari-

nis, frequentiùs veſci volunt; vel abſtinentes à carnibus in ſpecie propria, veſcuntur eiſdem in ſpecie aliena; comminuentes ſcilicet eas in mortariolis, & condientes cum ſpeciebus aromaticis, & ſalſamentorum difficultatibus multis. Contra quos dicit Hieronymus Ad Nepotianum. *Sint tibi ieiunia moderata, & non ſuperſtitioſa. Quid prodeſt oleô non veſci, & moleſtias quaſdam, difficultateſque ciborum quærere, caricas, nuces, piper, & palmarum fructus?* Caricæ *ſunt ficus à copia nominatæ*, vt dicit Iſidorus lib. 17. *Etymolog.* cap. *De Arboribus.* Tales Hypocritæ à cibis communibus abſtinentes, tamen alijs æquè voluptuoſis vtentes, & ſic ſuauiter viuere volentes, virtutes habere videri volunt, ſed virtutum labores & difficultates refugiunt. Caſti enim videri volunt, ſed corpus macerare nolunt; patientes videri volunt, ſed contumelias ferre non poſſunt. Vnde ſuper illud Iob 6. *Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum*, dicit Gregorius lib. 7. Moral. *Sunt quidam, qui humiles eſſe volunt, ſed ſine deſpectu; eſſe caſti, ſed ſine macerationè corporis; eſſe patientes, ſed ſine contumelijs. Cumque virtutes adipiſci quærunt, ſed labores virtutum fugiunt; quid aliud, quàm quod belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in vrbibus concupiſcunt?* De talibus dicit Bernardus. *Volunt eſſe humiles ſine deſpectu, pauperes ſine defectu, benè veſtiri ſine ſollicitudine, delicatè paſci ſine labore.* Aliquando autem verè & auſterè ieiunant Hypocritæ, quoad opus exteriùs, macerando ſcilicet carnem ſuam ferè vſque ad mortem; ſed totum faciunt propter humanam laudem. Vnde ſuper illud Iob 8. *Sicut tela aranearum fiducia eius*, dicit Gregorius lib. 8. Moral. *Plærumque Hypocritæ mirâ abſtinentiâ ſe affligunt, omne robur corporis atterunt, & quaſi carnis vitam funditus in carne viventes extingunt; ſicque per abſtinentiam morti appropiant, vt penè quotidie morientes viuant. Nam ora palleſcunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus ſuſpirijs vrgetur; ſed inter hoc ab ore proximorum ſermo admirationis quæritur, teſtante veritate, quæ ait.* EXT RMINANT FACIES SVAS, VT VIDEANTVR AB HOMINIBVS IEIVNANTES. Contra tales dicit Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 6. *Nempe propoſitum noſtrum eſt, ſecundùm naturam viuere. Hoc contra naturam eſt, torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias, & ſqualloremappetere, & cibis non tantùm vilibus vti, ſed tetris & horridis. Quemadmodùm delicatas res deſiderare, luxuriæ eſt; ita vſitatas, & non ma*

gnô parabiles fugere, dementiæ est. Frugalitatem exigit Philosophia, non pœnam. Et est frugalitas temperantia; nam secundùm Papiam *Frugi dicitur temperatus, abstinens alienô, contentus suô.* Illi ergo homines, qui nolunt habere proprium suum, vel commune, sed semper desiderare alienum; non videntur esse *homines frugi*, id est *homines temperati.* Ecce qualiter Seductores Hypocritæ Religionem, vel sanctitatem simulant *ieiunando.*

§. Orando etiam simulant sanctitatem, *prolixiùs orantes, & longas orationes facientes*, vt sanctiores hominibus videantur, ac per hoc laudem humanam, atque pecuniam assequantur, vt ostendetur pleniùs infrà dist. 4. in 43. signo.

§. Dando etiam eleemosynas simulant sanctitatem Hypocritæ, *pauca quædam coram hominibus tribuendo, sed multa importunè petendo.* De quibus dicit Hieronymus Ad Nepotianum. *Sunt qui pauperibus parùm tribuunt, vt amplius accipiant; & sub prætextu eleemosynæ quærunt diuitias. Quæ magis negotiatio appellanda est, quàm eleemosyna; melius est enim non habere quod tribuas, quàm impudenter quærere.*

§. Alijs etiam modis simulant sanctitatem quandoque Hypocritæ, *per virtutum opera simulata*; vincendo scilicet manifesta peccata per quædam peccata occulta, quæ putantur esse virtutes. Aliquando enim per occultum peccatum (per superbiam scilicet, vel vanam gloriam intùs in corde latentem) vincunt manifesta peccata, quæ exteriùs videri possunt; vt vel sic simulent sanctitatem; videlicet auaritiam palam non sectando, vt videantur diligere largitatem; pecuniam palam non habendo, vt videantur diligere paupertatem; à carnis luxuria palam continendo, & de continentia se iactando, alios autem de incontinentia deridendo, vt videantur diligere castitatem. Vnde August. *De Ciuit. Dei* lib. 21. cap. 16. *Nonnunquam sanè apertissima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* QVIDAM *enim Hypocritæ, humanæ laudis auidi, huius vnius ingenti cupiditate cæteras cupiditates comprimunt*, vt dicit Aug. *De ciuit. Dei* lib. 5. cap. 11. sed hæc omnia simulatoriè faciunt, vt apparet quandoque ex post factis, per quæ ipsorum simulatio reuelatur, vt ostendetur infrà ead. dist. §. *Sed fortè*, cum quatuor sequentibus Paragraphis.

Digitized by Google

§. De talibus Simulatoribus videtur prophetasse Hildegardis in Epistola supradicta dicens. *Populus iste auaritiam non amat, pecuniam non habet*, supple *ab initio*, vel *palam. Tantâ abstinentiâ vtitur*, supple, vt priùs, *quod etiam vix vllus ex eis reprehendi possit. Diabolus enim cum hominibus istis est latitans, fulgore eis se ostendens, velut in constitutione mundi ante ruinam fuit.* Et infrà. *Homines istos Diabolus sic infundit, quod castitatem eis non aufert, & quod castos eos esse permittit, cùm castitatem habere voluerint. Intra se namque dicit Diabolus. Castitatem diligit Deus, quam & ego in istis imitabor.* Item in eadem. *Antiquus hostis per aëreos spiritus istos homines ita inflammat, quod ab incestis etiam peccatis abstinent. Vnde mulieres non amant, sed eas magis fugiunt; & ita in omni sanctitate hominibus se ostendunt, ac illudentibus verbis dicunt. Cæteri homines, qui ante castitatem habere volebant, vt assum piscem se torrebant. Nulla verò pollutio carnis, vel concupiscentiæ, nos tangere audet; quia sancti sumus, & Spiritu Sancto infundimur.* Supple. *Omnia ista facient, & dicent palam*, vel *ab initio*, vt sic homines decipiant, & sibi alliciant; sed posteà contrarium contingit eis. Vnde sequitur. *Qui tamen posteà eisdem fœminis secretâ luxuriâ commiscebuntur; & ita iniquitas, & secta eorum denudabitur.*

§. De illis autem Simulatoribus, qui propter necessitatem mendicationis perpetuæ, quam sibi ab initio voluntariè assumpserunt, necesse habent speciem sanctitatis ostendere, vt eis mendicantibus eleemosynæ libentiùs tribuantur; nequaquam mirandum est, si plærumque occultè in sæcularia desideria se effundant, & sic eorum simulatio denudetur; cum non ex sola libera voluntate, quam habuerunt ab initio, sed ex dicta necessitate sequente speciem sanctitatis ostendant. Nam, vt super illud Oseæ 7. *Qui ceuit paululùm ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum*. dicit Hieronymus. *Quidquid ex necessitate fit, citò soluitur; quod voluntate arripimus, perseuerat.*

§. Quidam etiam dictorum Seductorum Hypocritarum simulant se fugere gloriam huius mundi, vt eam declinando illam faciliùs assequantur; vt illi, qui Religionem propter hoc ingrediuntur, vel aliam speciem simulatę humilitatis assumunt, vt per hoc ad honores huius mundi faciliùs eligantur. Vnde super illud Iob 3. *Simulatores & callidi provocant iram Dei*, dicit

Gregorius lib. 26. Moral. *Simulator non ſe apertè quidem in hoc ſæculo videtur extollere, atque vt maiorem gloriam teneat, ſæpe ſimulat ſe gloriam declinare; quia enim ante oculos hominum ſequendo eam apprehendere non poteſt, ſtudet plærumque gloriam tenere fugiendo.* Item ſuper illud Iob 30. *Et mandebant herbas, &c.* dicit Greg. lib. 20. Moral. *Sunt nonnulli, qui cum huius mundi gloriam eiuſdem mundi actionibus adipiſci non poſſunt, ſpeciem ſanctitatis appetunt, habitum venerationis, id eſt Religionis aſſumunt, imitatores antiquorum Patrum videri concupiſcunt, & quædam quidem parua & leuiora peragunt, ſed fortia, & quæ ex ſolius charitatis radice procedunt, imitari contemnunt.* Et infrà. *Plærumque tamen & quædam quaſi robuſtiora exercent, ſed intentionem rectam in eiſdem operibus non tenent.*

§. Non ſolùm autem per virtutum opera conſueta ſimulant ſanctitatem Simulatores prædicti, verùm etiam & in virtutum operibus ſimulatis per arrogantiam & deſiderium humanæ laudis, miris inuentionibus excreſcendo; nouas ſcilicet ſuperſtitiones ſub ſpecie Religionis inueniendo, vt oſtendetur pleniùs infrà diſtinct. 4. in 12. ſigno. Vnde ſuper illud Iob 8. *Sicut tela Aranearum, &c.* dicit Greg. lib. 8. Moral. *Hypocritæ, dum videri quotidie ſemetipſos altiores cupiunt, miris inuentionibus in opere excreſcunt. Quia ſicut virtutes omne vitium eneruant, ſic arrogantia roborat; cogit enim mentes iuueneſcere, & ſupra vires valere; quia & quod negat vigor valetudinis, impetrat amor laudis.*

§. Simulatores huiuſmodi, nouarum ſuperſtitionum inuentores aſtuti, plærumque per eas in ſanctitate famoſi effecti, facilè fiunt Rectores populi, qui peccatis ſuis exigentibus meruere per eos ſeduci; ad inſtar mulierculârum oneratarum peccatis, quæ propter peccata ſua meruere ſeduci; de quibus dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Poſt hæc autem.* Vnde Iob 34. *qui regnare facit Hypocritam propter peccata populi.*

§. Sic ergo patet, qualiter prædicti Seductores Hypocritæ, ad ſeducendum alios ſimulant ſanctitatem; *non ſolùm blandis verbis, & moribus ſimulatè compoſitis, & habitu Religionis; ſed etiam virtutum operibus ſimulatis.* Ex omni enim parte ſimulant ſanctitatem; cum tamen intùs omninò ſint vacui ſanctitate. Vnde in libro De dictis Modernorum. *Se in toto mentitur*

Digitized by Google

mentitur Hypocrita, habens ſpeciem virtutum vndique, nihil intùs. Iſti ſunt *rami virides ſine fructu, qui ſpeciem ſanctitatis prætendunt, intùs vacui*, vt dicit Gloſſa ſuper illud Matth. 3. *Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum, &c.* De his ergo meritò dici poteſt illud Iſa. 23. *In Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem.* Quaſi diceret. *Nihil vidi in eis, niſi ſimilitudinem.*

§. Opera virtutum verò ſimulant Seductores prædicti, vt per ſimulationem operum videantur eadem facere, quæ docent; ad inſtar Chriſti, de quo dicitur Act. 1. *Cœpit Ieſus facere, & docere*; & ſic per talem dolum plures ſeducere poſſint; ad inſtar Antichriſti capitis eorum; de quo dicitur Danielis 8. *Dirigetur dolus in manu eius.* Gloſſ. *Dolus in manu eius dirigitur, quia nonnulla fraus opere adiuuatur. Quod enim lingua mendax ſimulat, hoc quaſi verùm eſſe manus operis oſtentat.*

§. Item ſciendum eſt, quod prædicti Seductores Hypocritæ, ad maiorem ſimulationem iuſtitiæ, quandoque dicunt ſe peccatores eſſe, eô quod *Iuſtus prior eſt accuſator ſui.* Prouerb. 18. Verùm, ſi alius dixerit, aſſerendo eos peccatores eſſe, illud ſuſtinere non poſſunt; ſed ſtatim ad ſuam defenſionem aſſurgunt. Vnde ſuper illud Iob 31. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum*, dicit Gregorius lib. 22. Moral. *Indicia veræ confeſſionis ſunt, ſi cum quiſque ſe peccatorem dicit, idem dicenti alteri non contradicit. Nam, quia ſcriptum eſt,* IVSTVS IN PRINCIPIO SERMONIS ACCVSATOR EST SVI, *non maior peccator, ſed iuſtus videri appetit, cum peccatorem ſe quiſque, nullò arguente, confitetur, ſi alteri hoc dicenti reſiſtit. Hoc enim veritatem confeſſionis probat, cum alter malum, quod fecimus, increpat; quia ſi ſuperbè defendimus, liquet, quod peccatores nos fictè anteà dicebamus.* Et infrà. *Superbiæ quippe vitium eſt, vt quod de ſe fateri quiſque ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab alio dedignatur. Ex hoc enim, quod aliquis peccatorem ſe dicit, ſed hoc dicenti alteri contradicit, manifeſtè patet, quod humilis videri cupit, ſed vilis haberi refugit.* Non eſt igitur humilis verus, ſed ſimulator ſuperbus. Nam, vt dicit Bernardus, *Verè humilis vult vilis reputari; non humilis prædicari.*

§. Rursùs notandum, quod Hypocritæ Arrogantes, quando ſciunt, vel credunt ſe aliquid benè feciſſe, vel dixiſſe; tunc errorem ſuum corrigi petunt, vt humiles videantur. Quando autem ſciunt ſe erraſſe, tunc de errore ſuo corrigi deſpiciunt

& de illo inquiri nolunt. Vnde ſuper illud Iob 34. *Si erraui, tu doce me*, dicit Gregorius lib. 26. Moral. *Propria fraus Arrogantium eſt, vt tunc de errore ſuo inquirere ſtudeant, quando ſe nouerunt non erraſſe. Qui rurſum requirere, vel argui de errore deſpiciunt, ſi quando ſe erraſſe veraciter præcognoſcunt. Non enim eſſe, ſed videri humiles appetunt.*

§. Item notandum eſt, quod prædicti Seductores aliquando ſimulant ſe facere miracula, vel etiam quandoque faciunt ad fallendum. Nec mirum, quoniam plærumque à Deo gratia eis infunditur; non ſolùm ad bona virtutum opera, ſed etiam ad miracula facienda, & ad præſciendum futura. Sed quia in eis non quætunt, niſi fauores hominum, ideo de illis operibus grauiùs damnabuntur; nec propter illa credendum eſt, quod ſint Miniſtri Chriſti, ſed magis ſuſpecti poſſunt haberi; ne ſint de præcurſoribus Antichriſti, qui talia ſunt facturi; maximè in Eccleſia finali, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Notandum autem, quod ſola miracula.*

§. Quid autem in omnibus prædictis, & alijs ſimulationibus, vel ſeductionibus ſuis, intendant ſe aſſequi prædicti Seductores Hypocritæ, oſtendit Gregorius in lib. 8. *Moralium*, ſuper illud Iob 8. *Numquid poteſt carectum creſcere ſine aqua?* ita dicens. *Quid in cunctu ſuis operibus ſperat Hypocrita, niſi reuerentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, ab omnibus ſanctus vocari?* Item in eodem libro. *Mens Hypocritæ, nihil aliud in omne quod agit, niſi gloriam ſuæ opinionis cogitat; non curat quò poſt mortem ducatur, ſed quid interim dicatur.*

§. Sic ergo habemus multos, & varios, atque mirabiles ſimulationis modos, quibus Seductores prædicti vtuntur ad ſeducendum ſimplices fideles Chriſti. Magnâ igitur ſapientiâ, & circumſpectione opus eſt Chriſtianis, ad cauendum tot Simulatorum deceptiones, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Notandum autem.*

§. Nec mirandum eſt, ſi multis & varijs ſimulationibus vtantur Seductores prædicti; quoniam aſtuti ſunt, & duplices, & huius mundi ſapientiam habentes, tamquam Miniſtri Antichriſti, & Præambuli eius; tales enim electurus eſt Antichriſtus in prædicatione ſua. Vnde ſuper illud Iob 16. *Hoſtis meus terribilibus oculis intuitus eſt me*, dicit Gregorius lib. 13. Moral. *Sicut Incarnata Veritas in prædicatione ſua, pauperes, &*

Digitized by Google

idiotas, & ſimplices elegit; ſic è contra Antichriſtus ad prædicandam falſitatem ſuam, aſtutos, & duplices, & huius mundi ſapientiam habentes electurus eſt. Quæ autem ſit ſapientia huius mundi, dicit Gregorius in lib. 10. *Moralium*, ſuper illud Iob 12. *Deridetur Iuſti ſimplicitas*, ita dicens. *Huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere; ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera aſſerere; quæ vera, falſa demonſtrare.* Hanc ſapientiam ſæcularem non poſſet quis exercere, niſi eſſet ſubtilis ingenij; vt callidè ſciat occultare, quod eſt; & oſtendere, quod non eſt. Vnde ſuper illud Iob 36. *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei*, dicit Gregorius lib. 26. Moral. *Simulationis falſitatem, niſi qui ſubtilis ingenij fuerit, exequi non poteſt; quiſquis enim talis eſt, ad cuſtodienda duo, continuâ obſeruatione, diuiditur; videlicet, vt callidè nouerit occultare quod eſt, & oſtendere quod non eſt; & vera mala premere, & bona falſa monſtrare.* Et ideo dicti Simulatores, & Seductores plærumque circumeunt ciuitates, & illas vniuerſitates, ſeu congregationes, in quibus Iuuenes ingenioſi & ſubtiles valeant inueniri; quibus inuentis circumueniunt illos verbis compoſitis, commendantes ſuum ſtatum, & ſuas traditiones, vt oſtendetur infrà diſtinct. 4. in 10. & 11. ſignò; & ſic eos ſibi alliciunt, & in conſortium ſuum ducunt. Illi autem hôc modô ſeducti, & à ſuis Seductoribus ad ſimulandum, & ſeducendum alios ſic edocti, ſimiles efficiuntur ſuis Seductoribus, vel peiores; & qui inter eos ad ſeducendum & ſimulandum reperiuntur magis ingenioſi, appellantur apud eos ſuperſtitiosô nomine *Gratioſi*. Contra iſtos circumeuntes prouincias, & quærentes Iuuenes ſubtilis ingenij, vt eos in conſortium ſuum ducant, & ſimulare doceant (& qui ideo *Circumuentores Iuuenum* ſatis congruè dici poſſunt) appoſitè dici poſſet, quod dicit Dominus contra Scribas, & Phariſæos Hypocritas in Euangelio Matthæi; id eſt contra quoſdam, qui apud Iudæos erant Doctores, & Simulatores Religioſi. Matth. 23. dicens. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi Hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum Proſelitum*, id eſt de Gentilitate ad Iudaïſmun conuerſum; *& cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplô, quàm vos.* Id eſt, *facitis eos ſimulatores, & aliorum deceptores, magis quàm vos ſitis.*

§. Quoniam igitur per aſtutiam, & duplicitatem, & ſapientiam, quam habent Seductores prædicti ex omni parte, vide-

licet, *verbis, operibus, habitu, gestu, miraculis simulatis* sanctitatis speciem ostendunt; ideo electa membra Christi esse vulgariter putantur. Vnde verè & rectè prophetauit de illis Iob in persona Ecclesiæ Iob 30. dicens. *Ad dexteram orientis, illicò calamitates meæ insurrexerunt.* Super quo verbo dicit Gregorius lib. 30. Moralium. *Ad dexteram orientis illicò calamitates insurgunt; quia hi ad persecutionem Ecclesiæ prosiliunt, qui electa membra Redemptoris nostri esse credebantur.*

§. Quoniam autem propter speciem sanctitatis, quam ostendunt, electa membra Christi esse creduntur; ideo faciliùs seducere, & vehementiùs Ecclesiæ nocere possunt; quia nemo audet eis resistere, aut eos arguere, propter reuerentiam Religionis, & sanctitatis, quam habere videntur. Vnde Augustinus. *Nemo quippe in Ecclesia Dei amplius nocet, quàm qui peruersè agens, nomen, vel ordinem habet sanctitatis, & Sacerdotis; delinquentem namque hunc redarguere nemo præsumit.* Et habetur *in Decretis* dist 83. can. *Nemo.* Propter hoc etiam nullus audet eis resistere, vel eos arguere; quoniam ipsi resistentes sibi, & eos arguentes odiunt, & vbique diffamant, vt ostendetur infrà dist. 4. in 28. signo; & etiam eos impugnant, & opprimunt per Maiorum potentiam, vt ostensum est suprà dist. 1. in principio, & in fine, & infrà dist. 4. in 29. signo.

§. Ex eo etiam facilè nocere possunt, quoniam eruditione Diuinæ Scripturæ fulti, authoritates eiusdem Scripturæ ad probandum, saltem apparenter, quidquid voluerint, paratas & promptas habent; non ad erudiendum, & corrigendum Auditores; sed ad quærendum proprios fauores. Vnde super illud Iob 8. *Sicut tela Aranearum fiducia eius*, dicit Gregorius lib. 8. Moral. *Plærumque Hypocritæ Sacræ Legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba proferunt, omne quod sentiunt Scripturæ testimonijs attingunt; non tamen per hoc vitam Audientium, sed proprios fauores quærunt.* Vt etiam virtutes, & sapientiam Sanctorum, & aliorum Sapientium videantur habere; idcirco verba, & præcepta eorum moralia frequenter habent in ore; quæ tamen verba verum animi robur non indicant in veritate; potest enim superbus verba humilitatis habere, luxuriosus verba continentiæ, quemadmodùm timidus verba audaciæ. Vnde Seneca *Ad Lucilium* Epist. 26. *Disputationes, & literata colloquia, & ex præceptis Sapientium verba collecta, &*

eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi; eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. Ideo dicit Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.*

§. Quoniam igitur falſi Fratres prædicti, Sacræ Legis eruditione ſunt fulti, idcirco quantumcumque ſint mali, & Satellites Præambuli Antichriſti, nihilominùs tamen in conſilijs animarum adeò ſunt famoſi, quod eorum conſilium, latente adhuc ipſorum fallaciâ, reputatur quaſi conſilium Dei; quemadmodùm legitur 2. *Reg.* 16. de Achitophel, qui fuit peſſimus, & interpretatur *Frater meus ruens*, vel *Frater meus cadens*, propter quod rectè deſignat falſos Fratres prædictos; legitur, inquam, quod *Conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum; ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalom.* Quia igitur in conſilijs ſpiritualibus ſunt famoſi, ideo facilè & vehementer nocere poſſunt Eccleſiæ Dei.

§. Item, propter hoc ſubitò & facilè nocere poſſunt, quia non ſunt extranei, vt tamquam ignoti de falſitate, vel fallacia ſuſpecti poſſint haberi; ſed ſunt indigenæ locorum, & illis, quos decipiunt, plærumque familiares & domeſtici. Matth. 10. *Inimici hominis, domeſtici eius.* Plærique autem illorum fortè conſanguinitate, vel affinitate, vel aliâ neceſſitudine coniuncti. Vnde ſuper illud Iob 30. *Ad dexteram orientis, &c.* dicit Gregorius. *Ideò aſſerit eos contra Eccleſiam illicò ſurgere; quia, dum non ſunt extranei, ſed propinqui, qui perſequuntur, ab eis repentè, & illicò mala fiunt.*

§. Item, *cum nulla ſit peſtis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus*, vt dicit Boëtius *De conſolatione* lib. 3. cap. *An verò Regina*, in fine; idcirco, vt magis nocere valeant, ſimulant, quod ſint ſpirituales amici, cum tamen ſint deceptores & inimici. Vnde ſuper illud Michææ 7. *Noli credere amico*, dicit Gloſ. *Id eſt vocibus Pſeudo-Prophetarum, qui ſe fingunt adulando amicos.* Ecce quod Pſeudo-Prædicatores ſimulant ſe amicos.

§. Non eſt igitur credendum, quod Seductores prædicti venturi ſint à remotis, ad ſeducendum fideles Chriſti; tamquam ſint modò in aliqua parte terrarum Barbari conſtituti, & exinde ad nos per longa terrarum itinera paulatim venturi, quemadmodùm dicitur de illis Perſecutoribus, qui appellantur *Tartari*; ſed magis ſurgunt vbique terrarum, tamquam indi-

genæ locorum, & habitantes ibi, vt dictum eſt paulò antè. De illis enim Prædicatoribus, qui priùs fuerunt ſancti, exurgunt plærumque aliqui peruerſi, quemadmodùm prophetauit Apoſtolus *Act.* 20. dicens. *Ego ſcio, quoniam ex vobis ipſis ſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe; propter quod vigilate memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis commonere vnumquemque veſtrûm*, vt dictum eſt ſuprà in Prologo. Nota ex eo, quod dicit Apoſtolus, *nocte & die non ceſſaui cum lacrymis commonere, &c.* quàm vehementer timebat populo Chriſtiano de Pſeudo-Prædicatoribus, ex eodem populo, & apud eumdem futuris. Et verè timendum eſt; Ipſi enim Seductores Hypocritæ, à Diabolo ſub ſpecie ſanctitatis & Religionis ſeducti, ſub eadem ſpecie ab initio tecti, conſequenter ſeducunt, id eſt, ad ſe ducunt ſimplices fideles ſuâ aſtutâ hypocriſi; deinde verò per ſuam ſeductionem, & aſtutiam multiplicati, & multorum fauore fortificati, reſiſtentes ſibi, per violentiam, & ſeductorum ab eis potentiam perſequuntur; quemadmodùm olim ex eadem cauſa perſecuti ſunt Angelum, *id eſt* Epiſcopum Epheſi, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. in principio; & ſic fiunt detecti. Hoc autem ſic faciunt ad inſtar Antichriſti capitis eorum ſimiliter ſeducturi, & perſecuturi Eccleſiam Dei, vt oſtenſum eſt ſuprà ibidem. Qualiter etiam ſeducent, & perſequentur Eccleſiam Miniſtri Antichriſti, & Satellites eius, tempore ipſius futuri, qui Apocalyp. 20. appellantur *Gog, & Magog*, cum dicitur, *Soluetur Satanas, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog*; vbi dicit Gloſ. *Ad literam, has duas gentes priùs ſeducet, & per eas ad alias procedet.* Nemo autem intelligat, has gentes (quas primò ſeducet Antichriſtus, & per quas ad alias procedet) futuras eſſe barbaras, vel à remotis partibus venturas; ſed magis propinquas, & incolas, vbique per Eccleſiam vniuerſam diſperſas, vt dictum eſt ſuprà. Hæc enim verba Apocalypſis exponit Auguſtinus in lib. 20. *De Ciuit. Dei*, cap. 11. ita dicens. *Gentes quippe iſtæ, quas appellat* GOG ET MAGOG, *non ſunt ſic accipiendæ, quaſi ſint in aliqua parte terrarum Barbari conſtituti; ſiue quos quidam ſuſpicantur Getas & Maſſagetas, propter literas horum nominum primas; ſiue aliquos alios alienigenas, & à Romano Iure ſeiunctos. Totô namque orbe terrarum ſignificati ſunt iſti eſſe, cum dictum eſt.* NATIONES, QVÆ SVNT IN QVATVOR AN-

GVLIS TERRÆ, *easque subiecit esse* GOG ET MAGOG. *Quorum interpretationem nominum esse comperimus* GOG *Tectum*, MAGOG *de Tecto*; *tamquam Domus*, *& ipse*, *qui procedit de Domo. Gentes igitur sunt, in quibus Diabolum*, *velut in abyssо superiùs intelligebamus inclusum*; *& ipse de illis quodammodò sese efferens*, *& procedens*; *vt illæ sint Tectum*, *ipse de Tecto. Si autem vtrumque referamus ad Gentes*, *non vnum horum ad illas*, *alterum ad Diabolum*; *& Tectum ipsæ sunt*, *quia in eis nunc includitur*, *& quodammodò tegitur inimicus antiquus*; *& de Tecto ipsæ erunt*, *quando in apertum odium de operto eruptura sunt*. Et infrà. *Quod verò ait Ioannes*, CINXERVNT CASTRA SANCTORVM, ET CIVITATEM DILECTAM, *non vtique ad vnum locum venisse*, *vel venturi esse significati sunt*, *quasi aliquò vnò locò futura sint castra Sanctorum*, *& dilecta ciuitas*; *cum hæc non sit nisi Christi Ecclesia totò terrarum orbe diffusa*; *ac per per hoc vbicumque tunc erit*, *quæ in omnibus Gentibus erit*, *ibi erunt castra Sanctorum*; *ibi erit dilecta Deo ciuitas eius*; *ibi ab omnibus inimicis suis* (*quia & ipsi in omnibus Gentibus cum illa erunt*) *persecutionis illius immanitate cingetur*; *hoc est*, *in angustias tribulationis arctabitur*, *vrgebitur*, *concludetur*. Quod sic intelligendum est. Primò enim, vt dictum est, ipsi à Diabolo sub aliqua specie Religionis, vel sanctitatis seducti, sub eadem specie seducent simplices fideles Christi, iuxta illud 2. Corinth. 11. *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*; non est ergo mirum, si Ministri eius transfigurentur velut Ministri iustitiæ. Seducent autem eos hôc modô: videlicet, auertentes illos simplices à via veritatis, & communi ac consueto modo viuendi, per quasdam traditiones suas, & vitæ nouitates, quas àsserent esse semitas ad salutem, & modos benè & sanctè viuendi. Vnde Iob 30. post verba prædicta in persona Ecclesiæ *Ad dexteram orientis*, *&c.* subiungit loquens pro simplicibus debilibus & infirmis dicens. *Pedes meos*, id est extremos & debiles, qui facilè falli possunt, *subuerterunt*, id est subuertent, scilicet, Hæretici, vel falsi Fratres, *& oppresserunt*, id est oppriment, *quasi fluctibus*; Id est, obruent corda infirmorum seu imperitorum, sicut tempestas in fluctibus obruit nauim: & hoc facient, *semitis suis*; id est peruersis, & superstitiosis traditionibus, quas dicunt esse semitas ad salutem; & sic *dissipauerunt*, id est dissipabunt, callidâ persuasione, *itinera mea*: id est viam veritatis; *insidiati sunt mihi*, *& prævaluerunt*; Id est

illud 1. Reg. 16. *Homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor*; quomodò possumus aliquos tales homines, bonos exteriùs apparentes, iudicare malos, siue Hypocritas & Seductores, itaut à fidelibus, prout dictum est, euitentur? præsertim, cum dicat Dominus Matth. 7. *Nolite iudicare, &c.* Glossa, *de dubijs; quia de manifesto iudicatur, & non de illis, de quibus incertum est, quô animô fiant, de quibus nemo sine periculo iudicat.* Et infrà eodem cap. super illud, *A fructibus eorum cognoscetis eos*, dicit Glos. *Non à veste, sed ab operibus; quod de manifestis accipitur.* Cum igitur omnes homines à fructibus eorum, id est à manifestis operibus eorum cognoscí debeant, & iudicari; videtur, quod illi, quorum opera manifesta bona esse videntur, non debeant iudicari mali, sed boni; nec sunt euitandi, sed potiùs imitandi.

§. Ad quod dicendum est, quod ex bonis fructibus, id est, bonis operibus, non est iudicandus malus ille, cuius fructus sunt opera illa bona; sed potiùs iudicandus est bonus; quia *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Matth. 7. Sed sciendum est, quod non omnia opera Hypocritarum sunt eorum fructus. Habent enim Hypocritæ quodammodò duo genera operum; *Habere* enim multis modis dicitur. Habent enim quædam opera mala, & de genere malorum, in voluntate, sed non in ostensione, vt sunt opera Voluptatis, Cupiditatis, Ambitionis, & alia huiusmodi, quæ totis viribus occultare nituntur. Et hæc opera sunt eorum fructus mali; quia *Non potest arbor mala fructus bonos facere, nec bona malos.* Matt. 7. Habent autem & alia opera simulata, de genere bonorum in ostentatione, sed non in voluntate; quæ ostendunt hominibus, vt propter speciem bonitatis illorum operum boni esse credantur; vt sunt Ieiunium, Oratio, & Eleemosyna, & cætera opera pietatis. Vnde super illud Matt. 7. *Attendite à falsis Prophetis*, dicit Augustinus. *Ieiunia & Orationes sunt simulatis, sicut & bonis.* Et hæc opera sunt eorum fructus; quia, etsi quandoque quibusdam proficiant per exemplum, propter speciem bonitatis; non tamen hoc faciunt ipsi Hypocritæ, sed de illis hoc fit consiliô Dei; propter quod non sunt illorum fructus, sed magis eis pro vitio reputantur. Vnde super illud Matt. 7. *Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium*, dicit Glos. de Hypocritis. *In conspectu hominum similes sunt Ministris iustitiæ, dum ieiunant, orant, eleemosynas dant; sed*

non ſunt eorum fructus, quia eis pro vitio reputantur, vt dictum eſt ſuprà ead. diſt. §. *Simulant. etiam Religionem.* Ideo de illis dicit Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. HABENTES *quidem* SPECIEM *pietatis*, Gloſ. *Id eſt, Religionis*; VIRTVTEM *autem eius*, Gloſ. *ſcilicet charitatem*, ABNEGANTES; Gloſ. *factis occultis, vel quæ occultare conantur.* Licet igitur illa opera de genere bonorum, quæ faciunt Hypocritæ ſimulando,& quę alijs proficiunt per exemplum,non ſint illorum fructus (quia non poteſt mens mala fructus bonos facere, licet eos valeat ſimulare) tamen fructus ſunt diuinæ bonitatis, cuius conſiliô fit, vt alijs proficiant, non obſtantibus malis voluntatibus Hypocritarum; quemadmodùm vitis, aliquando exuberans ſuper ſpinas, profert botrum, vel vuam, non obſtantibus ipſis ſpinis. Vnde, ſicut carpendus eſt botrus, vel vua exuberans ſuper ſpinas, ſpinæ autem cauendæ; ſic opera Hypocritarum (quæ ſunt de genere bonorum) carpenda ſunt in exemplum,ipſi autem Hypocritæ ſunt cauendi. Vnde ſuper illud Matth. 7. *Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* dicit Gloſ. *Non de ſpinis vel tribulis, vua vel ficus colligitur; quia mens, adhuc veteris hominis conſuetudine preſſa, poteſt ſimulare, ſed non ferre fructus noui hominis. Quod ſi quandoque dicta, vel facta Malorum proſint alijs; non hoc faciunt ipſi Mali, ſed de ipſis fit conſiliô Dei; quia non eorum fructus eſt, ſed vitis, quæ aliquando exuberat ſuper ſpinas. Sed carpendus eſt botrus, ſpina cauenda*

§. Per huiuſmodi ergo opera bona (quæ non ipſi Hypocritæ faciunt ad proficiendum, ſed de ipſis fit conſiliô Dei; Id eſt, quę ipſi faciunt, non ad proficiendum, ſed ad decipiendum; & tamen de illis profectus fit conſiliô Dei) non poſſunt Hypocritæ cognoſci, cum non ſint eorum fructus; ſed ab operibus Mundi huius, *quæ mala ſunt*, vt legitur Ioan. 7. id eſt, ab operibus Voluptatis, vel Cupiditatis, vel Ambitionis, quæ ſunt opera huius Mundi, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, ſecundùm quod exponit Gloſſa ibidem; quæ etiam opera ſunt mali fructus eorum. Ab illis, inquam, operibus cognoſci poſſunt, ſi tamen fuerint manifeſta. Aliquando enim, licet ea occultare ſtudeant, quantùm poſſunt; tamen alijs, eorum peccatis exigentibus, Diuinô Iudiciô manifeſta fiunt. Iudiciô enim Dei iuſtô plærumquæ fit,

Digitized by Google

vt cum ex ſpecie virtutis vnius glorietur Hypocrita, in aliquod apertum peccatum proinde dilabatur. Vnde ſuper illud Iob 4. *Tygris periit, eô quod non haberet prædam*, dicit Gregorius in lib. 5. Moral. *Omnis Hypocrita Tygris eſt; quia, dum mundus color de ſimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim, dum de Caſtitatis munditia extollitur, ſorde Auaritiæ fœdatur. Sæpe, dum Largitatis virtute ſpecioſus oſtenditur, Luxuriæ maculis inquinatur. Sæpe, dum Caſtitatis & Largitatis decore veſtitur, velut ex zelo Iuſtitiæ, Crudelitatis atrocitate fuſcatur. Sæpe Largitate, Caſtitate, Pietate ex pulchra viſione induitur, ſed interfusâ obſcuritate Superbiæ notatur. Sicque fit, vt intermixtis vitijs, dum mundam in ſe ſpeciem vſquequaque Hypocrita non oſtendit, quaſi vnum colorem Tygris habere nequaquam poſsit.* Item, quoniam ſuperbus eſt omnis Hypocrita; licet ſpeciem humilitatis aliquandiu fingat, non tamen ſuam ſemper ſuperbiam celare poteſt; quia, etſi in vno opere tegat illam, in alio tamen opere, Iudiciô Diuinô, detegitur. Vnde ſuper illud Iob 41. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, dicit Gregorius lib. 34. Moral. *Etſi aliquando reprobi fictam ſpeciem humilitatis aſſumunt, ſemetipſos tamen celare in omnibus nequaquam poſſunt; quia eorum ſuperbia diu latere non ſuſtinet; Et cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur.* Ecce qualiter peccata Hypocritarum quandoque manifeſta fiunt, etiam durante ipſorum ſimulatione.

§. Plenè autem, & planè manifeſta fiunt eorum peccata, ipſorum ſimulatione ceſſante. Ceſſat autem eorum ſimulatio pluribus modis. Ceſſat enim ceſſante laude hominum, vel fauore. Vnde ſuper illud Iob 4. *Tygris periit, eô quod non haberet prædam*, dicit Gregorius lib. 5. Moral. *Varietas tuæ ſimulationis extincta eſt, quia & adulatio laudis ablata; Et iam tua hypocriſis prædam non habet, quia percuſſa diuinitùs, humanis fauoribus caret.* Ceſſat etiam plærumque ſimulatio Hypocritæ, adeptô eô, ad quod ſperabat ſe per hypocriſim peruenire. Contingit enim aliquando; quod Hypocritæ, vt honorem huius mundi faciliùs aſſequantur, ſacræ eruditionis ſtudio inſiſtunt, pauperibus ſua diſtribuunt, per habitum Religionis, vel per aliud ſignum virtutis, ſpeciem maturitatis oſtendunt; ſed cum per hoc ad honorem tranſitorium, & ad diuitias proiecti extiterint, tamdem plerumque, ſpecie ſanctitatis relicta, in volupta-

tes, & alia sæcularia desideria se effundunt; & sic indicant quantùm diligant temporalia, qui priùs prædicabant æterna. Vnde super illud Iob 8. *Numquid potest carectum crescere sine aqua?* dicit Gregorius lib. 8. Moral. *Hypocritæ plærumque studio sacræ eruditionis insistunt; & quia hanc, non præparandis animis, sed promerendis fauoribus inquirunt; statim vt iudicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gratiam transitorij prouectus assequuntur, totâ mente sæcularibus inseruiunt, atque à sacra funditùs eruditione euacuantur, & agendo post indicant, quantùm temporalia diligant qui sola priùs æterna prædicabant. Plærumque autem assumptæ speciem maturitatis ostendunt, quiete silentij, longanimitate patientiæ, continentiæ virtute decorantur; sed cum per hoc quæ siti culmen honoris attigerint, protinùs se in lasciuiam voluptatis fundunt; & bona se, non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt. Nonnumquam verò, quæ possident tribuunt, indigentibus cuncta largiuntur; sed tamen ante vitæ terminum auaritiæ prurigine accensi aliena appetunt, qui sua largiri videbantur; & pertinaci post crudelitate ambiunt, quod fictâ priùs pietate reliquerant.* Ecce quod simulatio Hypocritarum cessat, populari laude, vel fauore cessante. Cessat etiam adeptô eô, ad quod sperabat Hypocrita sectando hypocrisim peruenire. Nec mirum, si bona opera, quæ simulant Hypocritæ, plærumque ante mortem eorum cessent, aut deficiant; cum in occulto radicata non existant. Vnde Gregorius in lib. 8. *Moralium* paulò ante prædicta verba dicit. *Sciendum est, quod Iustorum bona, quæ ex charitate proueniunt, vsque ad præsentis vitæ terminum crescunt; Hypocritarum verò opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, sæpe antè deficiunt, quàm præsens vita finiatur.* Per hoc autem, quod bona opera Hypocritarum ante mortem deficiunt, certum est, quod ipsi Simulatores fuerunt. Nam, vt super illud Iob 15. *Congregatio Hypocritæ sterilis*, dicit Gregorius lib. 12. Moral. *Cepta bona quis non amitteret, si antè Hypocrita non fuisset.*

§. Ecce qualiter manifesta fiunt mala opera Hypocritarum, quandoque etiam ipsorum simulatione durante, magis autem ipsorum simulatione cessante. Vnde Luc. 12. *Nihil opertum, quod non reueletur; neque absconditum, quod non sciatur.* Per huiusmodi ergo mala opera Hypocritarum (quæ ipsorum fructus sunt, & quæ aliquando, vt dictum est, iustô Dei iudiciô manifesta fiunt) Ipsi Hypocritæ plærumque cognosci possunt. Vn-

Digitized by Google

de & ab impatientia eorum tempore aduersitatis, tamquam ab eorum fructu malo cognosci possunt. Vnde super illud Matt. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, dicit Glossa. *Maximè autem per impatientiam discernuntur tempore aduersitatis.* Verbi gratiâ, vt si fortè aliqua eis subtrahantur, quæ per hypocrisim adepti erant; vel eis negentur, quæ se adepturos per hypocrisim sperabant; tunc verè apparet, vtrùm sint tales, quales se ostendebant. Vnde Augustinus super eodem. *Cum cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa eis subtrahi, vel negari, quæ istô velamine consecuti sunt, vel consequi cupiunt; tunc necesse est, vt appareat, vtrùm lupus in ouina pelle sit, an in sua.*

§. Item, ex eo etiam cognosci possunt Hypocritæ, quod ex infirmitate peccantibus minimè compatiuntur; sed eos tamquam indigniores dedignantur; quod est signum hypocrisis, siue falsæ iustitiæ, manifestum. Nam, vt dicit Gregorius lib. 19. Moral. *Vera Iustitia compassionem habet; falsa verò dedignationem.* Et habetur *in Decretis*, dist. 45. can. *Vera.*

§. In hoc etiam verè cognosci possunt aliqui esse Hypocritæ, si se spiritualia sola diligere, temporalia verò contemnere profitentes, iacturam tamen, etiam leuem, temporalis honoris, vel commodi, & magis quàm spiritualem, cum spiritus commotione defendant, vel repellant. Vnde super illud Iob 39. *Frustra laborauit nullô timore cogente*, dicit Gregorius lib. 31. Moral. *Hypocrita, si quod sibi leuiter inferri temporale damnum sensérit, in vltionis iram repentè ab intimis inardescit. Mox patientia rumpitur. Mox dolor cordis in vocibus effrænatur. Quia, dum animarum damnum æquanimiter tolerat, iacturam verò rerum temporalium repellere, etiam cum spiritus commone festinat; cuncta veraciter indicat, teste mentis perturbatione, quid amat. Ibi quippe est grande studium defensionis, vbi est grauior vis amoris; sine dolore autem amittitur, quidquid sine amore possidetur.*

§. Ex eo etiam aliquando cognosci possunt Hypocritæ, quando student inuenire, & inducere nouitates, speciem sanctitatis habentes, vt exinde cum quadam admiratione ab hominibus sanctiores alijs reputentur, & ex hoc apud homines glorientur. *Nouitatum etenim præsumptiones, sicut & hypocrisis, ex vana gloria oriuntur*, vt dicit Gregorius lib. 31. *Moralium* super illud Iob 39. *Procul odoratur bellum &c.* In hoc

ergo imitantur Diabolum, qui ſemper diligit nouitates. Vnde Eccleſiaſt. 10. ſuper illud, *Qualis Rector ciuitatis, tales habitantes in ea*, dicit Gloſſa. *Væ terræ, cuius Rex puer eſt. Diabolus ſcilicet, qui ſemper diligit nouitates.*

§. Sic ergo patet, qualiter Seductores Hypocritæ, licet difficilè, tamen aliquô modô à fructibus ſuis, id eſt à ſuis malis operibus, cognoſci poſſunt. Licet etiam aliqua illorum operum quandoque deprehenſa, & cognita, ſub ſpecie pietatis palliare nitantur; vt ſi fortè propter gloriam, aut aliud commodum temporale, ſine miſſione canonica prædicauerint plebibus alienis; aut cuiuſquam proprietates rimando, confeſſionibus audiendis ſe ingeſſerint, quæ non eſt dubium mala eſſe, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. vel ſi nouitates ſuperſtitioſas in populo Dei, præter Eccleſiæ ordinationem induxerint, quod ſimiliter non eſt dubium malum eſſe, vt oſtenſum eſt ſuprà §. proximô; Tamen dicunt hoc ſe facere ex charitate, propter zelum ſcilicet animarum, vt pote miſſos à Deo, vt aſſerunt, ad ſupplendum ſcilicet negligentiam, vel impotentiam, vel ignorantiam Prælatorum. Si verò in caſu non conceſſo mendicauerint (quod ſimiliter non eſt dubium malum eſſe, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2.) tamen dicunt ſe hoc facere ex humilitate; videlicet vt ſic ſeipſos ex humilitate vilificent; *Cum tamen ex ipſa vilitate velint vltra homines prædicari*, vt dicit Gloſ. ſuper illud Matth. 6. *Exterminant facies ſuas.* Si autem ad aliena negotia gerenda ſe curiosè ingeſſerint (quod ſimiliter non eſt dubium malum eſſe, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. versùs finem) tamen dicunt hoc ſe facere ex pietate; curam ſcilicet habentes ex pietate, de negotijs proximorum; cum tamen non pauperum agant negotia, ſed locupletum tantùm, vel conſanguineorum, vel domeſticorum ſuorum, vel etiam *Beguinarum* ſuarum. Si verò ſibi, aut ſuis, honores Eccleſiaſticos procurare deprehenſi fuerint; dicunt, quod hoc faciunt, non ad ſuam, vel ſuorum promotionem, ſed ad profectum animarum, *quoniam zelus domus Dei comedit eos*; Et ideo volunt ſe exponere, vt dicunt, labori & ſollicitudini regiminis animarum. Si verò iacturam honoris ſui, vel commodi temporalis defendant, vel repellant; dicunt, quod hoc ex charitate faciunt; videlicet, vt ſic malitiam eorum, qui eos impugnando grauiter peccant, charitatiuè reprimant & compeſcant, vt oſtendetur

Digitized by

infrà dist. 4. in 27. signo, §. *Sed fortè*. Et sic in omnibus factis suis colorem inuenientes, semper simulant charitatem, vt decipiant, vt ostensum est suprà ead. dist. §. *Item, cum inter malos Christianos*; FACILE EST *enim simulare, sed difficilè est habere virtutem*, vt dicit Augustinus in libro *De moribus Ecclesiæ*; & ideo cum magna difficultate ab alijs hominibus cognosci possunt. Non igitur statim iudicandi sunt boni vel mali, quorum opera exteriora bona esse videntur, vt sunt Orationes, Ieiunia, Eleemosynæ, & alia opera pietatis. Sed quoniam *huiusmodi opera sunt simulatis, sicut & bonis*, vt dicit Augustinus super illud Matt. 7. *Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium*; Idcirco, si qui talia opera præter communem modum viuendi ostendant (præcipuè si Prædicatores fuerint, de quorum canonica missione non constet) non statim recipiendi sunt, vel credendi; sed debent omnia illorum opera & verba diligenter attendi; vt, si fortè Hypocritæ Seductores comperti fuerint (quod modis prædictis, & alijs signis infrà dist. 4. dicendis, potest aliquatenùs comperiri) possit, auxiliante Dominô, eorum seductio euitari. Nam, sicut dicit Glossa super illud Matt. 7. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* QVAMVIS *dicant Domine, Domine, non continuò sunt credendi; hoc enim dicunt, vt ab hominibus recipiantur.* Ideoque monet Apostolus 2. Corinth. 10. dicens. *Quæ secundùm faciem sunt, videte.* Gloss. *Id est, diligenter eorum opera considerate, qui in vestro conspectu tantùm bona agunt, ne fortè vos seducant.* Et super illud Philipp. 3. *Obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*, dicit Ambrosius in Glossa. *Vult illos esse sollicitos, ne prauorum hominum subtilitate, vel sublimitate capiantur; & notare vnumquemque, qualiter & conuersetur, & doceat; vt his iungantur, in quibus sensum Magistri sui agnouerint.*

§. Hic quæri posset. Cum falsi Prædicatores Hypocritæ maximè periculosi sint Ecclesiæ generali, vt ostensum est suprà, & adhuc ostendetur infrà; Quare Dominus non dedit nobis doctrinam specialem, & certam, & infallibilem ad cognoscendum eos, vt eorum pericula euitare possemus; sicut dedit doctrinam generalem, dicens Matt. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

§. Ad quod dicendum est, quod hoc ideo; vt ad cognoscendum eos, & certando contra eos, semper essemus in studio

& in agone. Et hoc dicit Chryſoſtomus ſuper locum illum his verbis. *Quare non dedit Deus doctrinam, quâ cognoſcerentur?* Et reſpondet. *Quia voluit nos eſſe in agone ſemper.*

§. Nec miretur quis, ſi difficilè ab alijs cognoſcuntur Hypocritæ; cum etiam ipſi quandoque propter laudem popularem immoderatam, ad tantam excæcationem perueniant, quod etiam ſeipſos plærumque eſſe Hypocritas non cognoſcant; ſed tales plærumque ſe eſſe exiſtimant apud Deum, quales à deceptis hominibus æſtimantur. Vnde ſuper illud Iob 20. *Velut ſomnium auolans, non inuenietur*, dicit Gregorius in libro 15. Moralium. *Hypocritæ, dum ab omnibus immoderatè laudantur, tales ſe quoquè apud Deum eſſe exiſtimant, quales ſe gaudent hominibus innotuiſſe. Vnde fit, vt etiam æternæ vitæ præmia ſe percepturos præſumant; & qui hîc de humanis fauoribus exultant, illic ſe habituros requiem omninò non dubitent.* De talibus poteſt intelligi, quod dicit Salomon Prouerb. 14. *Eſt via, quæ videtur homini iuſta; nouiſſima autem eius ducunt ad mortem.* Gloſ. *Aliquando homines pondere corruptionis adhuc grauati, dum bona appetunt, ſub ſpecie boni per mala currunt; & dum bona deſiderant, quà gradiantur ignorant.* Ecce ſummè periculoſum peccatum; de alijs enim peccatis pœnitere poſſunt peccatores propter conſcientiam arguentem; Hypocritę verò, cum propter immoderatam laudem populi ſe plærumque ſanctos exiſtiment, vt dictum eſt, adeò vincti ſunt in peccato hypocriſis, quod pœnitere non poſſunt; cum non habeant conſcientiam arguentem, ſed potiùs defendentem, & ſtatum ſuum approbantem; & ideo non clamant ad Dominum pro indulgentia obtinenda, ſed in peccatis ſuis moriuntur. Vnde ſuper illud Iob 36. *Non clamabunt, cum vincti fuerint*, dicit Gregorius in lib. 26. Moral. *Vincti non clamant Hypocritæ, quia humanæ laudis auiditate ſuperati, ſanctos ſe eſſe miſeri, etiam cum in peccatis moriuntur, putant.* Item Gregorius in Homil. *Quò ſe peccatores eſſe non credunt, eò deteriùs peccatores fiunt.* De his dicit Salomon Prouerb. 30. *Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota ſordibus ſuis.*

§. Item, ideo periculosè falluntur Hypocritæ; quia, cum peccatum ſuum hypocriſis (quam *Beguinagium* ſuperſtitioſô nomine vocant) reputent eſſe virtutem, de remedio cogitare non

non possunt. Vnde Seneca *Ad Lucilium* Epist. 28. *Quidam vitijs gloriantur. Tu illum existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum locô numerauit. Ideo quantum potes, teipsum coargue & inquire.* Ideo etiam dicit Seneca paulò antè. *Initium salutis est notitia peccati. Egregiè hoc mihi videtur dixisse Epicurus; nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes.*

§. Quoniam igitur Hypocritæ, se sanctos putantes de peccatis suis non facilè pœnitent, nec corriguntur; ideò vix, aut numquam saluantur. Vnde Iob 13. *Non veniet in conspectu Saluatoris omnis Hypocrita.*

§. Quoniam ergo, vt dictum est, Seductores Hypocritæ sub specie pietatis (à qua tamen sunt aridi) periculosi sunt, non solùm alijs, sed etiam sibi; ideo contra illos dicit Ecclesiasticus cap. 37. *O præsumptio nequissima! Vnde creata es cooperire aridam malitiâ, & dolositate illius?* Glos. *Quâ decipit etiam seipsum.* Item alia Glossa ibidem. *Detestatur hypocrisim, cum malus se bonum esse simulat, cooperiendo aridam malitiâ, in qua scilicet non est pinguedo charitatis, vel misericordiæ.*

§. Patet igitur ex præmissis, quàm multis, & varijs modis simulationum decipiant homines Seductores prædicti; & quàm difficilè possunt cognosci. Propter quod maximè curandum est, & studendum, vt aliqua signa valeant deprehendi; & semper in corde habendum, quod de illis dicit Apostolus 2. *Timoth.* 3. HABENTES *quidem* SPECIEM *pietatis.* Glos. *Id est, Religionis;* VIRTVTEM *autem eius.* Glos. *Id est, charitatem,* ABNEGANTES. Glos. *factis; videlicet, occultis, vel quæ occultare conantur,* vt dictum est suprà §. *Ad hoc dicendum,* & §. *Similiter huiusmodi.* Patet etiam, quàm sint periculosi propter suam hypocrisim, non solùm deceptis, vel decipiendis ab eis, sed etiam sibi ipsis, vt ostensum est suprà dist. 1. §. vlt.

§. Si qui autem simplices fideles Christi, eorum simulationibus decepti (fortè propter quorumdam eorum paupertatem & mendicationem, quam propter Christum se asserunt elegisse; vel propter eorum prædicationem, per quam multis se dicunt proficere; vel propter eorum opera simulata, quæ videntur bona esse) eos sanctos existimantes, illis faueant, & in præsumptionibus suis eos defendant, periculosè falluntur; præsertim, quoniam propter eorum fauorem Hypocritæ in sua simulatio-

Digitized by Google

ne & deceptione perdurant. Nulli enim essent Simulatores, si nullos haberent fautores. Vnde super illud Iob 20. *Neque vltrà eum intuebitur locus eius*, dicit Gregorius lib. 15. Moral. *Quis est locus Hypocritæ, nisi cor adulantium? Ibi quippe requiescit, vbi fauores inuenit.* Et ideo fautores Hypocritarum sunt plurimùm corrigendi. Vnde August. in lib. *De Opere Monach.* de talibus loquens (*Hypocritis* scilicet, *Otiosis, Curiosis, & Gyrouagis*, de quibus locutus est in illo libro) cap. 31. dicit. *Sciant igitur cæteri Fratres, & Filij nostri, qui fauere talibus, & huiusmodi præsumptionem defendere consueuerunt, se potissimùm corrigendos.* De varijs ergo modis simulationum ac deceptionum *Pseudo-Prædicatorum, & Penetrantium domos, & aliorum Hypocritarum* hæc ad præsens sufficiant.

Explicit Tertia Distinctio.

Digitized by Google

INCIPIT

QVARTA DISTINCTIO

DE SIGNIS

QVIBVS PSEVDO-PRÆDICATORES à veris Prædicatoribus possunt discerni.

QVARTA DISTINCTIONE, ne propter ea, quæ dicta sunt de simulationibus Pseudo-Prædicatorum, & Penetrantium domos, & aliorum Hypocritarum, possent veri Prædicatores Christi, ac veri Religiosi (quod absit) in aliquam malam suspicionem adduci; præsertim, cum Seductores prædicti transfigurantes se in Apostolos Christi 2. *Corinth.* 11. simulent se missos esse à Deo, ad procurandum salutem animarum, & supplendum negligentiam, vel impotentiam, vel ignorantiam Prælatorum, vt dictum est suprà dist. 3. §. *Sic ergo patet, quod Pseudo*; idcirco assignari oportet aliqua signa Diuinæ & Canonicæ Scripturæ, per quæ, seu per quorum collectionem possint Pseudo-Apostoli, seu Pseudo-Prædicatores à veris Apostolis, seu veris Prædicatoribus competenter discerni; vt in quibus signa Apostolorum, vel signa contraria veris Apostolis apparebunt (saltem si de ipsorum Apostolatu, seu canonica missione non constiterit) Pseudo-Apostoli, aut Pseu-do Prædicatores certiùs possint intelligi; vel saltem, vt caueatur ab eis, suspecti haberi.

§. Notandum autem, quod licet tres modos tantùm assignauerimus, quibus aliquis Prædicator Pseudo dici potest (videli-

Digitized by Google

cet, ſi prædicet non miſſus, vel non canonicè miſſus; Item, ſi prædicet contra, vel præter authoritatem Diuinæ Scripturæ, vel doloſè taceat veritatem; Item, ſi prædicet veritatem in dolo ſubditis alienis, ad alliciendum eos ſibi, & auertendum à conſilijs Prælatorum ſuorum, & à doctrina Doctorum veracium, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Quoniam igitur futura*, & Paragraphis ſequentibus, vſque ad illum §. *Notandum verò*) tamen, non illa tria tantùm ſigna ſunt cognoſcendi Pſeudo-Prædicatores, ſed & alia; videlicet, ſi habeant, etiam in alijs, mores contrarios veris Apoſtolis; vel ſi omittant illud, ad quod veri Prædicatores tenentur; vel ſi habeant mores ſimiles Pſeudo-Apoſtolis, & de ipſorum Apoſtolatu, vel canonica miſſione non conſtet. Quod ideo dicimus; quia, licet multi ſint mali Prælati, habentes mores contrarios veris Apoſtolis; vel omittentes, quæ pertinent ad veros Apoſtolos; tamen, quoniam de ipſorum Apoſtolatu, vel canonica miſſione, ſeu vocatione conſtat; ideo non ſunt inter Pſeudo computandi; dum tamen falſa contra doctrinam Eccleſiæ ſcienter non prędicent, vel errores.

§. Tria ergo prædicta, quæ faciunt Prædicatorem eſſe Pſeudo, pro tribus ſignis ponentes; Dicimus, quod Primum Signum poteſt eſſe ad cognoſcendum Pſeudo, Si prædicet quis non miſſus, vel non canonicè miſſus, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt 1. §. *Quoniam igitur futura*, &c. Talis enim Prædicator *non eſt idoneus, ſed præſumptor, & reprobus*, vt dicit Gloſſa ſuper illud 2. Corinth 10. *Non enim, qui ſeipſum commendat*, &c. Qui autem ſint rectè miſſi, aut rectè ad prædicandum vocati, dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Eorum autem à Deo*, & §. *Miſſi autem à Deo*, & §. *Quoniam igitur*, *vt dictum eſt*.

§. Secundum Signum poteſt eſſe, Si prædicet quis falſa Diuinæ Scripturæ contraria; vel, ſi quis, vt ſic fauorem popularem acquirat, prædicet quædam falſa populo placentia, nec in Scripturis contenta, nec Scripturis contraria; vel prędicet præter authoritatem Scripturæ quædam falſa ad ſuum honorem pertinentia, ſub eo prætextu, quod ad laudem Dei pertinere videantur; vel in dolo taceat, quod docendum eſt, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Item eorum*, & §. *Præter veritatem*, & ſuprà in Prologo §. *Fideles igitur ſerui Chriſti*.

§. Tertium Signum poteſt eſſe, Si prædicet quis veritatem

Digitized by Google

in dolo, ad fallendum & seducendum subditos alienos; alliciendo scilicet eos sibi, & à Prælatis propriis auertendo, vt ostensum est suprà dist. 1. § *Quidam autem canonicè.*

§. Quartum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores non penetrent domos; rimando scilicet proprietates, siue conscientias hominum, ad eorum regimen impertinentium, vt per hoc eos redigant in suam potestatem, quasi captiuos. Hoc enim reprobat Apostolus, tamquam Ecclesiæ periculosum 2. Timoth. 3. vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Post hæc autem dicendum.* Maximè, si postquàm rimati fuerint hominum secreta, reuelent alijs, quæ occultanda nouerunt; etsi enim aliquorum secreta nouerint veri Apostoli, non tamen reuelant ea hominibus, qui obesse valeant, non prodesse. Iuxta illud Eccles. 27. *Qui denudat arcana Amici, fidem perdit.* Et in eod. cap. *Denudare Amici mysteria, desperatio est animæ infœlicis.* Pseudo verò, *per quos instabunt tempora periculosa*, reuelant aliorum secreta. Vnde 2. Timoth. 3. appellat eos Apostolus *Proditores*, Glossa. *secretorum alterius; dum reuelant inimicis piorum, quæ occultanda nouerunt.* Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica missione, seu vocatione non constet) talia, non semel, vel rarò; sed frequenter, & quasi ex more faciant; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Quintum Signum potest esse, Quod Pseudo, cum legitimam potestatem, seu authoritatem prædicandi vel animarum regimen exercendi non habeant, eò quod missi canonicè non existant; vt tamen dominari valeant plebibus alienis, dictam potestatem in subditos alienos sibi vsurpant. Et vt magis eis credatur, nomen sibi authenticum arrogantes, nomini suo vendicant authoritatem (forsan appellantes se *Prædicatores*, vel, *Opitulationes Ecclesiæ generales*) vt authoritatem prædicandi, vel aliter animarum regimen exercendi, videantur habère; cum tamen *Prædicator* nomen sit actus, non dignitatis, vel potestatis; *Apostolus* autem nomen sit dignitatis, vel potestatis, vt dicit Glossa super illud 1. Timoth. 2. *In quo positus sum ego Prædicator, & Apostolus.* Opitulationes verò sunt, non qui adferendum opem Prælatis Ecclesiarum se ingerunt; sed qui per ordinationem Ecclesiæ, vt Archidiaconi; aut per delegationem Maiorum ad ferendum opem Maioribus canonicè ordinati existunt, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Quoniam igitur,* vt

Digitized by Google

dictum est. Hoc autem non faciunt, id est potestatem non sibi vsurpant veri Apostoli. Vnde super illud 2. Corinth. 10. *Non enim audemus nos inserere, aut comparare quibusdam, qui seipsos commendant*, dicit Glossa. *Quia non sumus sicut Pseudo, vt potestatem vsurpemus, sed à Domino electi accepimus, nihil vltra concessum præsumentes. Illi autem non acceptâ potestate, sed vsurpatâ dominari volunt, nomini suo vendicantes authoritatem.* Veri ergo Apostoli, non nisi in Domino gloriari volentes, iuxta illud 2. Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, Gloss. *Qui potestatem vult exercere, exerceat eam in mensura sibi à Deo data*; mensuram sibi à Deo datam non excedunt, sed diligenter obseruant; non exercentes scilicet potestatem in subditos alienos. Vnde 2. Corinth. 10. vt ostendat Apostolus differentiam verorum Apostolorum ad Pseudo dicit. *Nos autem non gloriabimur in immensum.* Glos. *Id est non exercebimus potestatem vltra mensuram nostram*; SED *gloriabimur secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus.* Gloss. *Id est secundum mensuratum mihi à Deo populum, cuius ego sum regula ad dirigendum.* Et 2. Corinth. 10. dicit Apostolus. *Non habentes spem gloriari in aliena regula.* Id est *Non speramus exercere potestatem in illis, qui sunt de regimine alieno.* Vnde Glossa ibi. *Nec illi, qui vltra vos sunt, de alieno regimine sunt.* Vnde regulam alienam appellat illos, qui de alterius regime sunt. Sequitur in Glossa. *Deinde exponit, quî dixerit* IN ALIENA REGVLA; scilicet *In his quæ præparata sunt.* Glossa. *Ab alijs Prædicatoribus; quia his prædicabat Apostolus, quibus non erat annunciatum, vt gloriam*, scilicet æternam, *suô labore quæreret.* Regulam ergo alienam appellat Apostolus illos, qui erant de alterius regimine. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica missione, seu vocatione non constet) ex more nomini suo vendicent authoritatem (vt si fortè *Prædicatores*, vel *Opitulationes Ecclesiæ* se appellent, vt dictum est) & ex eo potestatem prædicandi, vel aliud animarum regimen exercendi sibi vsurpent in subditos alienos; non videntur esse veri Apostoli; sed suspecti potiùs haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Sextum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores, priusquàm potestatem Ecclesiasticam sibi aliquô modô commissam exerceant, an sint à Deo, vel ab Ecclesia rectè missi, seu rectè vocati, diligenter attendunt; quô considerato, terminos

Digitized

poteſtatis ſuæ non excedunt, aliud quàm quod iniunctum eſt vſurpando. Pſeudo verò prædicta minimè attendentes, ſi qua certa poteſtas eis, fortè etiam minùs canonicè, commiſſa fuerit (verbi gratiâ prædicandi) vtrùm canonicè commiſſa fuerit, non attendunt; & non illâ poteſtate contenti, terminos ſuos transgrediuntur; remiſſiones fortè, ſeu indulgentias; ac ſi eſſent Epiſcopi, faciendo, ſuſpendendo, vel excommunicando, vel abſoluendo ſubditos alienos, vel cum ijs diſpenſando, vel poteſtatem aliam Eccleſiaſticam exercendo. Vnde 2. Corinth. 10. ad differentiam verorum Apoſtolorum à Pſeudo dicit Apoſtolus. *Sed ipſi in nobis noſmetipſos metientes.* Gloſſa. *An à Deo miſſi ſimus, diligenter attendimus; & non aliud quàm quod nobis iniunctum eſt, vſurpamus; Tantâ enim poteſtate vtimur, quantâ nobis conceſſa eſt ab Authore; nec menſuram, nec modum egredimur.* Nota quod dicit *nec menſuram, nec modum egredimur.* Menſuram dicit, contra exceſſum in populo non commiſſo, de quo exceſſu dictum eſt in præcedenti ſigno. Modum verò, contra exceſſum in poteſtate non commiſſa. Item in eod. cap. *Non enim ſuperextendimus nos.* Gloſſa. *Superextendi eſt vltrà extendi, quàm conceditur.* Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica miſsione, ſeu vocatione non conſtet) modô prædictô, vel aliô; ex more menſuram, vel modum excedant, non videntur eſſe veri Apoſtoli; ſed potiùs ſuſpecti haberi poſſunt, ne ſint Pſeudo.

§. Septimum Signum poteſt eſſe, Quia veri Prædicatores (præcipuè quibus non ſunt certæ Eccleſiæ, vel certæ Prouinciæ aſsignatæ, prout aſſignatæ fuerunt omnibus Apoſtolis, Paulô dumtaxat exceptô, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Item certum eſt*) dum vident immenſam multitudinem Infidelium nondum ad fidem Chriſti conuerſam, libentiùs vadunt ad eos conuertendos, quàm ad illos, qui iam conuerſi proprios habent Apoſtolos, id eſt proprios Epiſcopos & Presbyteros, eorum regimini ſpecialiter deputatos; ne videantur velle ſuper alienum fundamentum ædificare, ſeu gloriari in laboribus alienis; & etiam, vt exinde maiorem quærant gloriam apud Deum; niſi fortè ab Eccleſia ob cauſas neceſsitatis, vel vtilitatis, ad iam conuerſos confirmandos ſpecialiter deſtinentur; ſicut B. Ioannes deſtinatus fuit ad Epheſios confirmandos; vel niſi velint confirmare à ſeipſis conuerſos; ſicut fecerunt Paulus & Bar-

nabas Act. 15. dicentes. *Reuertentes visitemus Fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus, quomodò se habeant.* Vnde Rom. 15. dicit Apostolus. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus est Christus.* Glos. *Ab alijs Apostolis.* Sequitur. *Ne super alienum fundamentum ædificarem.* Gloss. *Id est. Ne prædicarem iam per alios conuersis; malebam enim iacere fundamentum vbi non erat, quàm super aliorum prædicationem.* Quasi diceret. *Illud reputabam vtilius, quàm istud.* Item 2. Corinth. 10. dicit Apostolus. *Non sumus in immensum gloriantes*, Id est *potestatem exercentes* (sic enim exponitur, *gloriari*, paulò ante.) *In alienis laboribus.* Gloss. *Vbi alius fundamentum fidei posuisset; quod esset vltra mensuram gloriari*; supple *Nisi ad hoc ob causas prædictas essemus specialiter destinati.* Sequitur. *Spem autem habentes secundum regulam nostram.* Glos. *Id est, secundùm regimen nostrum.* ETIAM *in illa, quæ vltra vos sunt, Euangelizare, non in aliena regula*; Id est *Non in alieno regimine*; scilicet *In his quæ præparata sunt.* Glos. *Ab alijs Prædicatoribus. Quia his prædicabat Apostolus, quibus non erat annunciatum, vt gloriam*, scilicet æternam, *labore suo quæreret*, vt dictum est suprà ead. dist. 5. signo. Nota, quod Apostolus, licet haberet generalem legationem in Gentibus vniuersis, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Item, certum est*; tamen potiùs eligebat prædicare in fidelibus conuertendis, quàm fidelibus per alios iam conuersis, & habentibus alios Prædicatores sibi specialiter deputatos. Et hoc, vt ex eo mereretur gloriam apud Deum; & ne videretur gloriari. Vnde Augustinus reprehendit quosdam Monachos Carthaginenses, qui quasi missi essent à Deo, vel ab Ecclesia, prædicabant; non in fidelibus conuertendis; sed Christianis iam conuersis, eorum regimini non commissis, sed proprios Prælatos habentibus; gloriantes & dicentes, se in hoc plurimùm occupatos; & sub hoc prætextu volebant victum habere de Euangelio ab Auditoribus suis, manibus otiosis. Et cum eis obijceretur, *Apostolum, non de sua prædicatione, sed de labore suo corporali vixisse*; replicabant dicentes. *Quo tempore operabatur Apostolus corporaliter, cum fere quotidie prædicaret?* Et appellat eos Augustinus *Otiosos* in libro *De Opere Monach.* cap. 14. sic dicens. *Isti autem, qui tamquam multùm negotiosi & occupati, de tempore operationis Apostoli inquirunt, quid agunt? Numquid ipsi ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum mare, terras Euangelio repleuerunt?*

Aut

Digitized by Google

Aut quicquid Gentium Barbararum remanſit adhuc obeundum & implendum? Quaſi diceret. *Cuiuſmodi terras, & Gentes, ad fidem Chriſti conuerterunt; ex quo non habent certas Chriſtianorum Prouincias, aut certas Eccleſias ſibi ad regendum commiſſas?* Et infrà. *Nouimus eos in quamdam ſanctam ſocietatem otioſiſſimè congregatos.* Quaſi diceret. *Si miſſi per Diuinam Inſpirationem, vel per Angelum, vel per Eccleſiam, prædicarent Infidelibus, conuertendo illos ad fidem; tunc non eſſent otioſi.* Sicut fecit B. Benedictus, qui per Diuinam Inſpirationem miſſus, conuertit ad fidem Chriſti Idololatras Montis Caſſini; Vel ſicut Equitius Monachus, qui ad prædicandum miſſus fuit per Angelum; vt dicit Gregorius *in Dialogo*; Vel ſicut illi, qui mittuntur à Summo Pontifice, vel Minoribus eô Prælatis, vt dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Iſtorum autem.* Sed prædicando Chriſtianis, eorum regimini non commiſſis, ex hoc viuere volentes manibus otioſis, ſine canonica miſſione, debent otioſiſſimi reputari.

§. Sed fortè obijciet Pſeudo-Prædicator dicens. Nonne licet Prædicatori prædicare iam per alios conuerſis, ad confirmandum eos in fide, & moribus Chriſtianis? Sic enim faciebat Narciſſus Presbyter in Eccleſia primitiua. Vnde Rom. 16. ſuper illud, *Salutate eos, qui ſunt de Narciſſi domo*, dicit Gloſſa. *Narciſſus iſte fuiſſe Presbyter dicitur, qui ſicut legitur in alijs codicibus, peregrinando confirmabat Sanctos Fratres.* Item ſuper verbo prædicto Rom. 15. *Sic autem prædicaui Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus*, dicit Gloſſa prædicta. *Ne prædicarem iam per alios conuerſis.* Et addit. *Non quod hoc non facerem, ſi contigiſſet; ſed malebam iacere fundamentum fidei, vbi non erat, quàm ſuper aliorum prædicationem*, vt dictum eſt ſuprà eodem ſigno. Ergo verus Prædicator licitè poteſt prædicare iam per alios conuerſis; licet multos adhuc inueniat conuertendos.

§. Ad quod dicendum eſt, quod veri Prædicatores, habentes etiam generalem legationem, prout habebat Paulus; etſi licitè valeant prædicare iam per alios conuerſis, ad confirmandum eos in fide & moribus; tamen, niſi ſpecialiter deſtinati ſint ad eos confirmandos, vt oſtenſum eſt paulò antè, magis ſemper eligunt tamquam vtilius, prædicare conuertendis, quàm conuerſis proprios Prædicatores habentibus, vt oſtenſum eſt paulò antè. Vnde poſtquàm dixit Gloſſa prædicta,

non in alienam; Sicut Paulus missus ad Gentiles, non in Iudęam, sed in Gentilitatem profectus est; licet quandoque prædicauerit Iudæis commorantibus inter Gentiles, vt legitur *Act.* 13. & 14. Vnde super illud Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*, dicit Gloss. *Iuxta conditum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, ad magisterium Gentium profectus est.* Certum est autem, quod illos Prædicatores, quos statuit Dominus supra pedes suos (in qua specie situs minùs tangitur terra) Id est illos Prædicatores, qui nec proprias vel communes habent, vt dicunt, possessiones terrenas (propter quod magis idonei sunt ad proficiscendum quocumque missi fuerint, cum non habeant certum victum eos alicubi detinentem; quàm illi, qui possessionibus immobilibus coëtuntur) Vel illos Prædicatores, quos statuit Dominus supra pedes suos; Id est illos Prædicatores, *qui* secundùm quod dicit Glossa *magis dominantur sibi & affectibus suis, & magis eriguntur à terrenis, quàm alij*; Illos, inquam, misit Dominus ad prædicandum, non orthodoxis, sed infidelibus; qui, vel quorum Patres, à fide apostatarunt. Vnde Ezechiel. 2. postquàm *Statuit Spiritus Domini* Ezechielem *supra pedes suos*, dixit ei. *Fili hominis, ecce mitto te ad Gentes Apostatrices.* Glossa à fide. *Quæ recesserunt à me.* Glos. Id est à bona operatione. *Quorum Patres præuaricati sunt pactum meum.* Igitur, cum istud non fuerit dictum Ezechieli propter ipsum solum (fuit enim Prophetia futurorum) Restat quod illi Prædicatores, qui modô prædictô secundùm suam professionem & assertionem statuti sunt supra pedes suos; Id est, qui asserunt iuxta suam professionem se non debere habere possessiones terrenas; asserunt etiam se præ cæteris dominari sibi & suis affectibus, & prę cæteris erigi à terrenis. Illi, inquam, si se à Deo per inspirationem missos asserant, non per Ecclesiæ canonicam misionem; videtur, quod missi existant, non ad Fideles Christianos, sed ad Hæreticos, vel Iudæos, vel Paganos conuertendos; qui vel in se, vel in Patribus suis apostatauerunt à Lege Domini, vel à fide recta.

§. Si qui ergo Prædicatores, tales, & taliter, & ad tales missi, non ad illos conuertendes proficisci velint, sed ex more potiùs ad Catholicos Christianos (præsertim, si de ipsorum canonica missione ad Christianos canonicè non constet) videtur, quod non in suam, sed potiùs in alienam eant legatio-

nem; & ideo non videntur esse veri Apostoli sed Pseudo. Et probabiliter timeri potest, ne per tales periclitetur Ecclesia, nisi eiiciantur de illa, donec vadant in legationem suam. Quemadmodùm contigit de Iona Propheta; qui, cum à Domino missus fuisset in Niniuen ad prædicandum, noluit eò ire; sed fugere voluit à facie Domini in Tharsis; & ideo nauis, quam ascenderat, vt transfretaret in Tharsis, periclitabatur, donec inde eiectus est ipse Ionas, vt legitur *Ionæ* 1. & 2. Eodem enim modô potest dici (vt videtur) de illis, qui missi sunt à Domino ad prædicandum in Niniuen (quæ interpretatur *Spatiosa*) Id est ad prædicandum Iudæis, Paganis, & Hæreticis supradictis, qui ambulant *in via spatiosa, quæ ducit ad perditionem* Matth. 7. quoniam, si non vadant ad illos, iuxta præceptum Domini sed aliorsùm conuertantur, fugientes à facie Domini in Tharsis (quæ interpretatur *Exploratio gaudy* siue *lætitiæ*) Id est, ingerant se ad prędicandum fidelibus Christianis, explorando apud quos lætantiùs recipiantur, & cum maiori gaudio procurentur; probabiliter timeri potest de talibus, ne nauis, in qua sunt (Id est Ecclesia) dum tales sunt in ea, periclitetur per illos, nisi eiiciantur de illa; donec sic coacti vadant ad suam legationem. Quod tamen, quoniam per figuram & interpretationem dictum est (sicut & alia in diuinis literis minùs plenè expressa) relinquimus iudicio superioris.

§. Nonum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores vanam gloriam non quærunt, iuxta exemplum Apostoli 1. Thess. 2. dicentis. *Neque fuimus ab hominibus quærentes gloriam.* Item iuxta doctrinam eiusdem Galat. 5. dicentis. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Cum igitur *vana gloria sit, velle vincere, vbi non est præmium*, vt dicit Glossa ibidem; Restat, quod veri Apostoli non quærunt vincere, siue in iudicio, siue in disputatione, vbi nullum sit præmium apud Deum; & ideo non amant disputationes contentiosas, & altercationes, iuxta illud 2. Timot. 2. *Seruum Domini non oportet litigare.* Gloss. *id est tempus litibus expendere; Satis enim obstrepunt contradicentes, id est Infideles.* NE ERGO *Serui Domini obstrepant, studiô altercandi, vel contendendi*, vt dicit Gloss. *Altercationes enim ad nihil vtiles sunt, nisi ad subuersionem Audientium.* Et ideo veri Apostoli potiùs amant Scripturarum collationes Catholicas (quæ solæ debent esse inter Seruos Dei) quàm altercationes, vt ostensum

Digitized by

est suprà in Prologo §. *Si quis verò*. Pseudo verò inaniter gloriantes amant disputationes contentiosas, contra illud Apostoli Philipp. 2. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Quod ex eo patet, quoniam improbi sunt disputando, & nihil rectum existimant, quod ab eorum sensibus sit diuersum, vt ostensum est suprà ibidem.

§. Item, veri Apostoli, cum vanam gloriam non quæram, non prædicant ad gloriam suam, sed ad gloriam Dei. Vnde 2. Corinth. 4. dicit Apostolus. *Non prædicamus nosmetipsos.* Glos. *Prædicati, nostra non tendit ad gloriam nostram, sed ad gloriam Dei.* TVNC *enim bene bonum dicitur, cum is, qui dicit, soli ei, à quo accepit, per id appetit placere, quod dicit*, vt dicit Greg. lib. 35. *Moralium* super illud Iob vlt. *Dedit eis Pater suus hæreditatem inter Fratres earum.* Ioan. 7. *Qui quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est.* Pseudo verò Prædicatores prædicant ad gloriam suam. Quod ex eo patet, quod quandoque prædicant à semetipsis, cum non habeant à Domino potestatem, vtpotè absque canonica missione. Iuxta illud Ioan. 7. *Qui à semetipso loquitur, gloriam suam quærit.* Et super illud 2. Corinth. 10. *Qui gloriatur*, scilicet prædicando, *in Domino glorietur*, dicit Glos. *Id est, Deo attribuat gloriam suam. Quod non potest, qui non habet à Domino potestatem, quia gloriam suam quærit.*

§. Item, ex eo quod quidam Prædicatores populum in se vitæ nouitate conuertere cupientes, præter morem Ecclesiæ quasdam nouitates superstitiosas inducunt speciem sanctitatis habentes; patet, quod ipsi vanam gloriam quærunt. *Nam hypocrisis, & vanitatum præsumptiones, ex vana gloria oriuntur*, vt dicit Gregorius lib. 31. *Moralium* super illud Iob 39. *Procul odoratur bellum, &c.* Tales videntur esse illi Prædicatores, qui quędam noua & insueta opera pœnitentiæ, vt à multis creditur, simulata; nec non quasdam traditiones nouas, & insuetas, ac superstitiosa faciunt, contra Diuinas Scripturas, & contra canonica instituta, & contra morem Ecclesię, ac publicè ostentant, & ostentari docent, vt pleniùs ostendetur infrà in 10. signo. §. *Notandum tamen*, cum sequentibus tribus Paragraphis; & infrà ead. dist. in 11. & 12. signis.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica missione, siue vocatione non constet) præcipuè Regulares (qui præ cæteris dicunt se mundi gloriam abdicasse) ex more

quærant & ament, tam in iudicijs, quàm in disputationibus victores esse; vel absque missione canonica publicè prędicare; vel nouitates superstitiosas inducere; videntur vanam gloriam huius mundi desiderare; & ideo non videntur esse veri Apostoli; sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Decimum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores, etsi per opera sua bona commendabiles se reddant ad conscientias hominum, non ad oculos tantùm; non tamen verbis propriis, vel aptis, vel artificiosè compositis, aut operibus simulatis commendant seipsos, ad aures hominum, vel ad oculos tantùm. Vnde 2. Corinth. 4. dicit Apostolus. *Commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum.* Glos. *Non ad oculos tantùm.* Iuxta illud Prouerb. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum.* Et 2. Corinth. 3. dicit Apostolus. *Incipimus nosmetipsos iterum commendare.* Glos. *Absit, vt hoc faciamus.* Pseudo verò, quoniam Hypocritæ sunt, quando desunt, qui eos commendent, facta sua speciem sanctitatis habentia (quę faciunt, vt ab hominibus videantur) ad sui commendationem referunt, & etiam aliquando mentiendo adiungunt. Vnde super illud Iob 8. *Et in ortu tuo germen eius egredietur*, dicit Gregorius in lib. 8. Moral. *Hypocritæ factis suis Arbitros inquirunt; si verò eorum operi testes deesse contingat, narrant ipsi, quæ gesserunt; cumque efferri fauoribus cœperint, suis operibus (quæ egisse se referunt) mentiendo aliud adiungunt.* Item Pseudo indirectè & artificiosè commendant seipsos propter laudem humanam. Vnde 2. Corinth. 10. super illud, *Non enim audemus nos inserere, aut comparare quibusdam, qui seipsos commendant*, dicit Glos. *Sicut Pseudo, qui seipsos commendant quibusdam artibus, non Deus eos.* Artificiosè namque seipsos commendant aliqui; si fortè suas traditiones superstitiosas, id est superfluas, & super statuta Ecclesię, vt religiosi pres appareant, à se inuentas, ac specialiter obseruatas, super aliorum traditiones, vel super instituta Ecclesię commendent, vt sic corda simplicium sibi alliciant. Vnde Rom. vlt. super illud, *Per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda Innocentium*, dicit Glossa loquens de Pseudo Apostolis. *Compositis verbis traditiones suas commendant, quibus simplicium corda decipiunt.* Prędertim, si dictas traditiones suas opus maximę perfectionis appellent. Sic enim seipsos illarum Inuentores, & eas, vt asserunt, obseruantes, per conse-

Digitized by Google

quentiam maximę perfectionis insinuando, artificiosè commendant, in depressionem etiam aliorum; quod non est licitum Christiano, vt ostendetur infrà, proximô signo. §. *Sed fortè.* Item Prædicatores, de quorum canonica missione non constat, non propter salutem animarum, sed ad sui commendationem prędicare videntur. Vnde super illud 2. Corinth. 10. *Non enim qui seipsum commendat &c.* dicit Glos. *Seipsum commendat, qui prædicat non missus.* Item seipsum commendat, qui facta sua commendat, quod est peccatum maximum. Vnde super illud Iob 31. *Si osculatus sum manuum meam ore meô, quæ est iniquitas maxima*, dicit Glos. *Manum suam osculatur ore suô, qui laudat quæ facit.*

§, Sed forsan dicet Pseudo-Prædicator. Nonne Apostolus commendauit seipsum 2. Corinth. 11. dicens. *Ministri Christi sunt, & ego, in laboribus plurimis, &c.* & 2. Corinth. 12. loquens de seipso dicit. *Quoniam raptus est vsque ad tertium cœlum, & audiuit arcana, quæ non licet homini loqui*; & multa, tam ibi, quàm alibi dicit ad commendationem sui. Similiter Beatus Iob cap. 29. commendauit seipsum dicens. *Oculus fui ceco, pes claudo*; & multa talia dicit ad sui commendationem. Cum igitur Apostoli, & alij Sancti Viri seipsos commendent; Relinquitur, quod commendare seipsum non est signum, per quod aliquis Prædicator Pseudo debeat reputari.

§. Ad quod dicendum est, quod Viri Iusti, non nisi proximorum vtilitate inducti, vel nimiâ, necessitate coacti, commendant seipsos. Vnde Gregorius in 9. *Homil.* 2. part. *super Ezechiel.* dicit. *De Iustis sciendum est, quod numquam sua bona detegunt, nisi eos proximorum vtilitas, aut certè nimia necessitas cogat.* Vnde Paulus, cum virtutes suas enumerasset, subiunxit, *Factus sum insipiens, vos me coëgistis*; quod sumptum est 2. Corinth. 12. Quod ergo Apostolus commendauit seipsum, hac necessitate coactus fecit; quia Corinthij occasione Pseudo-Apostolorum, minùs sentiebant de ipso; & quoniam præferebant Pseudo-Apostolos veris causâ accurati sermonis, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Ex hac autem seductione, &c.* Vt igitur Corinthij non deciperentur à Pseudo (quos præferebant Paulo, & alijs veris Apostolis) ad hoc impediendum cogebatur commendare seipsum. Vnde 2. Corinth. 3. super illud, *Incipimus nosmetipsos iterum commendare*, dicit Glos. *Non*

Digitized by Google

vtique vanè commendantes hoc dicimus; sed, ne ab alijs decipiamini, id cogimur memorare. Sic ergo patet, quod Apostolus necessitate coactus se commendabat. Vnde 2. Corinth. 11. cum se commendasset dicens, *Ministri Christi sunt, & ego*, statim subiunxit. *Vt minùs sapiens dico, plus Ego.* Glossa. *Vt minùs sapiens, quàm esse deberem; quia non est hominis sapientis se laudare.* PER HOC AVTEM *ostendit se coactum in laudem suam prorupisse*, vt dicit Gloss. Quasi diceret Apostolus. *In verbis præmissis videor in laudem meam temerè prorupisse; & in hoc minùs sapienter egisse*, quod verum esset, vt prædictum est, nisi necessitate coactus hoc fecisset. Illi ergo, qui ad instar Apostoli iniunctum habent officium prędicandi, si probabiliter arbitrentur prædicationem suam despici, eô quod eorum conuersatio ignoretur; tunc propter Auditorum suorum vtilitatem possunt commendare seipsos. Vnde super illud Iob 29. *Oculus fui cæco*, &c. dicit Gregorius lib. 19. Moral. *Bona nostra occultentur studiô, necessitate publicentur; vt eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit vtilitas aliena.* Et infrà. *Sancti, dum sancta prædicant, eorum prædicatio fortè despicitur, quia eorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, vt Auditorum suorum valeant vitam mutare; & facta sua referunt, vt venerationi sint; venerari appetunt, vt reuerenter audiantur.* Et infrà. *Hinc èst ergo, quod Prædicatores boni, & honorem propter elationem fugiunt; & honorari tantùm propter imitationem volunt.* Sic ergo patet, quod Sancti Prædicatores aliquando propter salutem proximorum coguntur commendare seipsos. Hoc autem intellige de illis Prædicatoribus tantùm, de quorum constat canonica missione; aliter enim sua commendatio magis indicaret eos Pseudo esse, vt ostensum est suprà eodem signo.

§. Aliquando etiam coguntur Sancti commendare seipsos, propter propriam salutem; vt cum in tribulationibus positi coguntur bona sua reuocare in memoriam, ne propter tribulationes desperent. In quo casu Iob commendauit seipsum Iob 29. dicens. *Oculus fui cæco*, &c. Vnde super illud verbum dicit Greg. in lib. 19. Moral. *Iob inter tot dolores vulneris & verba desperationis, cum bona quæ fecit narrat, quasi collapsum verbis & verberibus ad spem animum reformat. Dicat ergo bona quæ fecit, vt non cogatur inter mala de se desperare quæ audit.* Item

in

in lib. 1. *Moralium* dicit Gregorius. *Iob nequaquam in arrogantiæ vitium incidit, quia contra internum desperationis impulsum per exteriora præconiorum suorum verba pugnauit; vt, cum bona, quæ fecerat, diceret, nequaquam de bono, quod quæsierat, desperaret.*

§. Aliquando etiam Sancti Viri in mortis articulo constituti, cum iam eos fauor humanus titillare non potest, vt maiorem apud Deum confidentiam habeant, in oratione compuncti referunt Deo, non hominibus, bona, quę in hac vita fecerunt; sicut fecit Ezechias 4. *Reg.* 10. Vnde super illud Iob 15. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* dicit Gregorius in lib. 12. Moralium. *Ezechias Rex, cum molestiâ corporis afflictus ad extremitatem peruenisset vitæ, in oratione compunctus dixit.* OBSECRO DOMINE, MEMENTO, QVOMODO AMBVLAVERIM CORAM TE IN VERITATE, ET CORDE PERFECTO. *Nec tamen Deus hanc confessionem perfectionis eius despexit, quem mox in suis precibus exaudiuit.* Item super illud Iob 31. *Si letatus sum super multis diuitijs meis,* dicit Gregorius lib. 22. Moral. *Sicut, dum viuimus, debemus bona nostra à memoria repellere, ne extollant; ita apropinquante exitu plerumque ea ad memoriam iuste reuocamus; vt videlicet fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant.* Sic ergo commendant se Viri Sancti, aut proximorum vtilitate inducti, vel necessitate coacti, vel ne desperent in angustia tribulationis. Maximè autem commendant se Deo, non hominibus, in articulo mortis, cum iam eos fauor humanus titillare non potest; vt per hoc maiorem fiduciam habeant apud Deum.

§. Notandum tamen, quod illi soli in casibus prædictis se commendare, vel bona sua referre, vel ostendere possunt, qui per mentis firmitatem, & perfectam humilitatem, omnem laudem humanam contemnere, & calcare nouerunt. Vnde super illud Iob 8. *Et in ortu suo germen eius egredietur,* dicit Gregorius in lib. 8. Moral. *Valde perfectorum est, sic ostensô opere Authoris gloriam quærere, vt de illata laude, priuatâ nesciant exultatione gaudere. Ideoque tunc solùm innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, restat necesse est, vt bona, quæ operantur, abscondant.* Abscondere ergo debent infirmi opera sua bona, propter periculum vanæ laudis, vt dictum est; quia, sicut dicit Gregorius lib. 23. Moral. *Bona, quæ innotescunt hominibus, sine periculo vix esse possunt.*

§. Item abſcondere debent opera bona, quoniam abſcondita magis placent Deo. Vnde Matth. 9. ſuper illud *Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*, dicit Gloſſ. *Videre Dei, eſt approbare. Illa verò tantùm approbat, quæ ſunt abſcondita. Quæ extrà ſunt, non placent ei, nec approbat.* Supple *Si hoc ex induſtria fiat.* Orans igitur, nec voce coram populo clamare, nec manus expandere, nec oculos ad cœlum leuare, nec ad altare magis quàm cæteri appropinquare, nec quidquam nouum facere debet, quô notabilis inter alios fiat, vel quaſi per hoc magis à Deo valeat exaudiri. Vnde ſuper illud Matth. 6. *Orantes autem nolite multùm loqui, &c.* dicit Chryſoſtomus. *Orans nihil nouum faciat, nec voce clamet, nec manus expandat, nec impudenter oculos tollat ad cœlum, vt notabilis fiat.* De hoc dicit Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 30. *Non ſunt ad cœlum eleuandæ manus, nec exorandus Ædituus, vt ad aurem Simulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat; propè eſt tibi Deus; tecum eſt; intus eſt.*

§. Non tamen negamus, quin manuum extenſio, vel genuflexio, vel totius corporis proſtratio aliquando facienda ſint in Eccleſia, ſecundum morem Eccleſiæ, vel etiam in priuato, ad excitandam deuotionem orandi. Vnde Auguſt. in libro De Cura pro mortuis agenda. *Orantes quandoque genua figunt, extendunt manus, vel etiam proſternuntur; quamuis eorum inuiſibilis voluntas, & intentio, Deo nota ſit. Sed hinc magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humiliùs atque feruentiùs. Et neſcio, quô modô, his motibus exteriùs viſibiliter factis, ille interior animi motus inuiſibilis, qui eos fecit, augetur.* Si autem aliquis de membris ſuis talia facere nequeat, nihilominùs tamen in corde efficaciter orat. Vnde Auguſtinus ſubiungit ibidem. *Verumtamen, ſi eô modô quiſque tenentur, vt hæc de ſuis membris facere nequeat, non ideo non erat interior homo, & ante oculos Dei in ſecretiſſimo cubili, vbi compungitur, ſternitur.*

§. Sed ſunt aliqui Hypocritæ, qui fingunt ſe velle facere bona ſua in abſcondito, vt inde magis laudentur; vnde quandoque ſimulant ſe abſcondere orationem ſuam, & tamen eam modô aliquô manifeſtant. Vnde ſuper illud Matt. 6. *Amant in angulis platearum ſtantes orare*, dicit Gloſſa. *In angulis, quaſi abſconſores precum; & tamen in plateis, vt videantur; & ex hoc amplior gloria.* Item ibidem Chryſoſtomus. *Fingunt ſe abſcon-*

Digitized by Google

dere orationem, vt dupliciter laudentur; & quia orant, & quia abſconſè. Aliquando enim abſcondunt corpora ſua, ſed voce manifeſtant ſeipſos. Vnde ſuper illud Matt. 6. *Ora Patrem tuum in abſcondito*, dicit Gloſſa. *Quidam corpore occultatô per vocem omnibus manifeſtos ſe faciunt. Sed non voce clamoſâ pulſandus eſt Deus, ſed conſcientiâ rectâ placandus; quiâ non eſt vocis, ſed cordis Auditor.* Nota, quod dicit *Non eſt Deus vocis, ſed cordis Auditor.* De hoc dicit Auguſtinus *Ad Probam* De orando Deo. *Orationis negotium plùs gemitibus, quàm ſermonibus agitur; plùs fletu, quàm affatu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit.* Item ſuper illud Matt. 6. *Orantes autem, nolite multùm loqui*, dicit Gloſ. *Non enim apud Deum agendum eſt verbis, ſed rebus, intentione cordis, affectu ſimplici.* Item ibidem Gloſſa. *Verbô tenus, ſine affectione vacuas aures Dei adimplere malum eſt, quaſi in hoc audiamur.* Item ſuper illud Iob 41. *Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis*, dicit Gregorius lib. 33. Moral. *Veraciter orare, eſt amaros in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare.* Aliquando etiam ſimulant Hypocritæ abſcondere eleemoſyn[illegible]; & tamen eam, etſi non voce, ſed aliquâ aliâ actione, vel etiam ſimulatâ abſconſione manifeſtant. Vnde ſuper illud Matt. 6. *Cum facis eleemoſynam, noli ante te tubà canere*, dicit Chryſoſtomus. *Tuba eſt omnis actio, per quam operis iactantia demonſtratur.* Vnde aliquando ipſa abſconſio, id eſt abſconſionis ſimulatio, tuba eſt. Similiter Hypocrita ieiunans, licet fortè fingat ſe velle occultare ſuum Ieiunium; tamen illud aliquando oſtentat, vel per triſtitiam vultus, vel aliô aliquô ſignô exteriori; cum magis deberet exhibere ſe lætum, iuxta doctrinam Domini Matt. 6. dicentis. *Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Gloſ. *Paleſtinis mos erat in feſtis caput vngere. Ergo, caput vnge, Id eſt feſtiuum, & hilarem te exhibe.* Item Auguſtinus ſuper locum iſtum. *Vngere caput, ad lætitiam pertinet; lauare faciem, ad munditiam.* Item dicit Chryſoſtomus ſuper locum iſtum. *Hoc dicit, vt cum omni diligentia ſtudeamus abſcondere paſsionem hanc*; Id eſt *Ieiunium. Chriſtus enim ieiunans non vnctus, non lotus eſt; ſed tamen hæc omnia expleuit, id eſt abſcondit ieiunium ſuum; hoc eſt non oſtentauit.* Qui bona opera oſtentat, non ſolùm priuatur mercede; ſed etiam per ſimulationem, & irriſio-

nem peccat grauiter contra Deum. Vnde Matt. 6. super illud *Receperunt mercedem suam*, dicit Glossa. *In his omnibus, non solùm vera merces praua intentione euacuatur; sed vitium simulationis & irrisionis contra Deum augetur.* SIMVLATA *enim æquitas, non est æquitas, sed duplicatum peccatum, in quo est iniquitas, & simulatio*, vt dicit Glossa super illud Coloss. 3. *Quodcumque feceritis, operamini ex animo.*

§. Sed forsan dicet aliquis, quod bona opera non sunt manifestanda malis hominibus, qui parati sunt reprehendere, & non imitari.

§. Sed contra hos dicit Chrysostomus super illud Matt. 6. *Vt sit eleemosyna tua in abscondito*, dicens. *Non, vt opinantur quidam, ab iniustis tantùm hominibus misericordiæ opus voluit abscondi; cunctis enim hoc iussit omninò cælari.* Item Chrysostom. *Si tu vis homines tuas videre directiones, absconde eas nunc. Si studieris nunc latere, tunc te Deus famosè prædicabit, orbe terrarum præsente*; scilicet *in die iudicij*. Item ibidem. *Impossibile est, vt bonum opus dimittat in abscondito Deus; quia gloria Dei est.*

§. Sed videtur, quod bona opera facienda sunt coram hominibus; cum dicat Dominus Matt. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

§. Respondeo. Loquitur ibi Discipulis, *quorum personas gerunt Prælati*, vt dicit Glossa *Luc.* 10. vnde in principio illius Sermonis Matt. 5. legitur. *Videns Iesus turbas ascendit in montem, & accesserunt ad eum Discipuli eius.* Glossa. *Quasi multitudinem vitans, vt solis Discipulis loqueretur.* Et quia Prælatorum officium est docere; ideo præcipit, vt Prælatorum bona opera sint manifesta ad confirmandum doctrinam eorum. Vnde Glossa ibi. *Opera requiro, vt videantur, & sic doctrina confirmetur.* Opera enim confirmant doctrinam. Vnde Glossa ibidem. *Vere docet, qui facit quod docet; aliter seipsum condemnat.* Vult ergo Deus bona opera Prelatorum esse manifesta, vt per ea illorum confirmetur doctrina; & hoc non ad gloriam Prælatorum, sed ad gloriam Dei. Vnde sequitur ibi. *Vt glorificent* Glossa, in vobis. *Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Quasi diceret. *Non vt glorificent vos, sed Deum.* Vnde Glossa. *Ita agite, vt non finem boni operis vestri in laudibus hominum constituatis.* Et hoc nec in toto, nec in parte. *Sunt enim aliqui, qui fauorem que-*

Digitized by Google

runt cum aliqua mercede æterna, vt dicit Gloſſa ſuper illud Matt. 5. *Te autem faciente eleemoſynam.* Contra quos ſequitur ibi. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua.* Gloſſa. *Non ſe miſceat laudis appetitus, vel vitium aliquod; cum præceptum Dei implere contendis.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica miſſione, ſeu vocatione non conſtet) nullà dictarum neceſſitate coacti, nec in humilitate tam firmi, vt omnem laudem humanam deſpicere, & calcare valeant; nihilominùs tamen ex more coram hominibus ſeipſos viuentes commendent, referentes hominibus bona, quæ fecerunt, vel etiam mentientes, quod non fecerunt, vel etiam opera ſua, quæ bona eſſe videntur, coram hominibus verbô, vel factô, vel aliquô ſignô exteriori, vel etiam abſconſione ſimulatâ; vel qualitercumque, contra, vel præter mores Eccleſiæ, impudenter oſtentent, vel alios contrà Chriſti doctrinam oſtentare doceant, vel approbent oſtentari; videntur eſſe vanæ gloriæ Sectatores, & Simulatores Hypocritæ; & ideo non videntur eſſe veri Prædicatores, ſed Pſeudo.

§. Vndecimum Signum poteſt eſſe, Quod veri Prædicatores, volentes potiùs alios honorare, quàm ab alijs honorari, Iuxta illud Rom. 12. *Honore inuicem prævenientes*, non præferunt ſe alijs hominibus; hoc enim eſſet contrarium charitati, Iuxta illud 1. Cor. 13. *Charitas non eſt ambitioſa.* Gloſſa. *Id eſt, non vult alijs præponi*; quia, vt dicit Gregorius lib. 32. Moral. *Sancti viri, quô apud Deum altiùs virtutum dignitate proficiunt, eô ſubtiliùs indignos ſe eſſe deprehendunt.* Item ſuper illud Iob 42. *Nunc oculus meus videt te*, dicit Gregorius lib. 35. Moral. *Quantô quiſque maioris gratiæ lumen accipit, tantô ampliùs ſe reprehenſibilem eſſe cognoſcit.* Item Gregorius lib. 23. Moral. *Sanctæ vniuerſalis Eccleſiæ ſpiritalis quiſque Prædicator, in cunctis, quæ dicit, ſolerti curâ ſe inſpicit; ne in eo quod recta prædicat, vitiô elationis ſe extollat.* Et infrà. *Indignum ſe in omnibus iudicat, etiam cùm digniùs cunctis viuat. Scit enim, quod bona, quæ innoteſcunt hominibus, ſine periculo vix eſſe poſſunt.* Et quoniam per humilitatem indignos ſe reputant Sancti Viri, idcirco alios ſibi præferunt, & reputant digniores; non fictè, ſed ex vero corde, Iuxta doctrinam Apoſtoli Philipp. 2. dicentis. *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes*, Gloſſa. *Alter alterum reputet digniorem.* Nec ita hoc æſtimare fingamus, ſed verè æſtimemus poſſe aliquid eſſe

occultum in aliquo, quô nobis ſuperior ſit, etiamſi bonum noſtrum, quô illô videmur ſuperiores, non ſit occultum. Meliora enim de alio, quàm de ſeipſo æſtimare, ſignum eſt ſanctitatis. Vnde ſuper illud Iob 30. *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo*, dicit Gregorius lib. 20. Moral. *Probatio quippe ſanctitatis, non eſt ſigna facere; ſed vnumquemque diligere. De Deo autem vera cognoſcere; de proximo verò meliora, quàm de ſeipſo ſentire.* Item ſuper illud Gal. 6. *Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, &c.* dicit Gloſ. *Qui verè iuſtus eſt, alterum ſibi præponit; quia plùs ſua mala ſcit, quàm alterius.* Et ideo Sancti Apoſtoli, non ſuas, ſed aliorum virtutes mirantur. Vnde ſuper illud 2. Petri vlt. *Sicut chariſsimus Frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi à Deo ſapientiam ſcripſit vobis*, dicit Gloſ. *Primus Apoſtolorum oblitus ſui prioratus, & datarum ſibi clauium, datam Paulo miratur ſapientiam; quia mos eſt electorum, vt magis aliorum, quàm ſuas mirentur virtutes.* Item ſuper illud Iob 36. *Ne multitudo donorum inclinet te*, dicit Greg. lib. 26. Moral. *Sancti viri, aliena opera, & parua mirantur; ſua verò & magna deſpiciunt.* Item Caſsiodorus in lib. *De Anima* cap. 11. *Vir purus, innocuus omnes laudat, ſe ſemper accuſat; & cum placeat vniuerſis, ſibi diſplicet. Nimia enim magnitudo eſt, ſuam intelligere paruitatem.* Item Beatus Franciſcus *in Regula ſua* cap. 2. *Moneo Fratres & exhortor, ne deſpiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis; ſed magis vnuſquiſque iudicet, & deſpiciat ſemetipſum*, vt dictum eſt ſuprà diſt. 3. §. *Et ne vilitas.* Quâ enim fronte præponat ſe homo alteri, ſi ad cor ſuum redeat, & ſecreta ſua conſideret? quoniam multa ſcilicet optauerit, aut fecerit, quæ etiam fateri puderet. Vnde Seneca *De Officijs* lib. 6. *Denique ſe quiſque conſulat, & in ſecretum pectoris ſui redeat, & inſpiciat, quid tacitus optauerit. Quàm multa ſunt vota, quæ etiam fateri puderet; quàm pauca, quæ facere coram teſte poſſumus.*

§. Item, veri Apoſtoli, non ſolùm non præferunt ſe alijs iuſtis & bonis; ſed etiam nec Pſeudo-Apoſtolis, niſi neceſsitate coacti ſe comparare præſumunt. Vnde ſuper illud 2. Corint. 4. *Commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum*, dicit Gloſſ. *Commendabiles nos facientes ſine comparatione Aduerſariorum*, id eſt *Pſeudo-Apoſtolorum.* Ideo dicit Beatus Ber-

Digitized by

nardus. *Noli te comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vel vni; te nemini, non dico præponas, ſed non comparare præſumas.*

§. Pſeudo verò, quoniam Hypocritæ ſunt, & ideo vanæ gloriæ Sectatores, & Arrogantes, & Superbi, irreuerenter alijs ſe præponunt, arbitrantes ſe omnibus ſapientiores, & meritis digniores; contra illud Eccleſiaſt. 7. *Non te iuſtifices ante Deum.* Gloſſ. *Nulla præſumptio pernicioſior, quàm de propria iuſtitia, aut ſcientia ſuperbire.* Per hoc autem cognoſci poſſunt dicti Pſeudo eſſe Diſcipuli Antichriſti; qui ſimiliter, vt magis decipere, & tamdem ſæuire valeat in fideles Chriſti, ſanctitatem ſimul & ſapientiam oſtentabit. Vnde Apoc. 13. dicit Ioannes de illo. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur vt Draco.* Quod exponens Gregorius lib. 33. *Moralium* ait. *Duo habet cornua Antichriſtus ſimilia Agni; quia per hypocriſim, eam, quam in ſe Dominus veraciter habuit, ſingulariter ſibi ineſſe, & ſapientiam mentietur, & vitam. Vnde aſſumit Agni ſpeciem, vt Draconis exerceat operam.* Similiter faciunt illi, qui ſanctitatem & ſapientiam ſibi ſingulariter ineſſe oſtentant; alios verò tamquam minùs doctos, & minùs dignos reprehendunt, ac dedignantur. Vnde ſuper illud Iob 32. *Iratus eſt aduersùs Iob, &c.* dicit Gregorius lib. 23. Moral. *Cuncti vanæ gloriæ Sectatores, dum ſe omnibus præferunt, alios quidem de fatuis ſenſibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt.* Per hoc autem, quod alios de fatuis ſenſibus reprehendunt, reputantes ſe ſapientiores, procul dubiô incurrunt maledictionem Iſaïæ cap. 5. dicentis. *Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris.* Item per hoc patet, quod non eſt Deus cum eis; nec confortati ſunt Spiritu Sanctô. Nam vir, cum quo eſt Deus, & qui Deô ſecum morante confortatus eſt, ait. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum* Prouerb. 30. Gloſſ. *Quiſquis ſpiritu Dei confortatus eſt, humili corde dicit.* STVLTISSIMVS SVM VIRORVM, *&c.* Per hoc ergo, quod alios etiam peccatores dedignantur, reputantes ſe meritis digniores, patet, quod non habent veram iuſtitiam, ſed falſam. *Nam vera iuſtitia compaſſionem habet, falſa verò dedignationem*, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 3. §. *Item. ex eo.* Item ſuper illud Iob 36. *Nec multitudo donorum inclinet te*, dicit Gregorius lib. 26. Moral. *Arrogantes aliena, etiam magna deſpiciunt; ſua, vel*

quæ parua sunt, admirantur; & plerumque de suis malis bona æstimant, de alienis verò bonis mala sentire non cessant. Item super illud Iob 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, dicit Gregorius lib. 34. Moral. *Superbis cuncta, quæ ab alijs vel bene geruntur, displicent; & solaeis, quæ ipsi vel praue egerunt, placent. Superbus semper aliena opera despicit, semper miratur quæ facit; quia & quidquid egerit, egisse se singulariter credit.* Per hoc autem, quod Superbus Hypocrita semper miratur quod facit, & aliena opera despicit, manifestè apud sapientes fatuum se ostendit. Nam, vt dicit Gregorius lib. 10. *Moralium* super illud Iob 12. *Ergo vos soli estis homines?* IPSA FATVITAS *miratur sua, & despicit aliena.*

§. Et nota, quod superbia signum est infallibile cognoscendi Reprobos, quantumcumque simulent speciem sanctitatis. Vnde super illud Iob 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, dicit Gregorius lib. 34. Moral. *Euidentissimum signum Reproborum superbia est; at contrà humilitas Electorum. Cum ergo, quam quisque habeat, cognoscitur, sub quo Rege militet, inuenitur.* Et quoniam quæri posset, quomodò poterit cognosci superbia Reproborum Hypocritarum, cum eam semper occultare nitantur; ideo subiungit idem Gregorius ibidem dicens. *Etsi aliquando Reprobi fictam speciem humilitatis ostendant, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt; quia eorum superbia diu latere non sustinet; & cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur*, vt dictum est suprà dist. 3. §. *Per huiusmodi.* Sequitur. *Qui verò sub Rege humilitatis militant, semper pauidi, atque ex omni latere circumspecti, aduersùs iacula elationis pugnant.* Sic ergo patet, quod veri Apostoli se alijs non præferunt, nec præferendo comparare præsumunt; Pseudo verò contrarium faciunt.

§. Sed fortè obijciet Superbus Hypocrita dicens. Etsi homo personam suam alij personæ comparare non debeat præferendo; tamen statum suum perfectiorem potest statui minùs perfecto comparando præferre; sicut Apostolus statum Doctorum (de quorum numero erat) alijs statibus præferebat 1. Timoth. 5. dicens. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentur; maximè autem, qui laborant in verbo & doctrina.* Dicet ergo fortè aliquis Regularis, commendans statum, vel ordinem suum, ex eiusdem ordinis traditionibus hôc modô.

Cum

Digitized by Google

Cum voluntaria paupertas habita propter Chriſtum ſtatum perfectionis faciat, iuxta illud Matt. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; & maior ſit paupertas, nihil habere in proprio, neque in communi, quàm habere aliquid in communi, licet non in proprio; Si ille, qui eſt de primo ſtatu, vel Ordine, qui ſecundùm traditiones ſuas non poteſt habere proprium, nec commune, ſtatum ſuum, vel Ordinem, tamquam perfectiorem commendet, præferendo eum illi ſtatui, vel Ordini, qui habet communes poſſeſſiones, tamquam minùs perfecto, vt ad ſtatum ſuum perfectiorem, quoſcumque poteſt, inuitet; Videtur, quod in hoc nihil delinquat, ſed potiùs mereatur.

§. Ad quod dicendum eſt, quod Beatus Paulus ſtatum Doctorum, ſeu Prædicatorum, vel, quod verius eſt, Prælatorum, non ex ſuis, vel aliorum Apoſtolorum traditionibus, vel inuentionibus commendauit, præferendo eum alteri ſtatui perfectionis. Sed, vt apud fideles Chriſti Prælati eorum, maximè prædicationi vacantes, recommendati haberentur propter laborem regiminis; ac eis animarum regimini, & maximè prædicationi vacantibus, ab eorum ſubditis vitæ neceſſaria offerrentur; ideo officium Prælatorum in regimine ſubditorum laborantium, apud eoſdem ſubditos commendauit; oſtendens, non per traditiones humanas, ſed per authoritates Noui & Veteris Teſtamenti, ſumptus Prælatis, & præcipuè officio prædicationis vacantibus, ab Auditoribus & Subiectis ſuis deberi. Vnde poſtquàm dixit, *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*, ſtatim ad probandum ſumptus Prædicatoribus Prælatis deberi ſubjunxit. *Non alligabis os boui trituranti.* Deut. 26. Item *Dignus eſt Operarius mercede ſuâ.* Luc. 10. Hoc autem non propter ſe fecit, cum ipſe ab Auditoribus ſuis ſumptus non reciperet, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Hoc autem faciebat Apoſtolus*; ſed propter alios Prædicatores; videlicet, ne propter indigentiam ſumptuum contriſtentur; nec propter vilitatem inopiæ, eorum inſtantia & authoritas in aliquo remittantur. Vnde ſuper illud, *Qui benè præſunt Presbyteri, &c.* dicit Gloſſa. *Boni Diſpenſatores & fideles, non ſolùm honore ſublimi præueniri debent, ſed & terrenô; vt non contriſtentur indigentiâ ſumptuum, & gaudeant obedientiâ ſpiritualium. Inſtantior enim fit Prædicator, ſi non humilietur*, id eſt, ſi non

vilificetur *inopiâ; & crescit in eo authoritas, cum videt se in præsenti etiam laboris sui fructum percipere; non vt abundet, sed vt non deficiat.* Patet igitur, quod in authoritate prædicta, *qui benè præsunt Presbyteri, &c.* non intendit Apostolus statum suum tamquam perfectiorem, alteri statui perfectionis tamquam minùs perfecto, ex suis, vel Coapostolorum suorum traditionibus comparando præferre. Illi namque, qui statum suum perfectionis, vel Ordinem, ex traditionibus eiusdem Ordinis præfert alteri statui perfectionis, vel Ordini easdem traditiones non habenti, tamquam inferiori, vel minus perfecto; per consequentiam præfert seipsum illas traditiones seruantem Fratribus aliorum Ordinum dictas traditiones non habentium, tamquam inferioribus, vel minùs perfectis; quod non est licitum Christiano, nedum Viro Perfecto. Nam secundùm Ambrosium in libro De Officijs, *Veritatis ea regula est, vt nihil facias commendandi tui causâ, quô alius minor fiat.* Et habetur 21. q. 3. cap. *Si quis verò non obediat.* Item Pelagius. *Absit à Christi fidelibus, hoc sibi velle quemquam arripere, vnde honorem Fratrum suorum imminuere ex aliquantula parte videatur.* dist. 93. can. *Nullus Patriarcharum.*

§. Ad illud autem, quod gratiâ exempli obiectum est de illis Christi pauperibus, qui dicuntur nihil habere in proprio, neque in communi; quoniam præferendi sunt illis, qui habent communes possessiones, eô quod magis pauperes esse, & ideo maiorem perfectionem habere videntur. Dicendum est, quod relinquere omnia non facit perfectum esse, sed Dominum imitari perfectum facit. Vnde cum dixisset Dominus, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, statim subiunxit, *Et veni, & sequere me.* Glossa. *Non sufficit relinquere omnia, nisi sequatur Dominum, id est imitetur.* Et infrà super illud, *Vos, qui secuti estis me sedebitis, &c.* dicit Gregorius in Homil. *Non dixit,* QVI RELIQVISTIS OMNIA, *Hoc enim & Socrates fecit Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt; sed,* QVI SECVTI ESTIS ME, *quod proprie Apostolorum est, atque credentium.* Et paulò antè dicit Gregorius. *Quia non sufficit tantùm relinquere omnia, iungit quod perfectum est dicens.* ET SECVTI SVMVS TE.

§. Si verò dicatur, quod relinquere omnia propter Christum, & eum imitari, perfectionis est; & quod illi, qui ita relinquunt omnia propter Christum, quod nihil posteà possi-

Digitized by Google

dent in proprio, neque in communi, magis pauperes ſunt, & magis Dominum imitantur, & ideo in paupertate perfectiores ſunt, quàm illi, qui relinquentes omnia propter Chriſtum poſteà coüuntur communibus poſſeſſionibus Eccleſiç, vel Monaſterij ſui. Reſponderi poteſt, quod ille, qui reliquit omnia propter Chriſtum, ſi factus fuerit Regularis, ſeu Monachus, nihil poſteà debet habere proprium, vel commune, quod dici valeat ſuum eſſe. Sed Eccleſia, vel Monaſterium, cui ſe dedicauit, vel vbi ſe Deo dedicauit, licitè poteſt, & debet habere commune, id eſt communes poſſeſſiones, ad Fratrum ſuorum, vel aliorum Chriſti pauperum ſuſtentationem; ad inſtar Eccleſiæ primitiuæ, in qua nec aliquis eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed *erant illis omnia communia*, id eſt ad communitatem credentium pertinentia, *quorum erat cor vnum, & anima vna*, Act. 4. Et hoc adhuc videmus in omnibus Eccleſijs, ſeu Monaſterijs collegiatis; tale namque pauperum Chriſti collegium, quod nihil habeat proprium, vel commune, nec dum vidimus, nec videmus. Niſi fortè quis ridiculosè dicat, hortos vberes, & ſpatioſos; pomaria ſpatioſa, & fertilia, & amœna; domos amplas, & altas, ſpatioſas, ſumptuoſas, pretioſas, & amœnas; horrea plena triticô; cellaria plena vinô, & ſi non in domibus ſuis, ſaltem in domibus alienis; armaria plena libris; arcas refertas pecunijs, tam ex largitione viuorum, quàm ex legatis defunctorum, & ſi non manibus proprijs, tamen manibus alienis per quæſtus varios congregatis; non eſſe poſſeſſiones; vt de ornamentis Eccleſiaſticis, ſericis & pretioſis, deauratis & prætonſis; nec non de vaſis Eccleſiaſticis aureis & argenteis taceamus ad præſens. Quæ omnia ſupradicta vtrùm poſſeſsiones dici valeant, iudicet qui iudicare poteſt. Tales quidam aliud agentes, aliud profitentes, fuerunt olim Romæ Manichæi Simulatores; qui dicebant ſe non habere, nec habere debere, iuxta documentum Euangelij, æs in zonis; quos tamen comperit Conſtantius ciuis Romanus habere aurum & argentum, & ſi non in zonis, tamen in ſacculis, vt refert Auguſtinus *Contra Fauſtum* lib. 5.

§. Sed dicent fortè Aliqui prædictorum, quod licet res prædictas poſſideant; non tamen ſibi poſsident, ſed Summo Pontifici; qui rerum illarum dominium, ſeu proprietatem ſibi retinens, ſolum vſum earum eis conceſsit.

§. Sed non attendunt, quod Donatores rerum illarum, proprietatem earum, seu dominium, non in Summum Pontificem (de quo nec consenserunt, nec cogitauerunt) sed magis in prędictos pauperes seu in eorum collegium, destinatione animi secundùm Iuris exigentiam transtulerũnt. Nec attendunt etiam, quod illarum rerum, quæ vsu consumuntur (vt sunt alimenta, & vestimenta quotidiana, & pecunia numerata) vsus absque proprietate concedi non potest, tamquam impossibile secundùm Iura; cum eis vtendo non possit rerum substantia salua fore; quod est contra naturam vsusfructus. ff. *De Vsufructu* L. 1. *Nam hæres non naturali ratione, neque ciuili, recipiunt Vsumfructum.* Institut. *De Vsufructu.* §. *Constituitur.* Item, ex eo quod ad seruandam suam perfectionem, vt asserunt, rerum sibi donatarum solum vsumfructum absque dominio habere volunt, earum autem dominium Summo Pontifici infructuosum relinqũunt; manifestè innuunt, quod ipsô Sũmô Pontifice perfectiores existunt; quod quàm iniurioſum sit Summo Pontifici, forsitan non attendunt. Quamquam etiam Summus Pontifex, & alij Ecclesiarum Prælati, rerum Ecclesiasticarum, non Domini, sed Procuratores existant. Vnde Augustinus Ad Bonifacium. *Non sunt*, inquit, *illa bona nostra, sed pauperum; quorum procurationem quodammodò gerimus, non nobis proprietatem Vsurpatione damnabili vendicamus.* 12. q. 1. cap. vlt. Falsò ergo asserunt huiusmodi homines, rerum sibi propter Christum donatarum dominium penes Summum Pontificem remanere; cum nequeat illarum rerum esse Dominus, sed tantummodò Procurator; nec est intentio donantium, vt rerum ab eis donatarum dominium in Summum Pontificem transferatur.

§. Si verò dicant, rerum sibi datarum dominium penes dantes (eô quod ipsi non sunt capaces proprietatis, siue dominij) remanere; solum autem vsum ad eos absque dominio pertinere; Ergo necesse habent res illas, vel certè earum æstimationem aliquando reddere. Institut. *De Vsufructu*, §. *Constituitur.* Quod quia non faciunt, Restat, quod res alienas iniustè consumunt, & cum conscientia rei alienæ decedunt; quod quàm sit periculosum, mirum est, si non aduertunt. Nisi fortè ridiculosè velint asserere, quod tunc demum transferatur in eos rerum sibi donatarum dominium, cum illis consumptis iam nullum habere incipiant in rerum natura locum.

Digitized by Google

§. Item, cum vſus ille, de quo abſque rerum dominio, ſeu proprietate, ſe dicunt viuere, ſit aliquid temporale; omne autem temporale, quod in vſu eſt hominum, ſit proprium, vel commune; quomodò audent dicere, vel ſuum collegium nihil habere proprium, vel commune?

§. Item, *Cum omnibus, qui Deo militare irreprehenſibiliter cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumque Diſcipulorum imitari volunt, neceſſaria ſit vita communis*, vt dicit Clemens in Epiſtola 4. & habetur 12. q. 1. cap. *Dilectiſsimis*, in principio; *Communis autem vita ſit, in qua omnia neceſſaria huic vitæ communicantur ad inuicem*, vt legitur ibidem; Quomodo audent Viri Regulares, communem ſe vitam ducere aſſerentes, & victum communem ſaltem ex mendicatione habentes, dicere ſe nihil habere commune; cum ex eo dicatur vita communis, vt oſtenſum eſt, quod victui neceſſaria communicantur? Numquid volunt dicere, quod ille vſus rerum, quem abſque proprietate ſe habere dicunt, & de quo communiter viuunt, ſit nihil; & ita de nihilo viuunt? Nonne contra conſcientias ſuas impudenter loquuntur? Niſi fortè impudentiùs velint aſſerere, licitum eis eſſe, ad victum quotidianum habere commune; non de poſſeſſionibus Eccleſiæ; non de corporali labore; ſed tantummodò de mendicatione. Quod quantùm ſit inſaniæ, & ſuperſtitionis ab Apoſtolo, & alijs Sanctis Patribus reprobatæ, ſatis liquere poteſt per ea, quæ dicta ſunt ſuprà diſt. 2.

§. Item, ſi Ordines ſacros, & Eccleſias habeant, & in Monaſterijs viuant; Quomodò illam ſuam traditionem (videlicet, quod eorum Collegia, ſeu illorum Eccleſiæ, nihil commune habeant) coram Sapientibus impudenter oſtentant, & iactant? Cum non dubitent Sapientes, eam ſacris canonibus eſſe contrariam, quibus cauetur, *Quod Clerici non debent abſque titulis, quibus ſuſtentari valeant, ordinari; nec Eccleſiæ abſque dotibus ad ſuſtentationem Miniſtrorum in eis ſeruientium ſufficientibus dedicari; nec plures Monachi, vel Clerici, quàm quibus Eccleſiæ facultates ſufficere poſſunt, in Monaſterijs recipi*, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Adeuitandum*.

§. Sed eſto, quod ſit aliquod pauperum Chriſti Collegium reperire, quod nihil habeat proprium, vel commune; Numquid propter hoc iſti erunt perfectiores illis, quorum Collegium habet poſſeſſiones communes? Abſit, Iam enim eſſent

perfectiores Sanctis Patribus, Augustinô, Hilariô, Paulinô, & alijs Sanctis multis, qui relictis suis omnibus propter Christum, posteà facti Episcopi, communes possessiones Ecclesię laudabiliter ministrarunt dispensarunt, & augmentarunt, 12. q. 1. ca. *Expedit*. Perfectiores etiam essent B. Syluestrô Pontifice, qui vrbem Romam nomine Romanę Ecclesię ab Imperatore Cõstantino sibi donatam non recusauit; memor fortè existens illius promissionis Domini Marc. 10. dicentis. *Nemo est, qui reliquerit domum, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum; nunc in tempore hoc domos & agros; & in sæculo futuro vitam æternam.* Perfectiores etiam essent B. Paulô, qui dicit se abundare, & repletum esse pecuniis sibi missis à Philippensibus per Epaphroditum. *Philipp. vlt.* Qui etiam ad supplendum defectus suos recipiebat pecuniam, quam sibi mittebant Fratres de Macedonia. 2. *Corinth.* 11. Et constat, quod illam pecuniam habebat, vel vt propriam, vel vt communem. Perfectiores etiam essent omnibus Apostolis, qui pretia domorum, & agrorum venditorum, ante pedes illorum posita, primò per seipsos, vt legitur *Act.* 4. deinde per septem Diaconos ad hoc electos, vt legitur. *Act.* 6. dispensabant singulis pauperibus (de quorum numero erant) ita quod *Nullus egebat inter illos, sed erant illis omnia commnia* Act. 4. Perfectiores etiam essent ipsô Dominô Iesu Christô, *Qui loculos habuit, à fidelibus oblata conseruans, & ex illis, tam suis Discipulis, quàm alijs pauperibus communem vitam ducentibus* (de quorum numero erat & ipse) *necessaria tribuebat*, vt dicit Augustinus *super Ioannem* cap. 12. & habetur 12. q. 1. cap. *Habebat Dominus loculos.*

§. Si verò dicatur, Dominum loculos habuisse, condescendendo Infirmis, vt dicit Glossa ibidem his verbis. *Cui Angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum, condescendendo Infirmis.* Et ideo non est trahendum ad consequentiam à Perfectis. Respondendum est, quod loquitur Glossa de infirmitate naturali hominum animalium, id est alimoniâ indigentium; quibus indigentibus necessarijs huius vitæ Angeli non ministrant; sed necesse habent, vt eis, vel a seipsis, vel ab alijs habentibus, necessaria ministrentur; quales erant Apostoli adhuc corpus terrenum portantes. Vnde super illud Psalmi 103. *Vt educas panem de terra*, dicit Glossa. *Id est de Apostolis, & ceteris Dispensatoribus veritatis, adhuc corpus terrenum portantibus.* Ec-

Digitized by Google

ce infirmitas, de qua loquitur Gloſſa prædicta, cum dicit *Compatiendo Infirmis.* Quæ infirmitas non eſt contraria perfectioni, alioquin ipſi Apoſtoli fuiſſent imperfecti, pro quibus, & alijs pauperibus dicitur Chriſtus loculos habuiſſe, vt oſtenſum eſt paulo antè. Et ijdem Apoſtoli minùs perfecti fuiſſent, quando de loculis Domini vixerunt; quàm fuerant antè, quando ſine pera & ſacculo ad prædicandum miſſi fuerunt, vt legitur *Lucæ* 10. Et ſic in charitate non profecerunt, ſed defecerunt; cum ſcriptum ſit: *Charitas aut proficit, aut deficit.* Si autem Apoſtoli, electi à Domino, fuerunt imperfecti; qui modernorum poterunt dici perfecti? Licet enim omnes Regulares ſint in ſtatu perfectionis, quem ſi omninò ſeruarent, perfecti eſſent; pauci tamen, aut nulli hodie propter fragilitatem noſtri temporis creduntur eſſe Apoſtolicâ perfectione perfecti; cum temporibus Apoſtolorum, etiam minimi Chriſtiani perfectiores eſſent, quàm modò ſint Viri apud nos perfectiſſimi Religioſi, vt dicit Hieronymus in libro *De Illuſtribus Viris.* Vel verius poteſt dici, quod illa Gloſſa prædicta, quæ dicit, *Cui Angeli miniſtrabant, loculos habet in ſumptus pauperum, condeſcendendo Infirmis*, Infirmos appellat, non omnes homines, ſed tantùm corpore imbecilles; qui propter corporis infirmitatem, aut naturalem, aut conſuetudinalem, vt diſtinctum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Infirmitas*, non poſſunt corporaliter laborare; & qui neceſſe habent, ſi egeant, de loculis Domini viuere; qualis erat Timotheus, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Item, ſi humilius.* Quæ infirmitas perfectioni nihil adimit; ſed magis addit; vt patet in ipſo Timotheo; qui, etſi corporis infirmitatem habuit, mente tamen perfectus fuit. Vel adhuc veriùs poteſt dici, quod Gloſſa prædicta, Infirmos appellat; non illos, qui de loculis Domini viuunt; ſed illos, qui exinde ſcandalizantur; putantes ſcilicet, imperfectionis, vel minoris perfectionis eſſe, de loculis Domini viuere. Talibus enim Infirmis condeſcendens, ſeu compatiens Dominus, ne fortè ſcandalizarentur, ac minori perfectioni adſcriberent, ſi viderent Seruos Dei loculos communes habere & de illis viuere; ideo loculos habere voluit, vt eſſet alijs in exemplum, vt legitur 12. q. 1. cap. *Exemplum accipite* Vnde. Aug. in lib. 2. De ſermone Domini in monte. *Hoc autem vehementer cauendum eſt, ne fortè cum viderimus Seruum Dei aliquando prouidere, ne iſta neceſſa-*

ria desint sibi, vel ijs, quorum cura sibi commissa est, iudicemus eum de crastino sollicitum esse. Nam & ipse Dominus, cui Angeli ministrabant, tamen propter exemplum, ne quis posteà scandalum pateretur, cum aliquos Seruorum eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est, quibus portabatur pecunia, de qua vsibus necessarijs quidquid opus fuisset præberetur. Sicut Paulus Apostolus de crastino potest videri cogitasse, cum dicit 1. *Cor.* 16. DE COLLECTIS AVTEM QVÆ FIVNT IN SANCTOS, SICVT ORDINAVI ECCLESIIS GALATIÆ, ITA ET VOS FACITE. *Nec ad vnum tantùm diem videtur victus iste procuratus.* Et infrà. *His & alijs huiusmodi Scripturarum locis satis apparet, Dominum nostrum non probare, si quis humanô more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, vt in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur.*

§. Item, si Christus, qui fuit perfectissimus, habendo communes loculos, compatiendo Infirmis, nihil suæ perfectioni detraxit (alioquin minùs perfectus fuisset passioni appropinquans, loculos habendo *Ioan.* 12. quàm in deserto existens, sine loculis ieiunando *Matth.* 4.) Igitur perfectus imitator Christi, habendo communes loculos, compatiendo Infirmis, nihil perfectionis amittit; præsertim, *cum tota Christi vita in terris secundùm hominem, quem assumpsit, morum fuerit disciplina,* vt dicit Augustinus in libro *De Vera Religione.*

§. Notandum autem, quod Quidam præfatam superstitiosam traditionem ponentes, non tamen eam seruantes, in quibusdam libellis ab eis editis scribere præsumpserunt; nihil habere propter Christum, proprium, vel commune, summæ perfectionis esse; nihil verò habere proprium propter Christum, habere autem commune, etsi quidem alicuius perfectionis existat, non tamen summæ; cum haberi possit huius vitæ sufficientia de communi. Quam quidem sufficientiam dicunt omninò abijciendam esse propter vitam æternam, vt asserunt Augustinum dicere in Epistola *Ad Probam* De orando Deo. Non intelligentes, vel non intelligere simulantes Augustinum loqui in eo casu, quando necesse est, aut sufficientiam abijci, aut vitam æternam amitti. In quo casu, non solùm sufficientia, verùm etiam incolumitas, siue vita propria, vel Amicorum, est abijcienda, vel contemnenda; *Quoniam animus nullô modô sanus æstimandus est, qui non temporalibus æterna præponit,* vt dicit

dicit Auguſt. ibidem. Item Auguſt. *De Ciuitate Dei* lib. 9. cap. 4. *Stoici & Peripatetici, malle ſe dicunt illa amittere, quibus natura corporis ſalua & incolumis habetur; quàm illa amittere, quibus iuſtitia violatur.* Quæ tamen incolumitas corporis abſque dicta neceſſitate, non ſolùm non eſt abijcienda, ſed diligenter ſeruanda, iuxta documentum Apoſtoli dicentis. *Nemo vnquam carnem ſuam odiò habuit, ſed fouet eam, & nutrit.* Epheſ. 5. De hoc Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 13. *Agatur corporis diligentiſsimè cura; ita tamen, vt cum exigit ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum ſit in ignes. Nihilominùs, quantùm poſſumus, euitemus pericula, & incommoda quæque, & in tutum nos reducamus.* Quod autem ſufficientia non ſit abijcienda, ſed potiùs optanda oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Ideo ſapientiſsimus.* Ex eo autem, quod aſſerunt; nihil habere propter Chriſtum, proprium, vel commune, ſummæ eſt perfectionis; habere autem commune, non eſt ſummæ perfectionis; manifeſtè innuunt, non ſolùm Romanam, verùm etiam vniuerſam Eccleſiam, à tempore, quô cœpit habere communes poſſeſſiones, à perfectionis culmine miſerabiliter cecidiſſe, & ſe ſolos in illo culmine permanere. Quod dicere, quàm ſit præſumptuoſum, quàm ſuperbum, quamque generali Eccleſiæ, & eius Rectori Summo Pontifici intolerabiliter iniurioſum; videat & iudicet Deus vltionum.

§. O igitur Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum, Dominô diſponente, Mater pariter, & Magiſtra, tot & tantorum conſilijs Sapientum ſuffulta! Aperi oculos tuos, & vide, quod iam ferè nulli poſſibile eſt ignorare. Alioquin, audi obiurgationem Apoſtoli 2. Corinth. 11. ſic dicentis. *Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim, ſi quis deuorat; ſi quis accipit; ſi quis extollitur; ſi quis in faciem vos cædit.* Nota, quod dicit, *Suſtinetis, ſi quis deuorat.* Gloſſ. *Id eſt, ſi quis de poteſtate præſumens, conſumit veſtra.* Nonne de poteſtate præſumentes, conſumunt veſtra, qui ſub prætextu publicè præcandi, confeſſiones fidelium audiendi, pœnitentias iniungendi, vel alterius animarum regiminis exercendi, eiuſdem regiminis poteſtatem ſtatui ſuo, vel Ordini annexam eſſe dicentes (prout in quibuſdam libellis ſuis ſcribere præſumpſerunt) bona filiorum veſtrorum Chriſti fidelium, continuè (vt & ipſi aſſerunt) mendicando, importunè ac impudenter petunt, & indiſcretè, ac etiam indifferenter recipiunt? Sequitur *Si quis*

accipit. Gloss. *Sustinetis, si quis decipit blande, vt deuoret.* Nonne, vt deuorent, blandè decipiunt, qui suas traditiones, ac sanctitatem, immoderatè, & inuerecundè laudantes, ægrotantibus vsuratijs, vel alijs peccatoribus opulentis, suorum conscientiâ peccatorum, imminente morte, turbatis, virtute orationum, & aliorum suffragiorum suorum spiritualium, salutem æternam impudenter promittunt, si apud eos suas elegerint sepulturas, vel aliter eis fecerint donationes immensas? De quibus dicetur plenius infrà eadem dist. in 43. signo. Sequitur. *Si quis extollitur.* Gloss. *Sustinetis, si quis de nobilitate se iactat, vt Iudæi de genere Abrahæ circumcisi, se incircumcisis Gentibus præferebant.* Nonne similiter de nobilitate, vel sublimitate se iactant; qui Religionem suam, quasi à rebus mundanis penitùs circumcisam, alijs Religionibus quasi minùs circumcisis, excellentiorem asserere non formidant? Sequitur. *Si quis in faciem vos cædit.* Gloss. *In faciem cæditur, in cui vos iniuria irrogatur.* Nonne in os vestrum patenter intolerabilem vobis, & cæteris ab eis Religiosis iniuriam irrogant, qui vt populum in se vitæ nouitate conuertant, vt ostensum est suprà dist. 3 §. *Et ne vilitas*, se solos propter Christum nihil habere in proprio, vel communi fingentes, vos & omnes Christianos vestros, Sæculares & Regulares, præteritos & præsentes, qui aut de proprijs, aut de communibus Ecclesiæ bonis, iuxta Sanctorum traditiones, absque mendicatione vixerunt, & adhuc viuunt, in vitæ perfectione præcedere irreuerenter ostentant? Quàm sint igitur ista periculosa, iudicet, si placet, discretio vestra; *Quia si in viridi ligno hæc fiebant, in arido quid fiet?* Luc. 23. Hoc est. *Si per Pseudo-Prædicatores & Penetrantes domos, tot & tanta mala, quanta in Epistolis suis narrat Apostolus, fiebant in Ecclesia primitiua; quanta putatis contingere in præsenti Ecclesia, vel futura?* cum eò magis sint prædicti Seductores multiplicandi, quò magis acceditur ad finem mundi, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Inter istos autem*, & §. *Apostolus autem.* Sed hæc hactenùs.

§. Item vide, quod Monasterium, vel Ecclesiam habere communes res, vel possessiones, in nullo diminuit Monachorum, vel aliorum Regularium perfectionem cum propriè loquendo, non possint dici communes illis singulis, sicut nec propriæ: vt per hoc scilicet intelligantur habere singuli dominium illarum communiter, id est pro indiuiso; quemadmo-

dùm ſocij, vel cohæredes, habent dominium rerum communium pro indiuiſo, antequàm diuidantur; alioquin poſſent ſinguli Regulares agere ad diuiſionem rerum Eccleſiarum ſuarum; cum nemo cogatur in communione detineri inuitus. C. *Communi diuidundo.* L. vlt. Poſſent etiam ſinguli Regulares vendere ius, ſiue dominium, ſi quod haberent ſinguli in communibus poſſeſſionibus Eccleſiarum ſuarum; *cum omnis Dominus, quod habet, ſi vult, vendere poſsit*, vt legitur 1. q. 1. cap. *Eos qui*; quod eſt abſurdum, & Sanctorum Patrum canonibus inimicum. Dicuntur ergo res Eccleſiaſticæ communes Monachis, vel Clericis, impropriè; quaſi ad communitatem, ſiue ad vniuerſitatem eorum communiter pertinentes; quemadmodùm alibi cum dicitur *Rerum vniuerſitatis dominium pertinere ad ciues.* Inſtitut. *De rerum diuiſione §. Vniuerſitatis*; appellatione ciuium, non ſinguli ciues, ſed ciuitas, id eſt ciuium vniuerſitas continetur. Propriè autem loquendo, dicuntur res Eccleſiaſticæ eſſe Chriſti, vel Eccleſiæ, ſiue vniuerſitatis. Vnde Stephanus Papa. *Qui Chriſti pecunias Eccleſiæ aufert, vt homicida in conſpectu iudicis deputabitur.* 12. q. 2. cap. *Qui Chriſti pecunias.* Ecce quod pecunia Eccleſiæ dicitur eſſe Chriſti. Item Innocentius Papa loquens de rebus Eccleſiaſticis, ita dicit. *Eccleſiæ, cuius eſt ius retentionis,* id eſt poſſeſſio, *ſit æternum dominium.* 16. q. 3. cap. *Inter memoratos.* Ecce quod Eccleſia dicitur habere poſſeſſionem, & dominium rerum Eccleſiaſticarum; quemadmodùm *Hæreditas dicitur domina rerum hæreditariarum.* ff. *De acquirendo rerum dominio.* L. *Hæreditas.* Veri ergo Regulares, qui reliquerunt omnia propter Chriſtum; licet eorum Eccleſiæ communes habeant poſſeſſiones; nihilominùs tamen ſinguli perfectè pauperes ſunt; cùm nullius rei dominium, vel in re, vel in ſpe habeant, vel habere debeant, ſiue in proprio, ſiue in communi. Item, *cum pauper ſit, qui ſibi non ſufficit*, vt dicit Gloſſa ſuper illud Pſalmi 39. *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Singuli autem Viri Regulares æquè ſibi non ſufficiant; cum nullius rei propriæ, vel communis, Domini exiſtant; ſed potiùs res vniuerſitatis eis omnem ſufficientiam præbeant. Reſtat, quod omnes veri Regulares æquè pauperes dici queant, & quoad paupertatem æquè perfecti exiſtant; præſertim, cùm perfecto pauperi (videlicet, qui propter Deum nihil habet, nec habere vult, quod dici valeat ſuum eſſe) nihil vlteriùs voluntariæ pau-

pertatis posſit accedere; & ideo nemo pauperior, seu in paupertate perfectior posſit eſſe; iuxta verbum Senecæ *Ad Lucilium* Epistola 56. dicentis. *Quid accedere perfecto potest? nihil; Aut perfectum non erat, cui accesſit.* Item Isidorus lib. 10. Etymolog. *Perfectus est, cui iam nihil adjci potest. Huic nomini apud Grammaticos non adjcitur comparatio; quia si dixeris ille perfectior est, iste perfectus non erit.* Item Prosper in libro De vita contemplatiua. *Nemo perfectiùs erogauit eô, qui nihil sibi ex proprio, perfectionis intentione reliquit.* Hoc autem faciunt omnes veri Regulares. Omnes igitur veri Regulares, quoad statum paupertatis Euangelicæ, æquè perfecti existunt. Nisi fortè falsò dicatur, quod habere sustentationem de rebus Ecclesiæ, quæ debentur Christi pauperibus; vel eorum administrationem habere, perfectionem minuat paupertatis. Quod si verum esſet, minùs perfecti fuissent Apostoli, qui de bonis communibus Ecclesiæ primitiuę (scilicet de pretijs agrorum à Christi fidelius venditorum sibi oblatis, vt prædictum est) vixerunt; quàm sint illi Regulares moderni, qui vitam mendicantium elegerunt. Minùs etiam perfecti essent Episcopi, vel Abbates, Ecclesiasticarum rerum administrationem gerentes, cæteris Clericorum, vel Monachorum; quod dicere est ridiculosum, & sententiæ Prosperi omninò aduersum dicentis. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni.* Et infrà. *Denique Sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogauit; sed cum factus fuisſet Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed eas fidelissimè dispensauit. Quô factô satis ostenditur, & propria propter perfectionem debere contemni, & sine impedimento perfectionis posſe Ecclesiæ facultates, quæ profectò communes sunt, possideri. Quid Sanctus Hilarius? nonne & ipse omnia sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen, cum meritô suæ perfectionis factus fuisſet Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, quæ illa tunc habebat Ecclesia, non solum possedit, sed acceptis etiam fidelium numerosis hæreditatibus ampliauit. Itaque homines tam sæcularium, quàm diuinarum literarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, numquam eas debuerant recipere, qui omnia reliquerant.* 12. q. 1. cap. *Expedit.* Ecce quod, licet posſessiones proprię debeant amore perfectionis contemni & relinqui, tamen communes posſessiones Ecclesiæ non debent

Digitized by Google

contemni ; & ſine impedimento perfectionis poſſunt haberi.

§. Adhuc opponunt Aduerſarij Veritatis illud Matt. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* Dicunt igitur, quod Viris perfectis, & paupertatem Euangelicam profitentibus, non licet hæc habere in proprio, nec in communi.

§. Ad quod dicendum eſt, quod verbum illud non fuit dictum quibuſlibet perfectis, ſed ſolùm Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris; id eſt Prælatis, qui habent poteſtatem viuendi de Euangelio. Vnde ſequitur. *Dignus eſt Operarius cibô ſuô.* Item dicendum eſt, quod ibi prohibetur Apoſtolis *poſſidere ſibi, non poſſidere alijs*, Id eſt *poſſeſsio propria, non communis*, quæ cum contemptu temporalium poteſt eſſe. Nam, vt dicit Proſper, *Hoc eſt poſsidendo contemnere, non ſibi, ſed alijs poſsidere*; alioquin peccaſſent Apoſtoli, *quibus erant omnia communia.* Act. 4. Item dicendum eſt, quod non fuit illud præceptum à Domino, ſed permiſſum; quod notari poteſt ex eo quod ſequitur. *Dignus eſt enim Operarius cibô ſuô.* Quaſi diceret. *Permitto vobis pergere in prædicatione Euangelij, ſine auro, & argento, & pecunia; quia recipere poteſtis victum & veſtitum ab Auditoribus veſtris, tamquam illorum Operarij à Domino conſtituti.* Et ſic exponit Auguſtinus in lib. 2. *De mendacio* dicens. *Cum dixit Dominus Apoſtolis*, NIHIL TVLERITIS IN VIA, *continuò ſubiecit.* DIGNVS EST ENIM OPERARIVS CIBO SVO. *Vnde ſatis oſtendit permiſſum hoc eſſe, non præceptum.* Et ſimiliter exponit hoc idem Auguſtinus *Contra Adimantum Manichæi Diſcipulum* cap. 20. & in lib. *De opere Monach.* cap. 6. & Rabanus *ſuper Matthæum* cap. 10.

§. Si autem dicatur fuiſſe præceptum, eô quod legatur Marc. 6. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm.* Gloſſa. *Id eſt niſi poteſtatem viuendi de Euangelio.* Reſpondemus, quod per hoc non præcepit Dominus Apoſtolis, abſtinere ab vtili, & moderata neceſſariorum prouidentia; ſed à nimia illius ſollicitudine & cura, per quam impediretur eorum officium predicandi æterna. Vnde Gloſſa ibi. *Ne dum ſibi prouiderent temporalia, minùs alijs prouiderent æterna.* Vnde exponendo verbum prædictum ſequitur in textu Euangelij. NON *peram.* Gloſ. *Id eſt curam ſæculi.* NON *panem.* Gloſſa *id eſt delicias.* NON

in zona æs. Gloſſa. *Id eſt occultam ſapientiam.* Patet igitur manifeſtè per Gloſſam, quod Dominus prohibuit Apoſtolis delicias, & curam temporalis prouidentiæ nimiam; non prouidentiam moderatam. Vnde Luc. 12. ſuper illud *Nolite ſolliciti eſſe, quid manducetis*, dicit Gloſſa. *Non prouidentiam prohibet, per quam in ſudore vultus panis præparatur; ſed ſollicitudinem vetat, quæ mentem perturbat, & ab æternis reuocat.* Illi ergo Prædicatores, qui propter carentiam poſſeſſionum Eccleſiæ, aſſumunt ſibi curam populi propter victum quærendum, vagantes propter quæſtum victus continuum hac & illac; qui etiam de quæſtu continuo, & intolerabiliter importuno, copioſiùs & delicatiùs vitam agunt, quàm illi, qui communibus poſſeſſionibus Eccleſiæ coëtuntur; videntur ferre *in via peram, & panem*, contra prohibitionem Domini ſupradictam; quâ prohibuit ſuis Diſcipulis, *Ne quid tollerent in via, non peram, non panem*, &c. Vnde tales Prædicatores magis videntur eſſe Pſeudo, quàm veri Apoſtoli, niſi canonicè de ipſorum conſtiterit poteſtate.

§. Item, cum voluntaria paupertas ideo ſit laudabilis, & meritoria, quia habet duo magna bona ſibi annexa (videlicet, priuationem ſollicitudinum huius mundi, quæ mentem perturbant, & ab æternis reuocant; & priuationem deliciarum, quæ carnem contra ſpiritum eleuant, & concupiſcentiam carnis inflammant) videtur; quod illorum paupertas non ſit laudabilis, nec meritoria, qui propter victum ſollicitudinibus huius ſæculi ſe immergunt, & de quæſtu ſuo continuo vitam delicioſam ducunt.

§. Item, obijciunt illud Auguſtini Ad Nebuliam. *Si vis eſſe perfecta, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & nudam ſolamque crucem nuda ſequaris.* Ergo, inquiunt, qui vult eſſe perfectus debet ſequi ſolam crucem nudus. Sed qui habet in communi, non eſt omninò nudus. Ergo qui vult eſſe perfectus, nihil debet habere in proprio, vel communi.

§. Sed hoc ſoluit Hieronymus *Ad Nopotianum* dicens. *Si non accipio inter cæteras tribus, ſed quaſi Sacerdos & Leuita vivo de decimis, & altari ſeruiens de altaris ſuſtentor oblatione; habens victum & veſtimentum, his contentus ero; & nudam crucem nudus ſequar.* Et habetur 12. q. 1. cap. *Clericus.* Videtur

ergo, quod etiam Clerici viuentes de altari, si victu, vel vestitu sint propter Deum contenti, nudam crucem sequuntur nudi.

§. Item, opponitur illud Augustini in libro De Catechizandis rudibus. *Omnia bona terrena contempsit Christus, vt contemnenda monstraret.* Ergo & propria, & communia, viro perfecto sunt contemnenda.

§. Respondeo. Loquitur hic Augustinus de contemptu rerum mundi, quæ in proprio possidentur; non de communibus bonis Ecclesiæ, quæ non sunt res mundi, sed Dei. Vnde Prosper De vita contemplatiua. *Possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt Sacerdotes, iam non sunt res mundi credendæ, sed Dei.*

§ Rursùs obijciunt illud Hieronymi in 3. Epistola Ad Heliodorum. *Perfectus seruus Christi nihil habet præter Christum; aut si aliud præter Christum habet, perfectus non est.* Ergo si quid habet in communi, perfectus non est.

§. Sed hoc soluit idem Hieronymus *Ad Nepotianum* dicens. *Qui tantùm Ecclesiæ bonis vtitur, nihil habet præter Christum.* Item Prosper. *Qui tantùm de bonis Christi, contemnendo omnem proprietatem viuit, nihil in hoc sæculo habere quærit; quia hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed alijs possidere.*

§. Adhuc non cessant Validi Mendicantes, otium corporale fouere volentes, aliena negotia, & ad statum suum impertinentia, curiosè agere cupientes, vagandi hac & illac occasionem quærentes, solitudinem claustri, & quietem silentij sub pietatis specie fugientes; & vt sub prætextu suæ mendicationis continuè probabiliter possint huc & illuc discurrere; & tam sub eodem prætextu mendicitatis, quàm etiam animarum, non sibi, sed alijs commissarum vsurpati regiminis, singulorum domos valeant penetrare; idcirco communitatem Ecclesiæ possessionum, quas si haberent, oporteret eos à sua mendicatione, & suo discursu, quandocumque quiescere, modis omnibus, quibus possunt, disputando impugnare contendunt. Et cum eam per authoritates canonicas, aut per rationes inconcussas cum effectu improbare nequeunt, ad rationes friuolas manum mittunt, dicentes. Si Ecclesia debet habere bona communia. Ergo sunt æqualiter omnibus Personis Ecclesiasticis communicanda; Ergo tantùm de illis debet habere

vnus Canonicus, quantùm Episcopus, vel Decanus; & tantùm debet habere vnus canonicus in alterius præbenda, quantùm habet in sua. Quæ cum non ita fiant, Restat, quod communes Ecclesiæ possessiones magis cedunt ad animarum periculum, quàm ad earum profectum.

§. Ad quod, licet ex abundanti, potest facilè responderi, quod licet in Ecclesia primitiua essent omnia bona communia; non tamen omnia erant æqualiter distributa, sed prout vnicuique opus erat; videlicet, plùs adolescenti, quàm puero; minùs adolescenti, quàm viro; plùs habenti familiam maiorem, minùs habenti minorem; ita quod *Nullus egebat inter illos*, vt legitur Act. 4. Ad cuius instar sequentes Sancti Patres ditatâ Ecclesiâ censuerunt, bona Ecclesiæ diuidenda iuxta qualitatem differentem, & maiorem, vel minorem vtilitatem Personarum Ecclesiasticarum, & secundùm maioritatem & minoritatem officiorum & graduum in Ecclesia diuinitùs distinctorum. Ita vt, sicut legitur Exod. 16. & recitatur ab Apostolo 2. Corinth. 8. de Manna collecto à filiis Israel in deserto. *Qui multùm* scilicet collegit, *non abundauit*; *& qui modicùm, non minorauit*. Hoc est. *Vnusquisque tantùm habuit, & non amplius, quantùm sibi sufficit.* Eodem modô in Ecclesia Christi, qui plus habet secundùm dignitatem suam & officium de bonis Ecclesiæ, non potest dici vltra debitum abundare; quia plures oportet eum Ministros habere, & egenis pluribus subuenire. Similiter, qui minùs habet iuxta suum minus officium, non potest dici minorari vltra debitum; quoniam scit, vel scire debet, se paucioribus Ministris esse contentum, & ad pauciores eleemosynas obligatum. De hoc Augustinus *in Regula Clericorum* loquens ad ipsos Clericos, sic ait. *Sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrûm victus & vestimentum; non æqualiter omnibus, quia non æqualiter præualetis omnes; sed potiùs vnicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legistis in actibus Apostolorum.* QVIA ERANT EIS OMNIA COMMVNIA, ET DISTRIBVEBANTVR VNICVIQVE, PROVT CVIQVE OPVS ERAT. Hoc est, *Quantùm eius officium, vel familia requirebat; aut etiam salus corporis, aut conueniens habitus eorum, cum quibus honestè officioseque viuendum est*, vt dicit Augustinus *Ad Probam* De orando Deo. Item in Concilio Agathensi legitur. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita*

bita secundùm seruitij sui meritum, vel ordinem canonum à Sacerdotibus consequantur. 1. q. 2. cap. *Clerici.*

§. Si fortè dicatur, quod Clerici deberent vti bonis Ecclesiç communibus, non in domibus propriis, sed in domo communi, sicut faciunt Regulares Viri; Dicendum est, quod ad hoc præter alias canonicas sanctiones, habent authoritatem Prosperi in libro 2. *De vita contemplatiua* dicentis: *Clerici quoque (quos pauperes, aut voluntas, aut natiuitas fecit) cum perfectione virtutis vitæ necessaria, siue in domibus suis, siue in congregatione viuentes, accipiant; quia ad ea accipienda, non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit viuendi necessitas.* Et habetur 1. q. 2. cap. *Sacerdos.*

§. Illi autem, qui non tantùm se, vel sua Collegia nihil habere proprium, vel commune, dicunt, vel fingunt; sed etiam nihil tale se debere habere asserunt; & in hoc apicem, seu culmen perfectionis specialiter sibi ascribunt, & ad hoc probandum Scripturarum testimonia peruersè inducunt; caueant sibi, ne incidant in hęresim Manichæi; qui non est reputatus Hæreticus, eò quod nec aurum, nec argentum, nec in zona æs, se velle habere dicebat; sed quia hoc perfectè Christianum non debere habere falsò intellectis Euangelicis testimonijs asserebat. Contra quam hæresim disputando, & eam veraciter improbando laborauit diutiùs Augustinus *Contra Faustum Hæreticum* lib. 5. & in plærisque alijs libris suis. Restat igitur, quod status illorum Regularium, quorum vniuersitas communes habet possessiones, non est minùs perfectus, quoad hoc; quàm status illorum, quorum vniuersitas nullas habet possessiones.

§. Item, si vniuersitas illa (cui secundùm traditiones suas non licet habere communes possessiones immobiles) mobilium possessiones retineat, nec non immobiles, si offerantur, lætanter recipiat; posteà verò distrahat, & pretium earum congreget, & ad sui sustentationem conseruet; quid ampliùs habet perfectionis illâ vniuersitate, quæ habet immobiles possessiones? Nonne in rebus mobilibus potest esse abusus & peccatum, sicut in rebus immobilibus?

§. Sed forsan respondebit huius traditionis Defensor, quod Apostoli in Ecclesia primitiua, non prædia, sed eorum pretia recipiebant; de quibus sibi, & suis, communiter vitæ necessaria

prouidebant *Act.* 4. Vnde, qui in hoc Apostolos imitantur, in statu perfectiori esse videntur.

§. Ad quod dicimus confidenter, quod cum Apostoli tunc essent in Iudæa, non prædia, sed eorum pretia ad sustentationem pauperum recipiebant; quia Ecclesiam non dilatandam apud Iudæos, sed futuram in Gentiles præuidebant. Vnde Melchiades Papa. *Futuram in Gentibus Ecclesiam Apostoli præuidebant; idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti; sed pretia tantummodò, ad fouendum egenos.* 12. q. 1. cap. *Futuram.* Tempore verò procedente, cum iam Ecclesia dilatata esset in Gentibus, videntes Summi Sacerdotes, & reliqui fideles, quod vtilius erat Ecclesiæ prædia retinere, & de fructibus eorum annuis perpetuò pauperibus prouidere; decreuerunt, quod deinceps non venderentur, sed ad pauperum sustentationem perpetuam seruarentur; excommunicantes nihilominùs omnes illos, qui hæc auellere niterentur. Vnde Vrbanus Papa. *Videntes Summi Pontifices, & reliqui fideles, plùs vtilitatis posse conferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus Episcopi præsidebant, traderent (eò quod ex fructibus eorum tam præsenti, quàm futuris temporibus, plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum) cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, Matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere.* Et infrà. *Ideò si quis extiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dictâ damnatione feriatur.* Istud legitur 12. q. 1. cap. *Videntes.* Quam sententiam timere possunt illi, qui per quamdam obseruantiam à seipsis inuentam contrà faciunt, & tradunt; recipientes scilicet, non tamen retinentes, sed vt perfectiores alijs videantur, vendentes possessiones immobiles, quæ illis, seu illorum Ecclesijs, à Christi fidelibus pietatis intuitu conferuntur; & eamdem obseruantiam suam *Religionem* appellant.

§. Sed adhuc obiciet huius traditionis Defensor dicens, statum illum perfectiorem esse, in quo immobiles possessiones non habentur, quàm in quo habentur; eò quod possessiones immobiles multas sollicitudines ingerunt, & ob hoc impediunt animi libertatem ad contemplandum diuina.

§. Ad quod dicimus, quod contrarium est verum. Sicut enim victum habere de laboribus corporis, non impedit; sed potiùs expedit animi libertatem ad contemplandum Deum;

amouendo ſcilicet ſollicitudinem de victu quærendo, & de cogitando in craſtinum, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Sed certè*; ſta victum habere de communibus poſſeſsionibus Eccleſiæ, aut de decimis, vel primitijs, vel alijs obuentionibus Eccleſiaſticis, non impedit, ſed potiùs expedit animi libertatem ad contemplandum Deum; amouendo ſcilicet ſollicitudines de victu quærendo, quas neceſſe eſt illum habere, qui cum indigeat, nec de communibus bonis Eccleſiæ, nec de corporali labore, ſed tantùm de alterius largitate & deuotione, quæ incerta eſt, victum ſemper expectat. Vnde Proſper *De vita contemplatiua* lib. 2. *Ideò decimas, atque præmitias frugum, primogenita, & ſacrificia pro peccatis, vel vota, quæ ſibi Deus iuſsit offerri, Sacerdotibus ac Miniſtris diſtribui debere conſtituit; vt deuotiſsimò populò miniſtrante neceſſaria, ipſi Creatori, ac Paſtori ſuo, liberis mentibus miniſtrarent, atque in eius cultu ſine vlla ſollicitudine corporali proficerent.* Victum igitur habere de communibus bonis Eccleſiæ expedit animum ad contemplandum diuina; amouendo ſcilicet ſollicitudinem de victu quærendo. Mendicare verò impedit animi libertatem ad contemplandum, propter ſollicitudinem victus, & cogitandi de craſtino; ſicut è contrario ſecuritas cibi facit, vt meliùs vacari poſsit æternis, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Sed certè videri poteſt.* Aufert etiam mendicitas animi libertatem, quam debet habere Chriſtianus ad non peccandum propter neceſsitatem victus: compellit enim quandoque cadere in in varia genera peccatorum, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Si verò dicatur.*

§. Et quod dicuntur immobiles poſſeſsiones inducere multas ſollicitudines; Idem dici poteſt de mobilibus; niſi quia tantò ſecurius, quantò ſecretiùs, poſsidentur; nec illæ ſollicitudines tangunt ſingulos Fratres, ſiue Clauſtrales; ſed illos tantùm, qui præſunt Eccleſijs, vel Monaſterijs; vt vnò videlicet præſidente ſollicitudinem gerente pro cunctis Fratribus, liberè poſsint illi Fratres ſpirituali quiete potiri. Vnde Proſper De vita contemplatiua. *Expedit facultates Eccleſiæ poſsideri, non explendis voluptatibus, aut fouendis; ſed congregandis Fratribus, & alendis; vt vnò ſollicitudinem omnium in ſua ſocietate viuentium ſuſtinente, omnes, qui ſub eo ſunt, fructuoſa vacatione ſpirituali quiete potiantur.* Nec ſunt illæ ſollicitudines ſuffocantes animi libertatem (cum non ex cupiditate priuatæ rei proueniant;

vel prouenire debeant) sed potiùs ex prouidentia & charitate; videlicet, vt fideliter conseruentur communes possessiones Ecclesiæ, ad vsum & sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & pauperum Christi; scilicet Monachorum, qui omnia reliquerunt propter Christum, & aliorum egentium, qui debent de bonis Ecclesiæ sustentari.

§. Si verò obijcias illud Gregorij lib. 1. *Moralium* dicentis. *Neque enim terrena dispensatio, quamuis æternæ vtilitati deseruiat, sine perturbatione mentis valet exhiberi.* Et ideo melius est, nihil habere in proprio, vel communi; quàm habere rerum communium dispensationem. Respondemus verum esse, quando talis administratio peruersô amore appetitur; alioquin non est vetum. Vnde Gregorius lib. 18. Moral. *Exteriores curæ, si peruersô amore non appetuntur; non confusô, sed ordinatô animô ministrari queunt.* Et post. *Quisquis verò talis est; quilibet tumultus versentur exterius, numquam ad eius interna perueniunt.* Præterea dispensatio bonorum Ecclesiæ, si debitô modô fiat, non potest verè & propriè dici terrena; quia, vt dicit Prosper, *Iam non sunt sæculi dicenda, quæ ad vsum pauperum Domino sunt dicata.* Si enim sollicitudines, quas habent Rectores Ecclesiarum, & Monasteriorum, non ex prouidentia & charitate, sed ex cupiditate procederent; omnes Prælati in statu, siue in casu damnationis essent (*Tales enim sollicitudines mentem perturbant, & ab æternis reuocant*, vt dicit Glossa Luc. 12. super illud. *Nolite solliciti esse, quid manducetis*) quod est absurdum dicere de Prælatis; cum dicat Gregorius *In Pastorali* lib. 1. cap. 12. *Quod tantô debet actionem populi actio præcedere Præsulis, quantùm distare solet à grege vita Pastoris*; alioquin nomen vilesceret Prælatorum, & sic vniuersa Ecclesia turbaretur. Nam, vt dicit Damasus Papa, *Si vilescat nomen Pontificum, omnis status Ecclesiæ perturbatur*, vt dictum est suprà dist. 1. §. *Item certum est.*

§. Item, Quâ fronte iactare audent Quidam Regulares Mendici, quod propter suam mendicationem, vel quidquam aliud, sit status eorum perfectior, aut beatior statu Prælatorum; nisi ab ipsis Prælatis perfunctoriè res agatur? cum dicat Augustinus in Epistola Ad Valerium. *Episcopi, aut Presbyteri officiô nihil beatius; si eô modô militetur, quô Imperator noster iubet*; & habetur dist. 40. can. *Ante omnia.* Item Ber-

Digitized by

nardus in Epistolis. *Si rebus charitas pretium facit; nihil in Ecclesia pretiosius, vel optabilius, bonô vtilique Pastore.* Item Hieronymus Ad Heliodorum. *Si Monachus ceciderit, Sacerdos orabit pro eo; sed pro Sacerdotis lapsu, quis rogaturus est?* Ex quo videtur, quod sanctior & perfectior sit status Sacerdotum, siue Episcoporum; quàm Monachorum.

§. Nec dicant Episcopos minùs perfectos, eô quod possident Ecclesiæ facultates, quæ profectò Dei sunt, vt ostensum est. suprà ead. dist. §. *Item vide*; cum illæ sine impedimento perfectionis valeant possideri, vt ostensum est suprà ibidem.

§. Nec dicendum est etiam, quod propriæ facultates (quæ dona Dei sunt) causentur imperfectionem; si possessor illis non inhæreat per amorem, ac eas dispensat secundùm Dei voluntatem; vt patet in Antiquis Patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, & Iob, & Dauid, & alijs plurimis, qui multas diuitias habuerunt; & tamen, teste Scripturâ, cum illis diuitijs perfectissimi extiterunt. De perfectione Noë expressè legitur Genes. 6. vbi dicitur. *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Gloss. *Perfectus viator, sed non comprehensor.* Nec fuit Iob perfectior amissis diuitijs, quàm fuerat antè, illis possessis; cùm de illo adhuc diuite dicat Deus. *Numquid considerasti Seruum meum Iob, quod non sit similis ei in terra; homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Iob 1. Quales si essent homines huius temporis, non eos relinquere oporteret diuitias propter bonum perfectionis. Vnde Augustinus in libro De moribus Ecclesiæ. *In veteri quidem Testamento amiserunt multi diuitias, & facti sunt repente pauperrimi; tam tamen inconcussum tenuerunt animum infixum Deo, vt satis demonstrarent, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum.* Quô animô si esse possent nostri temporis homines, non magnoperè in Nouo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, vt perfecti essemus. Multô enim est mirabilius, non inhærere istis, quamuis possideas; quàm omninò ea non possidere. Paupertas enim illa, quæ facit hominem perfectum, magis attenditur in humilitate, quàm in carentia pecuniæ. Vnde Augustinus *De duodecim Abusiuis* ait. *Tenim humiles, qui benè possessas diuitias habent, possunt pauperes spiritu appellari. Quis magis spem in Deo posuerat, quàm Sanctus Dauid, qui ait.* SPES MEA DOMI-

NE, A IVVENTVTE MEA? *Et tamen multis diuitijs fulgebat, se tamen frequenter pauperem clamans; quia in eis cor per amorem non habebat.* Item idem Dauid ait. *Ego sum mendicus & pauper.* Gloss. *Vt Publicanus, qui non audebat oculos ad cœlum leuare, cum quo dico,* PROPITIVS ESTO MIHI DOMINE PECCATORI. NON SVM DIVES, QVIA NON SVM SVPERBVS, VT PHARISÆVS, QVI DICEBAT. NON SVM SICVT CÆTERI HOMINVM. &c.

§. Quod autem dicit Prosper in secundo libro De Vita contemplatiua. *Quamdiu aliquis sua non reliquit; Mundo, cuius bona retinet, seruit*; intelligendum est, de illo, qui retinet animô; inhærendo scilicet eis per amorem, & volens inde suam, non Dei facere voluntatem, vt ostensum est paulò antè.

§. Item, cum Viris Regularibus communem vitam ducentibus vtilius sit, communes possessiones Ecclesiæ reseruare, & de fructibus illarum viuere; quàm eas vendere, & pretium illarum in victu suo consumere, vt ostensum est per Beatum Vrbanum suprà eodem signo. §. *Sed forsan respondebit*; Et multô fortiùs sit eis vtilius, quàm alienis donis & muneribus, contra præceptum Apostoli inhiare; Quod autem vtilius est, illud & honestius est; *cum idem sit vtile, & honestum*; vt dicit Ambrosius in lib. *De Officijs*; & quod honestius est, illud & perfectius esse videtur; Reliquum esse plurimis videtur, quod Viris Regularibus communem vitam ducentibus perfectius sit, de communibus Ecclesiæ possessionibus viuere; quàm eis abiectis, vel contemptis, perpetuò mendicare; præcipuè, cum dicat Paschalis Papa *quod corporalis Ecclesia, vt Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid* (vt est Collegium Clericorum, vel Monachorum) *sine rebus temporalibus in nullo proficit; sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit.* 1. q. 3. cap. *Si quis obiecerit.* Ex quo videtur sequi, quod eorum Ecclesia in nullo proficit, quæ res temporales ad vsum communem non habendas, sed abiiciendas dicit. Et Philosophus in Ethicis *Impossibile est bona operari indigentem.* Videtur etiam, quod qui res temporales abiiciunt contemnendo, earum Creatori iniuriam faciunt. Vnde Augustinus *Ad Marcianum* De amicitia. *Nec plus rebus temporalibus tribuamus, quàm modus earum iustissimè postulet; nec eas in aliquo contemptu abijciendo, Creatori earum Domino rerum cœlestium, atque terrestium, iniuriam faciamus.* Hæc autem, sicut & alia, dicimus sine præiudicio sententiæ melioris. Ille

autem de hoc, & de omnibus, quæ in hoc libello dicuntur, iudicet, qui de vita omnium Christianorum in hoc sæculo iudicare potest.

§. Item Anselmus in libro *De Similitudinibus* distinguit Ordinem Christianæ Religionis in duo genera; videlicet, in naturalem, & factitium, ita dicens. *Duo sunt Ordinis genera Viro Religioso conuenientia. Vnum exterius, quô Religiosus videtur; aliud verò interius, quô Religiosus habetur. Et illud quidem exterius factitij, hoc verò interius naturalis Ordinis est. Factitius quippe Ordo, factitia sunt consuetudines, quas homines inuenerunt, & quibusdam causis rationalibus seruandas instituerunt, vt patet in Ordine Monachorum. Naturalis verò Ordinis naturales sunt virtutes, vt humilitas, charitas, & aliæ plures, quas Deus naturaliter indidit homini, suæque causâ salutis seruandas mandauit.* Et infrà. *Ille itaque factitius Ordo, sine isto naturali nihil homini prodest; Iste naturalis, sine illo etiam saluare hominem potest. Vt tamen saluari valeat, valde est vtilis ille.* Et exemplum huius vtilitatis ponit ibidem Anselmus in sotulari, & eius corrigia, dicens. *Corrigia colligata pedi non est in munimentum sibi, immò potiùs in dedecus; sotularis verò pedem munit, satisque decenter conuenit illi. Ne tamen cadat, vel tortus fiat, necesse est sibi corrigia. Sic*, inquit, *factitius Ordo, licet nihil solus prosit, sed magis deceat; naturalis verò sine illo, & prosit, & deceat; vt tamen ille firmiùs teneatur, necessarius iste sibi habetur.* Cum igitur naturalis Ordo solus, & prosit, & proficere possit (vt patet in Apostolis, Martyribus, & multis Confessoribus, qui sine Ordine factitio procul dubiô fuerunt Viri perfecti) Ordo verò factitius solus, nec prosit, & ideo nec proficere possit; patet, quod essentia perfectionis, non in Ordine factitio, sed in ordine naturali consistit. Præsumptuosum ergo est & absurdum, quod homo propter factitium Ordinem, quem profitetur, se in perfectione præferat alteri homini, qui absque Ordine factitio, vel cum illo perfectus est, vel esse potest in Ordine naturali. Igitur tales homines factitium Ordinem exteriùs obseruantes? & de obseruantijs factitij Ordinis gloriantes; naturalem autem Ordinem plurimùm interiùs relinquentes; similes sunt Hypocritis Pharisæis, contra quos inuehitur Dominus Matt. 23. dicens. *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi Hypocritæ, qui decimatis Menthan, & Anethum, & Cy-*

minum; & relinquitis, quæ grauiora sunt, Legis Misericordiam, & Iudicium. Et infrà *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

§. Item, cum Ordo naturalis, vt dictum est, sit à Deo; factitius verò ab hominibus; videtur, quod qui gloriatur de Ordine factitio, glorietur in homine, non in Deo; contra illud Apostoli 2. Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Item, cum multæ sint differentiæ Ordinis factitii (vt Ordo Benedicti, Basilij, Augustini, Francisci, & cæterorum Ordines, si dici liceat, infiniti) si qui de vno illorum præ alijs glorientur, & de illius maiori perfectione contendant; conantes ostendere, per rationes Sophisticas, aut per authoritates extortas, Ordinem suum esse perfectiorem; similes sunt illis carnalibus Corinthiorum, qui de suis Prædicatoribus, & Baptistis, inaniter gloriantes, inuicem inuidebant, & de suorum baptismatum maiori perfectione inuicem contendebant dicentes. *Ego quidem sum Pauli; Alius autem, Ego sum Apollo*; Hoc est, *Ego sum baptizatus baptismò Pauli; Ego autem baptismô Apollo.* Contra quos inuehitur Apostolus 1. Corinth. 3. dicens. *Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Item, similes sunt Discipulis Christi adhuc carnalibus, *qui disputauerant in via, quis eorum esset maior.* Marc. 9. quorum tumiditatem repressit Dominus dicens. *Si quis vult inter vos primus esse, erit omnium nouissimus.* Marc. 9. Item, similes sunt Diabolo, qui noluit esse similis aliis Angelis, sed magis Deo. De hoc Gregorius in Pastorali. *Apostata Angelo similis efficitur, dum homo homini esse similis dedignatur.* Item, Nonne magna præsumptio est; iudicare se hominem apud Deum aliô homine meliorem, aut perfectiorem? cum dicat Augustinus in libro de Virginitate. *Quemadmodùm inter se, vel coæquentur, vel distinguantur homines in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat iudicare?* Nam, vt in eodem libro dicitur. *Aliquando alter fructuosus est donis paucioribus; alter inferioribus, sed pluribus.*

§. Item, Quâ fronte viros perfectos iactanter se dicunt, qui se mundum, & omnia mundana pro Christo reliquisse dicentes, nihilominùs tamen pro necessarijs huius vitæ, vel fortè superfluis, per totum orbem incessanter discurrunt, & ab omnibus importunè petunt, & indifferenter accipiunt; non hominum frequentiam & conuersationem corporaliter fugientes, &

mundi

mundi ſolitudines, aut deſerta petentes; ſed frequentiæ hominum, & maximè ſæcularium ſe ingerentes; & ciuitates, & alia loca populoſa continuè frequentantes; & de domo in domum (*quæ vita Nequam eſt*) contrà Sapientis consilium hoſpitantes; & non minùs in alienis, quàm in ſuis domibus conuerſantes? Cum è contrario dicat Ambroſius *ſuper Lucam* lib. 1. *Vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ; & lubricum adoleſcentiæ animi maturitate non ſentiat. Sicut illi Patres antiqui, qui mundana omnia contemnentes, hominum frequentiam & conuerſationem corporaliter fugientes, fide fulti, ſpe, & charitate, Ægypti deſerta, & mundi ſolitudines petierunt.*

§. His igitur Mendicantibus, ſe humiles falsò dicentibus, ſtatum autem ſuum ſupra ſtatum Prælatorum, vel aliorum Regularium, in vitæ perfectione extollentibus, dicendum eſſet à Chriſti Vicario Summo Pontifice, quod dixit Chriſtus Diſcipulis ſuis Luc. 12. *Nolite in ſublime tolli.* Et quod dixit Apoſtolus quibuſdam Romanis Iudæis ad fidem conuerſis extollentibus ſe ſupra Gentiles conuerſos Rom. 11. dicens. *Noli altum ſapere, ſed time.* Et Rom. 11. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* Vbi dicit Aymo. *Humilibus conſentit, qui cum humilibus ſe humiliat; non præferens ſe illis, ſed ſocians.* Immò reprimendi eſſent, & obiurgandi ab eo; quemadmodùm Leuitæ, ſe contra Moyſem & Aaron eleuantes, obiurgati ſunt & repreſſi à Moyſe dicente Num. 16. *Nimis erigimini filij Leui.* Et quemadmodùm Chriſtus Dominus Phariſæos obiurgando repreſſit Luc. 16. dicens. *Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda veſtra; quia quod hominibus altum eſt, abominatiò eſt ante Deum.*

§. Quoniam autem de hac abuſiua, & temeraria comparatione ſtatus Regularium Mendicantium, ad ſtatum Prælatorum Eccleſiæ, ſatis diſputatum eſt inter Sapientes Pariſiùs; idcirco timore prolixitatis, hac ad præſens dimiſſâ, ad comparationem ſtatus Regularium Mendicorum ad ſtatum Regularium communes poſſeſſiones habentium, de qua ſuprà tractatum eſt, redeamus.

§. Patet igitur ex antè dictis, quod Eccleſiam, vel Monaſterium habere poſſeſſiones communes, non impedit perfectionem Perſonarum Eccleſiaſticarum, quæ non habent proprium, nec habere poſſunt, nec volunt. Nec propter hoc, eſt

ſtatus Regularium perpetuò mendicantium, & communes poſſeſſiones, ſi eis offerantur, vendentium, ſtatui Regularium communes poſſeſſiones habentium præponendus. Sed iuxta doctrinam Apoſtolicam, & Sanctorum Patrum eos ſequentium ſententiam, vitam Validorum Mendicorum deteſtantem; & iuxta ſententiam Sanctorum Canonum, Clericos abſque titulis ordinari, Eccleſias abſque dotibus dedicari, Mônachos, vel Monachas, vltrà quàm ſufficere valeant facultates Eccleſiæ, in Monaſterijs recipi prohibentem; nec non iuxta Vrbani Papę Canonem, venditores poſſeſsionum Eccleſiis collatarum excommunicationis ſententiâ percellentem; videtur, quod ſtatus ille ſit periculoſus, & non modicùm formidandus

§. Si verò dicatur eſſe per Sedem Apoſtolicam confirmatus; non hoc veriſimile eſt, ſaltem quoad traditiones præmiſſas; propter rationes multiplices ſuperiùs aſsignatas.

§. Sed dicet Aliquis. Nonne Beatus Franciſcus dicit *in Regula ſua* cap. 4. *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullô modô denarios, vel pecuniam recipiant, per ſe, vel per interpoſitam Perſonam.* Et infrà cap. 6. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Conſtat autem, quod hoc non intelligitur de ſingulis tantùm, cum ſatis ſufficiat ſemel dictum fuiſſe ſuprà cap. 1. eiuſdem Regulę, *Quod ſine proprio viuere debent.* Sed intelligitur de vniuerſitate illorum; videlicet, quod nec Fratres ſinguli, nec Fratrum illorum vniuerſitas, ſibi aliquid approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Ergo dicti Fratres, ſeu illorum Eccleſiæ, nihil habere poſſunt in proprio, nec in communi. Cum igitur dicta Regula per Sedem Apoſtolicam extiterit confirmata; Reſtat, vt videtur, quod ſtatus illorum, qui nihil habent, nec in proprio, nec in communi; ſiue ſtatus illorum, quorum vniuerſitas nihil habere poteſt proprium, vel commune, ſibi appropriatum; non eſt aliquatenuùs formidandus; ſed potius amplectendus. Item, cum dicatur in Regula ſupradicta cap. 6. *Fratres noſtri, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter*; videtur quod ſtatus Pauperum Chriſti Mendicantium ſit amplectendus.

§. Ad quorum primum dicimus, quod ſtatus illorum, quorum vniuerſitas poſſeſsiones non habet (cum abſque poſſeſsio-

Digitized by Google

nibus, saltem immobilibus, multis modis vitam istam sine peccato transigere valeant; videlicet corporaliter operando; vel si canonicè missi extiterint, de prædicatione viuendo) formidandus non est; dum tamen de sola mendicatione non viuant, nisi in casibus licitis assignatis suprà dist. 2. §. *Sunt autem quidam casus*, cum sequentibus septem Paragraphis; nec possessiones nomine Ecclesiarum suarum recipiant, vt postmodùm eas vendant (nisi fortè in casibus à iure concessis, qui solent notari 12. q. 2. *In Summa Quæstionis*) hæc enim prohibita sunt, vt ostensum est suprà eod. signô. §. *Sed forsan*. Per hoc autem, quod Beatus Franciscus præcepit, Fratres suos (id est vniuersitatem Fratrum suorum) nec domos, nec loca, nec vllas possessiones mobiles possidere, sine quibus hominum congregatio, seu conuentus, diu viuere non potest, in vno certo loco; nisi vel corporaliter operando (quod facere nolunt ipsi) vel continuè mendicando (quod esset contra doctrinam Apostoli, vt ostensum est suprà dist. 2.) satis apparet, vt videtur, quod non fuerit intentionis eius, vt Fratres sui absque opere corporali viuerent, & tamquam Cœnobitæ per certos conuentus in proprijs domibus, seu in proprijs Monasterijs permanerent. Hoc enim esse non posset, nisi aliquid haberent commune, vel de bonis Ecclesiæ, vel de corporali labore; nisi vellent perpetuò contra doctrinam Apostoli mendicare. Sed potiùs fuit eius intentio, vt videtur, quod Fratres sui (quibus daret Deus gratiam laborandi) vitæ necessaria labore corporali quærentes, vt dicitur cap. 5. *eiusdem Regulæ*; vel si fortè ad prædicandum canonicè mitterentur, de ipso Euangelio iuxta ordinationem Domini viuentes 1. *Cor.* 9. alioquin eleemosynas mendicantes, vt dicitur in cap. 6. *eiusdem Regulæ*; tamquam aduenæ peregrinarentur per orbem, nullam propriam mansionem habentes; quatenùs magis & magis se, & non alios despicientes, vt dicitur in cap. 2. *eiusdem Regulæ*, partim manibus operando, partim peregrinando, sua corpora macerarent; & apud plures sine fictione humiliarent seipsos, quô pluribus possent proficere per humilitatis exemplum. Vnde in cap. 6. *eiusdem Regulæ*, postquàm dixit, *Fratres sibi nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, consequenter subiunxit. *Sed tamquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter.* Regulam igitur Beati Fran-

ciſci (cum ſit per Sedem Apoſtolicam confirmata) nullatenùs reprobantes; Dicimus, quod ſtatus Virorum illorum Eccleſiaſticorum, qui communes poſſeſsiones plærumque recipiunt; & quia iuxta eamdem Regulam poſſeſsiones habere non poſſunt, idcirco in caſibus non conceſsis poſtmodùm eas vendunt; quoniam per hoc damnationem Canonis Vrbani Papæ incurrunt, eſt meritò formidandus. Nec tenent in hac parte Regulam ſupradictam, licet forſan eam vocaliter profiteantur; cum dicta Regula firmiter prohibeat, Fratres pecuniam, vel quidquam aliud, præter quàm cibum neceſſarium & veſtitum, recipere; ſiue per ſe, ſiue per interpoſitam Perſonam, vt oſtenſum eſt ſuprà; nedum poſſeſsiones recipere ad vendendum.

§. Ad ſecundum verò dicimus, quod illud capitulum prædictum *Fratres vadant pro eleemoſyna confidenter*, videtur intelligendum eſſe de illis, qui laborare non poſſunt propter impotentiam corporalem, vel propter alia legitima impedimenta poſita & aſsignata ſuprà diſt. 2. §. *Sunt autem quidam caſus*, & duobus Paragraphis ſequentibus, & §. *Tertius caſus*. Vel quibus laborantibus quantùm poſſunt, non ſufficit labor ſuus, vel Fratrum ſuorum laborare potentium, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Item videtur*, & §. *Ex præmiſsis*.

§. Patet igitur ex præmiſſis, quod veri Apoſtoli non præferunt ſe alijs hominibus; & quod ſtatus Regularium in congregatione, ſeu conuentu viuentium, & abſque vllo impedimento legitimo, corporaliter operari potentium; nihilominùs iuxta traditiones ſuas, vt aſſerunt, perpetuò mendicantium; ſtatui Regularium communes poſſeſſiones habentium, nequaquam eſt quoad hoc præferendus; ſed propter prædicta pericula formidandus.

§. Si qui ergo Prædcatores (de quorum canonica miſſione, ſeu vocatione non conſtet) ex more ſe compárando, alijs hominibus Perſonas ſuas in perfectione præferre præſumant; vel propter traditiones ſuas prædictas, vel alias ſuperſtitioſas, ſtatum ſuum tamquam perfectiorem, alijs ſtatibus, ſaltem perfectionis, præferant; non videntur eſſe veri Prædicatores, ſed Pſeudo.

§. Duodecimum Signum poteſt eſſe, Quod Pſeudo quandoque, vt populum in ſe vitę nouitate conuertant, contra il-

Digitized by Google

lud Senecæ *Ad Lucilium* Epist. 14. *Non conturbabit Sapiens publicos mores; nec populum in se vitæ nouitate conuertet*, vt dictum est suprà dist. 3. §. *Et ne vilitas*; nouas, & insuetas, ac superstitiosas traditiones sibi faciunt, per quas se humiles esse, voluptates contemnere, de humanis honoribus non curare, & omninò perfectiores & Religiosiores esse supra modum aliorum Religiosorum simulant & ostentant; & tales traditiones *Religionem* appellant. Quæ, cum sint præcepta & doctrinæ hominum, & non Dei; veriùs Superstitiones, vel Sacrilegium, quàm vera Religio dici possunt; vt potè contra Authorem veræ Religionis (id est contra Deum, & eius doctrinam) sacrilegâ mente inuentæ. Quemadmodùm de quibusdam Pseudo, & eorum traditionibus dicit Apostolus Colos. 2. *Secundùm præcepta, & doctrinas hominum.* Glos. *Et non Dei.* QVÆ *sunt habentia rationem sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo,* Glos. *Quasi diceret. Per hoc habent illa præcepta speciem sapientiæ; quia sunt in Religione, quæ supra modum est; & quia se humiles ostendunt, qui illa seruant; & quia se dicunt non parcere corpori, nec curare de honore humano.* Item Glossa ibidem. *Putant se habere rationem sapientiæ, qui illa præcepta tradunt; ideo quia talis traditio est in simulata Religione; quia traditioni humanæ nomen Religionis applicant, vt Religio appelletur, cum sit Sacrilegium; quia quod contra Authorem est, sacrilegâ mente inuentum est. Simulata est ergo Religio; quia videntur vera esse, quæ falsa sunt.* Item super illud Cantic. 2. *Capite nobis vulpeculas parvulas*, dicit Bernardus. *Hypocritæ Superstitionis* IMPIETATEM *nomine* RELIGIONIS *intitulant.*

§. Vt autem talium traditionum aliqua exempla ponamus; Dicimus, quod talis superstitiosa traditio videtur esse; si fortè aliqui Regulares collegiati, omnem pecuniam, & omnem mobilem substantiam, quæ possunt possideri, secretiùs recipientes, ac possidentes, quemadmodùm alij Regulares; vt tamen præ cæteris Regularibus videantur mundum contemnere, & paupertatem Euangelicam perfectiùs obseruare, traditionem sibi faciant; quod possessiones immobiles, & communes, prout habent alij Regulares, non habeant; sed, si eis offetantur, recipiant; vt posteà illas vendant, & pretium sibi retineant; ac propter immobilium possessionum carentiam, quasi

Digitized by Google

ſemper inopes, mendicando aſſiduè victum quærant; & tali traditioni nomen *Religionis* imponant; cum tamen ſit contraria Sanctorum Patrum Canonicis Inſtitutis, quę prohibent *Eccleſias abſque dote terrenarum poſſeſſionum, vnde Miniſtri earum ſuſtentari valeant, conſecrari. Similiter & Clericos abſque titulo ad eorum ſuſtentationem ſufficientibus ordinari. Similiter, non plures in Monaſterijs Monachorum, aut Clericorum, aut Monialium recipi, quàm quot de bonis Eccleſiæ ſe regere abſque penuria poſsint*, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Ad euitandum igitur.* Item, contraria eſt illa traditio (ſecundùm quam poſſeſsiones Eccleſiæ non reſeruantur, ſed venduntur) Vrbani Papæ Decreto 12. q. 1. cap. *Videntes* per excommunicationis ſententiam reborato, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. in 11. ſigno §. *Sed forſan reſpondebit.* Viri ergo Regulares, immobilia retinere nolentes, mobilia verò omnia indifferenter à quibuſcumque recipientes, & importunè quærentes, ac inceſſanter ſub prætextu inopiæ congregantes; videntur eſse de illis, de quibus dicit Auguſtinus in lib. De moribus Eccleſiæ. *Noui multos eſſe, qui renuntiauerunt verbis huic ſæculo, etſi ſe omnibus huius ſæculi mobilibus opprimi velint, oppreſſoſque lætentur.*

§. Item, ſuperſtitioſa traditio videtur eſse, ſi fortè aliqui Monachi, ſeu Regulares Viri, iuxta traditiones ſuas non habentes poſſeſsiones immobiles, vnde viuant; vt præ cæteris Regularibus videantur ſpirituales eſſie, & ad inſtar auium (quæ neque ſeminant, neque metunt, neque operantur corporaliter vnde viuant) videantur præ cæteris iuxta Euangelicam doctrinam de craſtino non cogitare; traditiones ſibi faciant, vt abſque opere corporali ſolis ſpiritualibus ſemper intendant; licet ad operandum corporaliter ſint validi; nec illis ſpiritualibus operibus adeò ſint diſtricti, vel eis per Eccleſiæ ordinationem adſtricti; quominùs, vel omnes, vel ſaltem eorum aliqui, pro victu ſuo, & Fratrum ſuorum, valeant corporaliter operari; & nomen *Religionis* imponant illi traditioni; cum tamen ex illa traditione ineuitabiliter conſequatur, vt cum nec de poſſeſſionibus, quas non habent, nec de opere corporali, quod non exercent, valeant viuere; egeſtate cogantur res alienas victui ſuo neceſſarias deſiderare, & aſſiduè mendicando rogare; contra præceptum Apoſtoli 1. Theſſ. 4. dicentis. *Operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis, vt nullius aliquid deſideretis.*

Digitized by

Gloſſa. *Nedum rogetis, vel tollatis.* Et 2. Theſſ. 3. *Qui non vult operari, nec manducet.* Gloſ. *Vult Apoſtolus Seruos Dei operari corporaliter, vnde viuant; vt non cogantur egeſtate neceſſaria petere*, ſecundùm quod oſtenſum eſt pleniùs ſuprà diſt. 2. circa principium §. *Sunt igitur Otioſi.* Contra iſtam traditionem habes multa diſt. 2. maximè in illo §. *Dicet autem adhuc.*

§. Item, ſuperſtitioſa traditio videtur eſſe, ſi fortè aliqui Monachi, ſeu Regulares Viri, iuxta traditiones ſuas Parochias non habentes, ſub prætextu zeli animarum traditiones ſibi faciant, vt in ſubditis alienis etiam non vocati, vel non canonicè miſſi à Prælatis illorum, regimen animarum, publicè prædicando, & pœnitentias iniungendo, quaſi ex officio ſuo exerceant; & huic traditioni, ſicut & præcedentibus, nomen *Religionis* imponant; cum tamen veriùs Sacrilegium, quàm vera Religio dici poſſit; vt potè lædens, ac confundens ſacram Eccleſiaſticam Hierarchiam, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. 1. §. *Sed datô*, & Paragraphis ſequentibus, vſque ad illum §. *Verùm ſi Hierarchiæ.* Cum enim Eccleſiaſtica Hierarchia, ad inſtar Hierarchiæ Angelicæ, iuxta exemplar monſtratum Moyſi in monte Sina, diuinè extiterit ordinata, vt dicit Dionyſius *in Eccleſiaſtica Hierarchia* cap. 5. In hac autem Hierarchia duo ſint tantùm Ordines; videlicet Ordo Proficientium, ſiue Perfectiuorum, hoc eſt, Ordo Prælatorum curam animarum habentium, qui eſt Ordo Superior; & Ordo Perficiendorum, ſiue Subiectorum, hoc eſt Ordo Monachorum, & Laïcorum, qui eſt Ordo inferior, vt dicit Dionyſius in eodem capitulo; Nullus autem inferioris Ordinis debeat ſibi aſſumere officium ſuperioris; ſicut nec Angelus inferioris Ordinis aſſumit ſibi officium ſuperioris; quia illicitum eſt & ſuperioribus, qui perficiunt, & inferioribus, qui ab eis perficiuntur, aliquid operari præter quàm ordinatum eſt à Deo Principe perfectionis, vt dicit Dionyſius *in Angelica Hierarchia* cap. 3. Angeli verò ſuperiores ſuper ſuos inferiores habeant præcipuam purgationem, & illuminationem, & perfectionem; nec quidquam luminis ab ijs percipiunt; ſed de ſua plenitudine eis influunt, & ſublimiter eiſdem præſunt, vt legitur in eodem capitulo. Reſtat, quod ſi aliqui de Ordine inferiori (in quo Ordine ſunt Regulares Viri, qui Græce *Monachi* appellantur, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed dato*) traditiones ſibi faciant, per quas prædicta

officia Prælatorum ſibi aſſumant; procul dubiô ſacram Hierarchiam prædictam, quantùm in eis eſt, lædunt, confundunt, turbant, deordinant, & reuerſant. Nec poteſt talis traditio eſſe vera Religio; ſed magis Superſtitio; Id eſt ſuperflua Religio, & ſuperſtatuta Eccleſiæ obſeruatio; ſic enim exponitur Superſtitio ſecundùm Iſidorum lib. 8. *Etymologiarum* cap. 3.

§. Si vero dicant aliqui Regulares, prædicta officia exercentes; quod illa non ſibi aſſumunt, ſed Prælati Eccleſiarum eis canonicè committunt. Huic reſponſioni, ſi vera ſit, non duximus reſiſtendum; dum tamen officia illa Prælatorum ſibi committi non poſtulent, nec procurent. Qui enim hoc faciunt, Hierarchiam Angelicam non imitantur; ſed ei potiùs, quantùm in eis eſt, aduerſantur. Nuſquam enim legitur, Angelos inferiorum Ordinum poſtulaſſe, vel procuraſſe, ſibi committi officia ſuperiorum, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Nota, quod dicitur*, & §. *Non ſolùm.*

§. Illi ergo, qui ſubſpecie pietatis, vel Religionis, tales vel ſimiles traditiones faciunt, contrarias Diuinis & Apoſtolicis documentis, & Sanctorum Patrum ſtatutis; ſimiles ſunt Phariſæis Hypocritis; qui tempore prædicationis Chriſti, propter ſuas traditiones ſpeciem pietatis habentes, transgrediebantur, & transgredi faciebant præcepta Dei; docentes homines, vt quod daturi erant Parentibus ſuis indigentibus, vouerent Deo, & offerrent in Templo; contra illud præceptum Domini Exôd. 20. *Honora Patrem, & Matrem, &c.* Et ſi de hoc fortè conquererentur Parentes, docebant eos reſpondere Parentibus in hunc modum. *Pater, ſi munus, quod offero Deo, darem tibi; numquid prodeſſet tibi?* Quaſi diceret. *Non; Immò ſacrilegus eſſes recipiendo.* Vel ſic ſecundùm aliam Gloſſam. *Pater, munus, quod offero Deo, proderit etiam tibi ipſi; propter quod non debes inde offendi.* Et ſic Parentes afficiebantur inediâ, propter traditiones Phariſæorum Hypocritarum. Et ideo contra eos grauiter inuehitur Dominus Matth. 15. dicens. *Quare vos tranſgredimini mandata Dei, propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit. Honora patrem tuum, & Matrem.* Gloſ. *Dando neceſſaria.* VOS AVTEM *dicitis. Quicumque dixerit Patri & Matri; Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit.* Gloſ. *Veſtra autem traditio contraria eſt. Hoc enim filios dicere parentibus compellitis. Si quod Deo oblaturus eram, in tuos conſumo cibos, tibi proderit,*

derit, ô Pater? Quasi diceret. *Non; Immò sacrilegus esses, si reciperes. Vt sic timerent Parentes Deo consecrata comedere.* Vel sic secundùm aliam Glossam. *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit.* Hoc est. *Quod Deo offero, tibi ipsi prodest, ô Pater.* Sequitur. *Et ita non honorificauerit Patrem, & Matrem.* Glos. *Nihilominùs dignus erit vitâ æternâ.* Hæc erat traditio Pharisæorum. Hanc literam Euangelij sic exponit Beda Marci 7. *In Glossa* dicens. *Consulens Dominus imbecillitati, vel ætati, vel penuriæ Parentum, præcepit, vt Filij hõnorarent Parentes, etiam in necessarijs huius vitæ. Hanc legem* Scribæ *&* Pharisæi *subuertentes, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt Filios suos, vt si quis ea, quæ* Parentibus *offerenda sunt, Deo vouere voluerit (qui verus* Pater *est) oblatio Domini præponatur.* Quod & faciunt hodie *Multi* Pharisæi; hoc est, *Multi per priuatam iustitiam à populo diuisi* (sic enim exponitur Pharisæus in Glossa super illud Matt. 3. *Videns autem multos* Pharisæorum, *&c.*) docentes scilicet, & asserentes, salubrius esse offerri sibi (quos appellant *Nuntios Dei*) quàm Parentibus subueniri. Docent etiam salubrius esse Parochianis alienis, sibi eleemosynas suas dare, cum sint egẽntes; quàm proprijs eorum Sacerdotibus, eis in Diuinis Officijs deseruientibus, quos ipsi asserunt locupletes. Vnde in Testamentis Defunctorum procurant per confessiones, quibus se ingerunt, immensa sibi legata relinqui, & Ecclesias Parochiales debitis sepulturis fraudari; contra illud Hugonis De Sancto Victore lib. 2. *Sententiarum suarum* cap. vlt. *Non benè*, inquit, *sustentat egentem, qui fraudat seruientem.* Et ideo de talibus dici potest, quod dicit Dominus de Pharisæis Hypocritis paulò post Matth. 15. dicens. *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias Propheta dicens. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et subiunxit. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Glos. *Non habitûri mercedem cum veris Cultoribus.* Sic ergo patet, quod illi Viri, qui sub pretextu Religionis tales traditiones faciunt, contrarias Dominicis & Apostolicis documentis, vel Sanctorum Patrum statutis, similes sunt Hypocritis Pharisæis; & quod eorum traditiones, non *Religio*; sed magis *Secta*, & *Superstitio* dici possunt.

§. Quod autem tales traditiones *Superstitio* dici possunt, ex eo videtur; quod nec à Domino Iesu Christo, nec ab eius A-

postolis, nec à Sanctis Concilijs, nec ab Antiquis Sanctis, nec à Sc ipturis Sanctorum Doctorum Canonicis sunt nobis relictæ; sed à Quibusdam Recentioribus ex eorum arbitrio, præter vel contra Sanctorum authoritates canonicas, vt prçostensum est, sunt inductæ; contra illud Isidori lib. 8. *Etymologiarum* cap. 3. sic dicentis. *Nobis verò, nihil ex nostro arbitrio inducere licet; sed nec eligere, quod aliquis ex arbitrio suo elegerit. Apostolos Dei habemus Authores, qui nec sibi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt. Itaque si etiam Angelus de cœlo aliter Euangelizauerit, anathema vocabitur.* Ideoque in eodem capitulo dicit Isidorus. *Superstitio est superflua, & superinstituta Ecclesiæ obseruatio.*

§. Quod etiam tales traditiones *Secta*, vel *Secta* valeant appellari, ex eo videtur; quoniam illas tradentes, ex habitu animorum suorum, in Religionis cultu longe aliter quàm cæteri, opinantur, vt ostensum est suprà. Vnde Isidorus in eodem capitulo dicit. *Secta à sequendo & tenendo est nominata. Nam sectas dicimus habitus animorum, ac instituta circa disciplinam & propositum, quod tenendo sequuntur; longè alia in Religionis cultu opinantes, quàm cæteri.* Ista autem tradentes videntur inniti prudentiæ suæ, contra illud Prouerb. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ*; nam, sicut dicit Hieronymus super illo verbo. *Prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, decretis Sanctorum Patrum præponit.* Vnde à talibus traditionibus videtur cauendum esse omnibus Christianis, iuxta doctrinam Domini Matth. 16. dicentis. *Cauete à fermento Phariſæorum.* Gloss. *Id est, à superstitiosa Doctrina, quæ more fermenti, veri panis, id est veræ doctrinæ, simulat se habere substantiam.* Item alia Glossa. *Id est. Cauete à varijs traditionibus, quibus videntur quæ non sunt.*

§. Huiusmodi nouas, & superstitiosas traditiones, seu sectas, maximè introducunt Pseudo-Prædicatores, vt populum in se vitæ nouitate conuertant, vt dictum est suprà eodem signô. Vnde de Pseudo dicit Beatus Petrus 2. Petri 2. *Sectas non metuunt introducere.* Istas autem traditiones, seu sectas introducunt, non causâ Religionis, sed causâ lucri. Vnde 2. Petri 2. dicitur de illis Magistris mendacibus, qui in fine temporum exurgent de nobis. *Sectas introducent perditionis.* Et paulò post

Digitized by

dicitur. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Gloss. *Non causâ Religionis, sed auaritiæ. Vt aliquid lucrentur, fingunt nouas doctrinas; nec vos emunt Deo, sed de vobis sibi aliquid commodi acquirunt.* Licet autem huiusmodi Deceptores doctrinæ suæ multas veritates admisceant; tamen simplices viros & fœminas, multis modis à veritate abducunt. Propter quod dicit Apostolus Heb. 13. *Doctrinis varijs & peregrinis*, Gloss. *quæ diuersæ sunt à nostris & extraneæ*, NOLITE *abduci.* Gloss. *Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Talium Superstitionum Inuentores astuti, super se prouocant iram Dei. Vnde Psal. 105. *Irritauerunt Deum in adinuentionibus suis.* Et Osee 9. *Exosos habui eos propter malitiam adinuentionum eorum; de domo mea eijciam eos; non adijciam, vt deligam eos.*

§. Illud autem apud multos non modicam admirationem inducit, quod Sacrosancta Romanæ Ecclesia, quæ tot & tantorum Sapientum consilijs est suffulta, tot Mendicantium Religiones diuersas, à tempore Concilij generalis inuentas, velit æquanimiter sustinere; cum in illo Concilio, de vniuersis Prælatis omnium Ecclesiarum, quæ sub cælo sunt, per longa tempora conuocato & congregato, & sub Domino Innocentio Papa 3 nulli Successorum suorum secundo, in Lateranensi Patriarchio celebrato, Spiritu Sanctô, vt credendum est, inspirante, firmiter prohibitum fuerit; *Vt, ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem induceret, nemo nouam Religionem deinceps inueniret; sed qui conuerti vellet, vnam de approbatis assumeret. Similiter, qui domum Religiosam de nouo fundare vellet, non nouam Regulam, vel institutionem faceret; sed vnam de approbatis acciperet*, vt legitur Extrà *De Religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ.* cap. vlt. Nisi fortè dicatur, quod absit, illud generale Concilium in hac constitutione errasse. Quod non est verisimile; cum illa constitutio diuinâ confirmari possit authoritate Ierem. 6. dicentis. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea; & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Quamuis autem multorum nouas Religiones audierimus esse per Sedem Apostolicam confirmatas, non tamen omnes eorum traditiones, vel consuetudines, ab eadem Sede credimus approbatas. Multas enim illarum traditionum, vel consuetudinum, videmus magis super-

ſtitioſas, quàm Religioſas, ſicut oſtenſum eſt; & Apoſtolorum, ac eos ſequentium Sanctorum Patrum traditionibus inimicas,

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) ex more, ſub ſpecie pietatis tales ſuperſtioſas traditiones, vel eis ſimiles facientes, eas *Religionem* appellent; nihilominùs autem ſe Apoſtolos, id eſt à Deo miſſos, eſſe dicant; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Tertiumdecimum Signum poteſt eſſe, Quod veri Prædicatores, veram charitatem habentes, plùs diligunt legem Chriſti, quàm proprium commodum, vel honorem; iuxta illud Prouerb. 7. *Serua legem meam, quaſi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis, & ſcribe eam in tabulis cordis tui.* Et ſuper illud Pſal. 118. *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti*, dicit Gloſſ. *Charitas plùs diligit legem Dei, quàm cupiditas millia auri & argenti.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica miſſione, ſeu vocatione non conſtet) per illam doctrinam, quam appellant *Euangelium Æternum*; vel per illam, quæ docet homines infirmos opera pœnitentiæ contra doctrinam Euangelicam oſtentare, vt oſtenſum eſt ſuprà 10. Signô. §. *Notandum*, cum tribus ſequentibus Paragraphis; vel per aliam peruerſam doctrinam legem Chriſti videant impugnari, vel eidem aliquatenùs derogari; tamen eas impugnare negligant; vel forſan diſſimulando eis conſentiant; vel, quod peius eſt, eas prædicent, ac *viam ſalutis* appellent; pro honore tamen ſuo, vel commodo temporali conſeruando, vel quærendo, ex more lites ſuſcitare, & ſcandala incurrere non horreſcant; quia quod Dei ſunt negligunt, & ſua tuentur; plùs videntur amare ſe, quàm Deum, & legem Dei. Nam ſuper illud Iob 39. *Quæ dereliquit ouа ſua in terra*, dicit Gregorius in lib. 31. Moral. *Plùs Deô ſe amare conuincitur, qui neglectis ijs, quæ Dei ſunt, propria tuetur.* Si ergo prædicti Prædicatores, modô prædictô neglectis quæ Dei ſunt, ex more propria tueantur; videntur amare ſe, & honorem ſuum, pluſquàm Deum, & legem Chriſti; & ideo non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Quartumdecimum Signum eſſe poteſt, Quod veri Prædicatores, non ex induſtria ornant ſuam prædicationem ſplen-

Digitized by

dore verborum; hôc enim non indiget Religio Chriſtiana. Vnde 1. Corinth. 1. ſuper illud, *Non in ſapientia verbi*, dicit Gloſſ. *Non in lepore & ornatu verborum; quia Religio Chriſtiana non indiget pompâ & cultu ſermonis.* Item Auguſtinus in prima Epiſtola *Ad Voluſianum* loquens de Sacra Scriptura ſic dicit. *Sincera & ſolida res eſt, nec fucatis eloquijs ambit ad animum, nec vllò linguæ tectoriô inane aliquid, aut pendulum crepitat.* Item Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 40. *Oratio, quæ veritati dat operam, incompoſita debet eſſe & ſimplex.* Verba enim Sanctorum Prædicatorum, non ab ingenio, vel arte procedunt; ſed à Spiritus Sancti gratia, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Rurſum dicunt.* Pſeudo verò Apoſtoli compoſitioni & ornatui verborum ſtudent, vt veris Prædicatoribus minùs ornatè loquentibus præferantur. Vnde 2. Corinth. 11. ſuper illud, *Nam ſi imperitus ſermone*, dicit Gloſſa. *Non erant eloquentes Apoſtoli, ſed Pſeudo verba componebant.* Item ibidem alia Gloſſa. *Corinthij præferebant Pſeudo veris Apoſtolis, causâ accurati ſermonis.* Credit enim vulgus quandoque illum Prædicatorem ſanctiorem eſſe, qui linguam habet in prædicando eruditam, & eloquentiam elegantem; cum tamen iſta non faciant ſanctitatem, ſed plærumque operentur peccatum. Vnde Hieronymus Ad Nepotianum. *Nec Ruſticus & ſimplex Frater ideo ſe ſanctum putet, ſi nihil nouerit; nec peritus, nec eloquens, in lingua exiſtimet ſanctitatem; multoque melius eſt ex duobus imperfectis, ruſticitatem habere ſanctam, quàm eloquentiam peccatricem.* Contra tales eloquentiam oſtentantes, dicit Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 63. *Sic effectum eſt, vt diligentiùs loqui ſciatur, quàm viuere.* Ideo Apoſtolus magis intendebat veræ & ſimplici prædicationi, quàm compoſitæ. Vnde 1. Corinth. 2. dicit Apoſtolus. *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis.* Gloſſ. *Sicut faciebant Pſeudo.* Malebat enim Apoſtolus verba ſua ſolâ puritate veritatis oſtendere, quàm eloquij tinctione fucare; *Facere enim docet Philoſophia, non dicere*, vt dicit Seneca *Ad Lucilium* Epiſt. 20.

§. Sed fortè obijciet Pſeudo-Prædicator eloquentiæ Oſtentator dicens. Nonne Apoſtolus, & alij Authores noſtri loquebantur ornatè, & etiam aliquando Rhetoricis coloribus vtebantur, prout oſtendit Auguſtinus in lib. 4. *De Doctrina Chriſtiana*? Per hoc ergo non poſſunt Pſeudo à veris Apoſtolis diſcerni.

Digitized by Google

§. Ad quod dicendum est secundùm eumdem Augustinum in eodem libro; quod Authores nostri, quando loquebantur ornatè, non hoc ex industria, sed ex quadam consuetudine faciebant; ita quod non facilè cognosci poterat, eos eloquentiâ vti. Si verò aliquando cognosceretur; non ad hoc intendebant, vt suam eloquentiam ostentarent; sed magis eam, tamquam famulam sequentem eorum sapientiam tamquam suam dominam euitare nolebant, ne per hoc eam reprobare viderentur. Vnde Augustinus in eodem libro dicit. *Illud autem magis admiror & stupeo, quod istâ nostrâ eloquentiâ ita vsi sunt Authores nostri per alteram quamdam eloquentiam; vt nec deesset eis, nec emineret eis; quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat; quorum alterum fieret, si vitaretur; alterum putari posset, si facilè agnosceretur; & in quibus fortè locis agnoscitur à doctu. Tales res dicuntur, vt verba, quibus dicuntur, non à dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subiuncta videantur; quasi sapientiam de domo sua, id est de pectore Sapientis procedere intelligas, & tamquam inseparabilem famulam, etiam non vocatam sequi eloquentiam.* Patet igitur, quod veri Apostoli ita plærumque eloquentiâ vtebantur, vt non de facili, & non nisi à doctis agnosceretur; nec vt eam aliquatenùs ostentarent; sed magis, ne ipsam quasi reprobabilem euitarent. Pseudo verò ad hoc eloquentiâ vtuntur, vt magis eorum scientia, quàm doctrina Dominica per eos prædicata commendetur. Vnde super illud 1. Corinth. 1. *Non in sapientia verbi, &c.* dicit Gloss. *Qui Christi doctrinam verbis exornare vult, obscurat eam splendore verborum, vt non illa, sed ipse laudetur.* Et super illud 1. Thess. 2. *Neque quærentes ab hominibus gloriam*, dicit Gloss. *Tamquam Pseudo, qui se potiùs, quàm Dei doctrinam commendari volebant. Apostolus autem (qui non ad præsens, sed in futuro gloriam quærebat) se humilem faciebat, vt Dei prædicatio exaltaretur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) in suis prædicationibus vel alijs colloquijs suis, eloquentiam suam ex more adeò ostentent, quod facilè, non solum à doctis, verùm etiam ab indoctis, & à minoribus eorum ostentatio cognoscatur; videtur, quod se magis, quàm Dei doctrinam commendari velint; & ideo non videntur esse veri Prædicatores, sed Pseudo.

§. Quintumdecimum Signum potest esse, Quod veri Prę-

Digitized by Google

dicatores, non quærentes gloriam huius mundi, prædicationem ſuam Logicis rationibus, aut Philoſophicis ſpeculationibus non confirmant; ne videantur in huiuſmodi Philoſophicis gloriari, aut per hoc velle à mundanis hominibus contra Deum laudari. Vnde 1. Corinth. 2. dicit Apoſtolus. *Veni ad vos, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* Gloſſ. *Vt rationibus Logicis, aut Philoſophicis ſpeculationibus illud confirmarem; quæ duo laudatis in Pſeudo contra Deum.* Non enim quæruſt veri Apoſtoli per humanam ſapientiam perſuadere hominibus, ſicut faciunt Pſeudo. Vnde in eodem cap. dicit Apoſtolus. *Sermo meus.* Gloſſ. *Qui priuatim fiebat.* ET *prædicatio mea.* Gloſſ. *Quæ fiebat in communi.* NON FVIT *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis.* Gloſſ. *Quia etſi perſuaſibilia fuerunt verba mea; non tamen per humanam ſapientiam, vt verba Pſeudo.* Et ſuper illud 1. Cor. 1. *Perdam ſapientiam Sapientum, &c.* dicit Gloſſ. *Sapientiam & prudentiam humanam eliminabo à Prædicatoribus Euangelij; nec tales Sapientes inter Prædicatores meos recipiam.* Plùs enim plærumque proficit ſimplex prædicatio Sancti Viri modicè literati, facta per ſcientiam ſibi à Deo infuſam; quàm multorum Magiſtrorum Philoſophicè proiectorum, facta per ſcientiam Philoſophicè & ſtudiô acquiſitam. Vnde Eccleſiaſt. 37. *Anima Sancti Viri enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores.* Gloſſ. *Id eſt. Quàm Philoſophi liberalium artium ſcientiâ præditi.* SEDENTES *in excelſo ad ſpeculandum.* Gloſſ. *Tamquam Magiſtri ſpeculatores ſubditorum.* Verba enim Sanctorum Prædicatorum, non ab arte, vel ab ingenio procedunt; ſed à Spiritus Sancti gratia, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Rurſum dicunt,* & dictum eſt ſuprà proximô Signô. Nec etiam quærunt veri Apoſtoli, vt populus admiretur & clamet laudando ſapientiam, vel ſapientem prædicationem eorum; vera enim laus Prędicatoris eſt, non clamor populi, ſed gemitus & lacrymæ Auditorum. Vnde Hieronymus Ad Nepotianum. *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur; lacrimæ Auditorum laudes tuæ ſint.* De hac materia require ſuprà diſt. 1. §. *Præter veritatem.* Pſeudo verò (quoniam Hypocritæ ſunt, & gloriam mundi quærunt) vt in Philoſophia periti videantur, & exinde propter clamorem populi eorum ſcientiam extollentis ampliùs honorentur; tam in diſputationibus, quàm in prædicationibus, & alijs colloquijs ſuis, prædictis reſponſionibus &

ſpeculationibus libenter inſiſtunt; non ea quærentes, quæ ad ſalutem ſuam, & aliorum proficiant; ſed ex quibus ſingulariter eruditi appareant. Vnde ſuper illud Iob 30. *Egeſtate & fame ſteriles*, dicit Gregorius in lib. 10. *Moralium* loquens de Hypocritis. *Neque enim ea quærunt, ex quibus ſemetipſos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate diſponant, patientiam ſeruent, longanimitatem exhibeant; ſed ea ſolummodo, quæ eos doctos atque loquaces oſtendant. Illa ſcire appetunt, ex quibus ſingulariter eruditi videantur.* Iſti etiam, vt apud homines valeant ampliùs gloriari, frequenter ingerunt ſe quæſtionibus Philoſophicis, vel aliter curioſis, quæ omninò inutiles ſunt, vel parùm vtiles ad profectum animarum; contra illud 2. Timoth. 2. *Stultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita.* Gloſ. *Id eſt inutiles, & in quibus non eſt profectus diſciplinæ, vel ſcientiæ Dei.* Item Bernardus Serm. 8. *Doctrina Spiritus non curioſitatem acuit, ſed charitatem accendit.* Tales Prædicatores non ſunt apti ad proficiendum; nam, vt dicit Auguſtinus in prima Epiſtola Ad Voluſianum. *Non ſunt apti Sacræ Scripturæ negotio, qui magis linguæ certaminibus*, id eſt diſputationibus, *quàm ſcientiæ luminibus delectantur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocationes, ſeu miſſione non conſtet) ex more in talibus ſe oſtentent; non videntur eſſe veri Prædicatores; ſed potiùs ſuſpecti haberi poſſunt, ne ſint Pſeudo.

§. Sextumdecimum Signum poteſt eſſe, Quod veri Apoſtoli, ſcientes ſibi dictum à Domino Matt. 23. *Nolite vocari ab hominibus Rabbi*; & in eod. cap. *Ne vocemini Magiſtri.* Gloſſa *Id eſt. Ne appetatis vocari Magiſtri*; vt Euangelicam Chriſti doctrinam ſectentur; magis cupiunt vocari Diſcipuli, quàm Magiſtri; & vbi neceſſitas non vrget officij, magis cupiunt audire, quàm audiri; magis cupiunt diſcere, quàm velut Magiſtri docere, iuxta illud Iacob. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Ideo dicit Gregorius lib. 23. Moral. *Sanctæ vniuerſalis Eccleſiæ ſpiritualis quiſque Prædicator, ſi liceat, tacere appetit, cum multis ſilentium turius eſſe cernit, eoſque ſe fœliciores putat, quos intra ſanctam Eccleſiam locus inferior per ſilentium occultat*, vt dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed fortè dicet*, vltra medium. Vnde Auguſtinus, quamuis eſſet Epiſcopus,

&

Digitized by Google

& ex hoc Prædicator Apoſtolicus; nihilominùs tamen Ad Hieronymum in Epiſtola *De origine animæ* ita dicit. *Me quidem audire potiùs, quam velut Magiſtrum delectat audiri. Recolo enim, quid eis Dominus dixerit, quos præ cæteris elegit.* Vos, *inquit*, NOLITE VOCARI AB HOMINIBVS RABBI. Item Seneca. *In hoc incumbe, vt libentiùs audias, quàm loquaris.* Item Seneca in Epiſt. 40. *Summa ſummarum hoc erit. Tardiloquum te eſſe iubeo.* Item ſuper Pſalmum *Domine exaudi* dicit Auguſtinus. *Loquela ſit in neceſſitate; taciturnitas in iocunditate.*

§. E contrario verò Pſeudo-Apoſtoli (quoniam plærumque gulam ſequuntur, ſemper autem Arrogantes ſunt, & temporalem honorem quærunt) vt in cœnis pleniùs procurentur; & tam ibi, quàm in Eccleſijs, & in conuentibus hominum ampliùs honorentur; deſiderant habere authoritatem publicè docendi, & publicè prædicandi (licet indebitè) & habere nomen *Magiſtri* iuxta illud Matt. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis.* Gloſſa. *Quia mercedem ſuæ Religionis gulam ſequuntur, & in publico gloriam quærunt. ET ſalutationes in foro*, ſupple *amant. ET vocari ab hominibus Rabbi.* Gloſ. *Id eſt, Magiſtri.* Item propter arrogantiam ſuam ſemper vellent prædicare & docere; quia ſemper volunt loqui, & numquam tacere; ac ſi ad hoc per aliquem Spiritum cogerentur; per quod videntur habere Spiritum Pythonicum, non Spiritum Sanctum. Nam, vt dicit Apoſtolus 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum*, id eſt Prædicatorum, *ſubiecti ſunt Prophetis.* Gloſſa. *Id eſt, Spiritus Sanctus (qui vnus eſt in omnibus prophetis; ſed pluraliter dicitur, propter plures Prophetas, quos replet; vel propter plura eius dona) ſubiectus eſt Prophetis, id eſt Prædicatoribus; vt quando volunt, tacere vel loqui poſsint; non enim cogit eos, ſicut Spiritus Pythonicus, clamare aliqua, vel tacere;* Iſti autem ſemper volunt clamare, & numquam tacere. Item Hieronimus *in Prologo ſuper Habacuc* exponens ſequens verbum Apoſtoli 1. Corinth. 14. *Non eſt enim Deus diſſenſionis, ſed pacis*, ita dicit. *Ex hoc intelligitur, cum quis voluntarie reticet, & alij locum dat ad loquendum; poſſe vel loqui, vel tacere, cum velit.* Illi ergo Prædicatores extraordinarij; qui, cum non ſint Prælati, nec ab ijs canonicè inuitati; numquam tamen volunt tacere, vel ad loquendum alij locum dare; ſed plebibus alienis, etiam faſtidientibus & inuitis, quotidie prædicare; videntur

Digitized by Google

non habere in poteſtate, loqui quando velint, vel reticere; & ideo videntur Spiritum Pythonicum, non Spiritum Sanctum habere. Vnde non expectantes canonicam miſſionem, non ceſſant prædicando diſcurrere. Ierem. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* Et ſi prædicare, aut docere prohibeantur, grauiſſimam pœnam putant; eô quod non poſſunt ſuam ſcientiam oſtentare. Vnde ſuper illud Iob 11. *Numquid qui multa loquitur, non & ipſe exaudietur?* aduersùs Arrogantes loquens Gregorius in lib. 10. *Moralium* dicit. *Imperita mens, ſilentium pœnam putat.* Item ſuper illud Iob 32. *Aperiam labia mea, & reſpondebo*, dicit Gregorius lib 23. Moral. *Grauis labor eſt Arrogantium, ſi quod ſapiunt, non oſtendunt. Vim quippe extrinſecus æſtuantem ferre vix poſſunt: ſi omne quod ſentiunt, paulò tardiùs innoteſcunt.* Ideo dicit Beatus Bernardus *ſuper Cantica* loquens Ironicè. *Canales hodie in Eccleſia multos habemus, Conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis ſunt, per quos nobis fluenta cœleſtia manant; vt antè effundere, quàm infundi velint; loqui, quàm audire paratiores.* Adeò autem ſilentium pœnam putant, & grauem laborem reputant; quod contra prohibentes eos prædicare, licet ex cauſa legitima, prælium ſanctificant, id eſt firmant; detrahendo ſcilicet, vel publicè diffamando, nec non priuationem beneficiorum ipſorum ſub pietatis ſpecie procurando, vt dictum eſt ſuprà in Prologo. Quam quidem priuationem ſatis nouerunt quidam experimentô, licet illam diſſimulent, ſub ſilentio tranſeundo.

§. Patet igitur, quantùm deſiderent prædicare & loqui Pſeudo-Prædicatores, etiam non miſſi. Non tamen caret culpâ, loqui ſine neceſſitate loquendi. Vnde ſuper illud Ezechiel 3. *Cum pertranſiſſent ſeptem dies, factum eſt verbum Domini ad me dicens. Fili hominis audies de ore meo verbum, & annuntiabis ex me, &c.* dicit Gregorius in Gloſſa. *Si Propheta Sanctus, qui miſſus eſt ad loquendum, tacet vt recta laquatur; quanta culpa eſt non tacere, quando neceſsitas loqui non cogit.*

§. Ab hac arrogantia oſtentandi ſe prædicando, vel docendo, deberent ſe abſtinere maximè Regulares Viri (qui Græcè *Monachi* appellantur) qui contemplationi vacare debent; ſed magis è contrario deberent ſolitudinem & taciturnitatem deſiderare & ſeruare, vt per hoc aptiores redde-

Digitized by Google

rentur ad contemplandum. Solitudo enim & taciturnitas purgant hominem, & reddunt idoneum, ad contemplandum, & recipiendum Angelorum illuminationes, & reuelationes. Vnde Dionysius *in Angelica Hierarchia* cap. 4. *Angelus Euangelizauit Pastoribus per solitudinem & silentium purgatis, vt apti fierent percipiendis reuelationibus Angelicis, Christi natiuitatem.* Item propter hoc deberent abstinere à prædicatione publica, seu doctrina; quia eorum officium est, non docere, sed plangere, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Secundùm igitur prælibatam.*

§. Illi autem specialiter obligati videntur ad seruandum illam Euangelicam doctrinam Matt. 23. *Ne vocemini Magistri* (sicut & alia Euangelica) qui secundùm Regulam Beati Francisci vouerunt se seruaturos Euangelium Iesu Christi, in cuius Regulæ cap. 1. legitur in hunc modum. *Regula & Vita Minorum Fratrum hæc est; scilicet, Domini nostri Iesu Christi Euangelium obseruare.* In fine verò eiusdem Regulæ continentur hæc verba. *Paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.* Constat enim, quod omnes Christiani obligati sunt ad seruandum Euangelium Christi quoad præcepta. Illi ergo, qui specialiter prædictô modô vouerunt se obseruaturos Euangelium Christi, videntur non solùm ad Euangelica Christi præcepta obligari, verùm etiam ad omnem Euangelicam Christi doctrinam; *Cum specialitas huius voti aliquid debeat operari*, argumentô Decretalis Extrà *De priuilegijs.* cap. *In his.* Et in Iure, *Indefinita æquipollet vniuersali*, vt solet notari 1. q. 3. cap. *Saluator*, in fine. *Et vbi Actor Regulæ non distinxit, immò distinguendum prohibuit* (provt in illa Scriptura, quæ ipsius Francisci dicitur *Testamentum*, plenius continetur) *nec alius distinguere debet*, vt solet notari 31. q. 1. cap. *Quod si dormierit.*

§. Item videtur, quòd omnes perfecti teneantur seruare (quantùm humana permittit fragilitas) omnia consilia Christi. Nam, vt dicit Augustinus in libro De Vita Christiana. *Qui Christianus dicitur Christum se habere Dominum profitetur; & verè esset*, id est perfectè esset, *si ei in omnibus exequeretur, & seruiret.* Et post multa verba subiungit. *Christianus ille est* (supple *perfectus*) *qui Christum in omnibus imitatur.* Ecce quod Christiani perfecti debent Christo in omnibus; non solùm in

præceptis, ſed etiam in conſilijs obſequi; & eum in omnibus, quæ ad aſſumptam pro nobis eius humilitatem pertinent, quantùm ſibi poſſibile eſt, imitari. Vnde ipſe Dominus docet Diſcipulos ſuos (per quos intelliguntur Viri perfecti) dicens Matt. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Gloſſa. *Imitatione, non æqualitate.* Qui enim perfectionem docendo, ad eam inchoandam docuit dicens Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe; vade, vende quæ habes, & da pauperibus;* ad eamdem perfectionem conſummandam ſubiungit dicens. *Et veni, & ſequere me.* Gloſſa. *Id eſt. Imitare me.* Qui ergo, in quibus eſſet imitandus, non diſtinxit; ſed *Sequere me* ſimpliciter dixit; profectò in omnibus imitandum ſe voluit. Item Eccleſiaſt. 23. *Magna gloria eſt ſequi Dominum.* Gloſſa. *Id eſt. Imitari.* Non dicit *In hoc, vel in hoc ſequi,* ſed *ſimpliciter ſequi;* Et quod ſimpliciter dicitur, vniuerſaliter dictum intelligitur, vt habetur alibi. Item Rom. 13. ſuper illud *Induite Dominum Ieſum Chriſtum*, dicit Gloſſa. *Formam Chriſti accipite in omnibus.* Item Apocalypſ. 14. dicitur De Virginibus, per quos intelliguntur perfecti. *Hi ſequuntur Agnum, quocumque ierit.* Item Athanaſius in lib. De ſatisfactione fugæ ſuæ. *Omnia, quæ de Saluatore noſtro humanô more ſcripta ſunt, eadem humano generi communiter deputantur; ſed vnuſquiſque eum ſecundùm datam ei gratiam, ac infirmitatem propriam, minùs, aut perfectiùs imitatur.* Illi ergo Fratres, qui ſe perfectos, immô perfectiores alijs profitentur; ad obſeruandum, vt videtur, totam Euangelicam Chriſti doctrinam, tam in conſilijs, quàm in præceptis (quantùm humana ſinit fragilitas) obligantur. Si ergo deſiderent, & procurent ſe Magiſtros fieri, vel Magiſtros vocari (quod eſt contra Euangelicam Chriſti doctrinam prædictam) videntur facere contra ſuam perfectionem, & Regulam Beati Franciſci, & frangere votum ſum; præſertim, cum in cap. 10. eiuſdem Regulæ expreſsè dicatur. *Non curent Fratres neſcientes literas, diſcere literas; ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem.* Ex quo capitulo videtur, quod illi Fratres, qui poſt ingreſſum illius Ordinis curant diſcere literas, quas anteà neſcierunt, manifeſtè faciant contra Regulam ſupradictam.

§. Sed dicet Vir Regularis, ſiue Monachus, Cathedræ Magiſtralis Amator; quod per illud Matt. 23. *Nolite vocari ab*

Digitized by

hominibus R*abbi*, & *Ne vocemini Magiſtri*, non prohibetur quilibet appetitus Magiſterij; ſed appetitus Magiſterij inordinatus, vel indebitus; qualem appetitum non habent Viri Regulares, vt dicunt; cum non appetant Magiſterium, niſi propter publicam vtilitatem; nec volunt fieri Magiſtri Scholaſtici, niſi de conſenſu Prælatorum ſuorum licentientur ab illo, qui habet poteſtatem Magiſtros licentiandi.

§. Sed, quod appetitus Monachorum in hac parte ſit inordinatus, ſic poteſt oſtendi. Quicumque appetit, quod ei non conuenit, inordinatè, vel indebitè appetit illud; *Culpa enim eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti.* ff. *De Regulis Iuris.* L. *Culpa.* Officium publicè docendi, vel publicè prædicandi (quod eſt Magiſterium) Monacho in ſtatu, ſeu gradu Monachali exiſtenti, non conuenit, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Sed datô*, & Paragraphis ſequentibus, vſque ad illum §. *Verùm ſi Hierarchis;* & maximè per Beatum Bernardum ſuprà diſt. 1. §. *Secundùm igitur prælibatam.* Ergo Monachus in ſtatu, ſeu gradu Monachali exiſtens, inordinatè, & indebitè appetit illud. Redit ergo Prima Concluſio; ſcilicet, quod Monachus appetendo, vel adipiſcendo Magiſterium, facit contra doctrinam Chriſti Euangelicam prædictam; Et ſi vouit ſe Chriſti Euangelium ſeruaturum, videtur transgredi votum ſuum. Talem inordinatum, vel indebitum Magiſterij appetitum reprobat Dominus in Phariſæis Hypocritis, qui erant Religioſi Iudæorum, dicens Matth. 23. *Amant primas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi.* Vnde Gloſſa ibidem. *Magiſtros primos ſedere non vetat; ſed eos arguit, qui hæc habita, vel non habita indebitè appetunt.*

§. Item obijciet Vir Regularis, Amator Cathedræ Magiſtralis, illud Hieronymi Ad Ruſticum Monachum. *Sic viue in Monaſterio, vt Clericus eſſe merearis; multô tempore diſce, quod poſtmodùm doceas;* & habetur 16. q. 1. cap. *Sic viue.* Item eumdem in ſequenti cap. *Si Clericatus te titillat deſiderium; diſcas, quod poſſis docere.* Ex quibus concludunt, quod Monachi poſſunt diſcere, & docere. & ex hoc vlteriùs concludunt, quod poſſunt Magiſtri Scholaſtici eſſe.

§. Ad quod dicendum eſt, quod Monachi, dum ſunt in Monaſterio, poſſunt diſcere; vt poſtmodum, ſi fiant Clerici, id eſt Prælati Eccleſiæ, poſſint docere, id eſt prædicare; non quod

possint Magistri Scholastici esse. Et sic loquuntur capitula supradicta, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Sed fortè dicet.*

§. Item obijciunt exempla quorumdam Sanctorum; videlicet Gregorij, Augustini, Hieronymi; qui licet fuerint Regulares, tamen fuerunt præcipui Doctores Ecclesiæ.

§. Ad quod dicendum est, quod postquàm facti fuerunt Monachi, siue Regulares; non docuerunt, scholas regendo; sed libros scribendo, & Scripturas exponendo. Posteà verò facti Episcopi, vel Prælati, docuerunt publicè prædicando.

§. Sed obijciunt de Gregorio Nazianzeno; qui licet Monachus esset, tamen adductus fuit Constantinopolim, vt Sacram Scripturam doceret, vt legitur, prout dicunt, *in Ecclesiastica Historia.* Similiter de Ioanne Damasceno, qui licet Monachus esset, tamen non tantùm in Sacra Scriptura, verùm etiam in liberalibus artibus docebat Scholares, vt legitur in libro *De mirabilibus Beatæ Virginis*; quem librum non vidimus, nec credimus authenticum esse.

§. Ad quod tamen dici potest, quod hoc, si verum fuit, factum fuit dispensatiuè propter vrgentem necessitatem Ecclesiæ; videlicet propter penuriam Magistrorum; vnde non est trahendum ad consequentiam. Quemadmodùm factum fuit tempore Gelasij Papæ in Ecclesia Italica, quod Monachi facti fuerint Rectores Ecclesiarum Parochialium, propter penuriam Clericorum, vt legitur 1. q. 7. §. *Nisi rigor*, & cap. sequenti; & dist. 60. can. *Pricis*, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Cum igitur Ecclesia Christi.* Vrgens enim publica necessitas dispensationem inducit, vt legitur 1. q. 7. cap. *Etsi illa.*

§. Item opponunt dicentes. Qui est idoneus ad maius, est idoneus ad minus. Monachus est idoneus ad Cathedram Episcopalem. Ergo multô fortiùs ad Cathedram Magistralem. Ergo Monachus potest esse Magister Scholasticus.

§. Respondeo. Monachus potest fieri Episcopus, quod est maius. Ergo potest fieri Archidiaconus, vel Sæcularis Canonicus, quod est minus. Quod est absurdum.

§. Item dicunt, quod ad omne opus misericordiæ potest aliqua Religio instituì; Vnde, cum docere sit opus misericordiæ (quia inter eleemosynas computatur) ad officium docendi potest aliqua Religio institui; & ex hoc concludunt quod aliqui

Digitized by Google

Religiosi possunt esse Magistri Scholastici.

§. Ad quod dicendum est, quod prima falsa est. Nam defendere Pupillos, & Viduas, & alias miserabiles Personas in iudicio, est opus misericordiæ; non tamen ad hoc potest Religio institui; quia tale officium non possunt exercere Religiosi, nisi despensatiuè, de mandato Episcopi; vtpotè inconueniens suæ perfectioni, vt legitur in Concilio Calcedonensi dist. 86. can. *Peruenit*; & ostensum est suprà dist. 2. in Tract. *De Curiosis. §. Sed fortè.* Similiter nec conuenit publicè docere Monachali Professioni, vt ostensum est multipliciter suprà dist. 1.

§. Alia etiam argumenta inducunt plurima, quæ sunt responsione indigna. Sed certè multùm desiderant honorem Cathedræ, qui per talia argumenta nituntur probare Magistros Scholasticos, & solemnes fieri se debere.

§. Item constat, quod Monachi non possunt fieri solemnes Magistri Scholastici, nisi diu studuerint in studio generali; Sed dicit Gregorius, quod *Nemo potest Ecclesiasticis*, & multô minùs Scholasticis, *officijs deseruire; & in regula Monachorum ordinate persistere.* 16 q. 1. cap. *Nemo.* Quomodò ergo viuet Regulariter & ordinatè Monachus, qui viginti annis in studio generali permanserit, & officijs Scholasticis deseruierit propter Magistralem Cathedram, quam se ascensurum sperauit? Item, cum periculosum & illicitum existat Monacho, in multitudine hominum diutiùs permanere, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Adeò enim*; quomodò licitum erit ei diutiùs permanere in studio generali, vbi est tanta hominum multitudo? Hoc attendens Beatus Benedictus Monachorum præceptor eximius, licèt nondum esset Monachus, sed animô tantùm Religiosus; cum in studio generali Romæ studeret, timens ne si fortè propter multitudinem hominum, & eorum frequentiam aliquid de scientia mundi attingeret, postmodùm in immane præcipitium totus iret; idcirco potiùs eligens scientiâ literarum carere, quàm in præcipitium ire; *recessit à studio literarum scienter nescius, & sapienter indoctus*, vt narrat de ipso Gregorius *in Dialogo* lib. 2.

§. Sed iterum obijciet Vir Regularis, Cathedræ Magistralis Amator dicens Nonne expedit Ecclesiæ Dei, quod Vir prędicare sciens, licet Regularis existat, promoueatur ad Cathe-

Digitized by Goo

dram Magiſtralem; videlicet, vt ſit Magiſter Scholaſticus in diuinis literis; & nomen Magiſtri habeat, vt per hoc eius prædicatio diſertior reperiatur; & ob hoc libentius audiatur, & magis ei credatur; & ſic màgis proficiat docendo, & prædicando; & etiam, vt per hoc ſtudium Sacræ Scripturæ ardentiùs amplectatur; cum tamquam fructum laboris ſui ſperauerit ſe tamdem Magiſtralem Cathedram aſcenſurum?

§. Ad quod dicendum eſt, quod Magiſtrum eſſe, vel Maſtrum vocari, nullam importat neceſsitatem profectus in prædicatione; ſed fortè magis prouocat curioſitatem. Plus enim plærumque conficit ſimplex prædicatio Sancti Viri modicè literati; quàm multorum Magiſtrorum prædicatio docta, vt oſtenſum eſt ſuprà proximô ſignô. Sicut etiam patet in Arrio, Sabellio, Eutyche, Neſtorio, & alijs quampluribus; qui ſicet magni Magiſtri fuerint in diuinis literis, & magni nominis; tamen non profecerunt in Eccleſia Dei, ſed magis defecerunt; quoniam Hæreſiarchæ fuerunt. Item vide exemplum Domini, qui cum inter Diſcipulos ſuos haberet quoſdam Magiſtros; videlicet Nathanaël, *qui fuit peritiſsimus Scripturarum*, vt dicit Gloſſ. ſuper illud Ioan. 1. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* & Nicodemum, cui dixit Dominus Ioan. 3. *Tu es Magiſter in Iſraël*; tamen non legitur eos miſiſſe ad prædicandum, nec feciſſe Apoſtolos; ſed potiùs miſit piſcatores & idiotas, quibus dixit Matth. 10. *Ecce Ego mitto vos.* Gloſſ. *De Diſcipulis miſſos vos facio*, vt dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Verùm ſi Dominus Papa.* Conſtat autem, quod ſi *Magiſtri* nomen vtile eſſet Prædicatori Eccleſiæ, Dominus potiùs miſiſſet Magiſtros prędictos, & Apoſtolos eos feciſſet, quàm piſcatores & idiotas. Sed *placuit Domino per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes* 1. Corinth. 1. Gloſſ. *Id eſt, per Prædicatores imperitos mundanæ ſapientiæ, qui ſtulti videbantur.* Et hoc ideo, ne eorum profectus attribuatur homini, ſed Deo. Vnde ſuper illud 1. Corinth. 2. *Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*, dicit Gloſſ. *Id eſt. Non attribuatur homini, ſed Deo.*

§. Item. Eſto, quod Magiſterium Diuinæ Scripturæ, vel Magiſtrum eſſe in Diuina Scriptura, vtile ſit prædicationi; non tamen licitum eſt Viris Regularibus (qui Græcè *Monachi* appellantur) Magiſtros eſſe; cum eis non liceat publicè docere, vel publicè prædicare, dum ſunt in inferiori ordine Eccleſiaſticæ

Digitized by

ſiaſticæ Hierarchiæ (Id eſt, in ſtatu Monachali ſubiecti) niſi fuerint ab Eccleſiarum Prælatis canonicè deſtinati; quoniam ex hoc turbaretur & confunderetur Eccleſiaſtica Hierarchia, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. ab illo §. *Sed datô*, vſque ad illum §. *Verùm ſi Hierarchis*; & ſuprà ead. diſt. 12. Signô §. *Cum etiam Eccleſiaſtica Hierarchia.*

§. Item. Illis, qui ſtatum humilitatis elegerunt (vt ſunt Regulares Viri, qui Græcè *Monachi* appellantur, prout oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Item certum eſt*) etſi forſan liceret ijs publicè docere, & Magiſtros Scholaſticos eſſe; tamen non expedit animabus eorum; quoniam in ſtatu Doctorum frequenter periclitatur humilitas, quæ in ſtatu Auditorum, ſeu diſcentium, faciliùs conſeruatur, vt oſtenſum eſt ſuprà ibidem.

§. Item certum eſt, quod Magiſterium (ſeu publicè docendi, ſeu publicè prædicandi officium) honor eſt, ſiue officium honoris, & altitudinis, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Non ſolùm autem.* Viri ergo Regulares (qui *Pauperes ſpiritu* ſe appellant) non debent ſe erigere ad altitudinem Magiſterij, nec propter hoc diſcere, vt fiant Magiſtri; alioquin *Pauperes ſpiritu* non ſunt; ſed veriùs *Arrogantes, & inaniter glorioſi.* Nam, ſicut dicit Gloſſ. ſuper illud Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, PAVPERES *ſpiritu ad nulla alta ſe erigunt; ſed quæ timoris ſunt & humilitatis, excolunt.*

§. Ad cognoſcendum etiam arrogantiam Prædicatoris, ſeipſum extollere, vel oſtentare volentis; notandum, quod quidam ad ſermonem prædicationis veniunt, tamquam ad cantilenas audiendas, ſiue ad cantica Theatrorum; videlicet, non vt faciant quæ dicuntur; ſed vt in audiendo tantummodò delectentur. De quibus dicit Dominus Ezechel. 33. *Filij hominis, audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos; quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſequitur cor eorum, & es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulcique ſonô canitur.* Tales Auditores, etſi prædicationem ſemper laudent, tamen propter eam vitam ſuam peruerſam non mutant: Qui ergo talibus Auditoribus prædicare non ceſſant; non tam proficere, quàm ſeipſos oſtentare, tamquam Arrogantes deſiderant. Vnde ſuper illud Iob 31. *Si expaui ad multitudinem nimiam*, dicit Gregorius in lib. 22. Moral. *Quoties Auditores noſtri noſtra volunt, quaſi laudanda cognoſcere, non autem ſua peruerſa mutare; omninò*

taceamus. Ne si ostentantis studiò verba Dei loquimur; & illorum culpa, quæ erat, esse non desinat; & nostra, quæ non erat, fiat. Et infrà. *Dicet fortasse aliquis. Vnde nouimus, quod corde quis audiat? sed multa sunt, quæ audientis animum produnt; maximè si Auditores nostri; & semper laudant, quæ audiunt; & numquam, quæ laudant, sequuntur.*

§. Si verò dicatur, quod Monachos prædicare scientes, melius est publicè docere, aut publicè prædicare, quàm tacere; eô quod plùs proficiunt publicè docendo, aut prædicando, quàm tacendo. Respondendum est, quod obstat eorum status, & professio, ac gradus, quem tenent in Ecclesiastica Hierarchia, secundùm quem illicitum est eis publicè prædicare, aut publicè docere, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Secundùm igitur prælibatam*, &c. Obstat etiam authoritas Hugonis de Sancta Victore in libro, quem appellauit *Didascalon* lib. 5. cap. 9. de Religiosis Viris sic loquentis. *Liber à culpa non est, qui alienum vsurpat officium. Si Monachus es; quid facis in turba? Si amas silentium; cur declamantibus interesse delectat? Tu semper ieiunijs & fletibus insistere debes; & tu philosophari quæris? Simplicitas Monachi, Philosophia eius est. Sed docere, inquis, alios volo; non est tuum docere, sed plangere. Si tamen esse Doctor desideras, audi quid facias. Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conuersationis tuæ docere debent homines. Melius fugiendo mundum doces, quàm sequendo. Sed adhuc forte persequeris, & quid inquiens; Nonne, saltem si volo, discere me licet? Suprà dixi tibi. Lege, & occupari noli. Exercitium tibi potest esse lectio, sed non propositum. Doctrina bona est, si incipientium est. Tu verò te perfectum fore promiseras; & ideo non tibi sufficit si Incipientibus coæquaris. Plùs aliquid te facere oportet. Considera, vbi sis; & quid agere debeas, facile agnosces.* Obstat etiam exemplum cuiusdam Abbatis (qui vocabatur *Pando*) qui cum requisitus fuisset à Fratribus suis, vt sermonem faceret Alexandrino Episcopo ad se venienti, respondit. *Si in taciturnitate mea non ædificatur; non in sermone meo ædificabitur.* Ac si diceret. *Qui in taciturnitate Monachi* (quæ pertinet ad eius professionem) *non ædificatur; multò minùs in sermone Monachi ædificabitur*; cum sermonem facere coram extraneis Sæcularibus Viris; præcipuè autem coram Clericis, vel Prælatis, qui sunt in superiori ordine Ecclesiasticę Hierarchiæ; non conueniat Monachis,

Digitized by Google

qui ſunt in ordine inferiori, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Secundum igitur prælibatam, &c.* & ſuprà diſt. 2. §. *Item ſunt quædam actiones.*

§. Item, boni Prædicatores & ſancti, qui ad prædicandum ex ſola charitate mouentur; etſi ſciant, vel credant, ſe poſſe proficere prædicando; locum tamen prædicationis (cum ſit locus honoris, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Non ſolùm autem*) non ambiunt; ſed inuitati, vi charitatis impulſi recipiunt; iuxta illud Heb. 5. *Nec quiſquam aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Quod ſi nullus neceſſitatem prædicandi eis imponit, tunc magis eligunt intendere veritati vacare, quàm publicè prædicare. Vnde ſuper illud 1. Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat*, dicit Gloſſ. *Locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt; etſi ita teneatur & adminiſtretur, vt decet; indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter neceſſitatem charitatis.* Item Auguſtinus. *Honor te debet quærere; non tu honorem.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) præcipuè Monachi, ſiue Regulares Viri exiſtentes in gradu Monachali; ex more potiùs velint eſſe & vocari Magiſtri, quàm Diſcipuli; potiùs velint docere, quàm diſcere; & audiri, quàm audire; & ideo in ſtudio diutiùs commorantes, vel apertè, vel cautè procurent ſe ad Cathedram Magiſtralem vocari; nec non ſtatuta ſibi faciant, & ab Apoſtolica Sede requirant, quod ex eis fiant publici ac ſolemnes Magiſtri in ſtudio generali; vel etiam, cum ſe purgatos neſciant, nihilominùs tamen non inuitati ſe ingerant, ſeu non requiſiti ſe offerant prædicaturi plebibus alienis (quod eſt officium honoris, præcipuè in Concilijs, & Synodis, & Conuentibus magnis, nec non in Curijs Regum, & Principum, & Prælatorum; maximè vbi non apparet vitam Auditorum peruerſam mutari, ſed tantùm Prædicatorum verba laudari) videntur ſe immiſcere rei ad ſe non pertinenti, ſeu officio, quod eis non conuenit; contra ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Videntur etiam amare primas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus *Rabbi*, contra doctrinam Chriſti. Videntur

Digitized by Google

etiam magis appetere altitudinem, quàm humilitatem, contra ſuam profeſſionem. Videntur etiam velle docere, aut prædicare, magis ad oſtentationem ſui, quàm ad aliorum profectum; contra doctrinam Apoſtoli. Et ideo non videntur eſſe veri Apoſtoli; ſed potiùs ſuſpecti haberi poſſunt, ne ſint Pſeudo.

§. Decimumſeptimum Signum poteſt eſſe, Quod veri Prędicatores, etiam quando magnum profectum faciunt in Eccleſia Dei, non inde extolluntur; iuxta illud Eccleſiaſt. 10. *Noli te extollere in faciendo opere tuo.* Gloſſ. *Iactantiam prohibet, quoniam omnis Arrogans abominatio eſt apud Deum.* Sancti enim Viri opera ſua, licet digna, apud ſe reputant indigna; alioquin enim plùs eis nocerent, quàm alijs prodeſſent. Vnde ſuper illud Iob 3. *Nonne diſſimulaui?* dicit Gregorius in lib. 5. Moral. *Vt cuiuslibet facta digniora ſint, neceſſe eſt, vt apud ſe ſemper indigna videantur; ne eadem bona actio Agentis cor ſubleuet; & ſubleuando plùs Authorem de ſua elatione deijciat, quàm ipſos fortè, quibus impenditur, iuuat.* Vnde Apoſtolus, licet in Eccleſia Dei plurimùm profeciſſet, tamen ex humilitate dicebat. *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.* 1. Corinth. 15. Ad illud etiam alios hortatur dicens. Rom. 12. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* Magiſter etiam veritatis, & veræ humilitatis, ſic docet Diſcipulos ſuos dicens. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite. Serui inutiles ſumus.* Luc. 17. *Cum enim omnia opera noſtra bona operetur in nobis Deus.* Iſa. 26. non nobis, ſed Deo attribuenda ſunt, iuxta illud Pſal. 113. *Non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam.* Sic faciebat Apoſtolus 1. Corinth. 11. dicens. *Gratiâ Dei ſum, id quod ſum.*

§. Item veri Apoſtoli, licet aliquando glorientur de labore ſuo (quem habent in Euangelio) ad inſtar Apoſtoli dicentis 1. Corinth. 15. *Abundantiùs illis omnibus laboraui*; & hoc non ſine cauſa legitima faciant (videlicet, ne propter Pſeudo-Apoſtolos contemnantur, vt oſtenſum eſt ſuprà ead diſt. 10. Signô. §. *Ad hoc dicendum eſt*) de fructu tamen, quod fecerint in Eccleſia Dei, numquam gloriari præſumunt. Vnde Bernardus *De Conſideratione* lib. 4. dicit. *Paulus loquitur.* PLVS OMNIBVS LABORAVI. *Non ait.* PLVS OMNIBVS PROFVI, *aut*, PLVS OMNIBVS FRVCTIFICAVI, *verbum inſolens deuitans; & ob hoc in laboribus*

magis, quàm in profectibus gloriandum putauit. Item super illud Iob 37. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austrô?* dicit Gregorius lib. 27. Moral. *Nequaquam sibi Doctores tribuant, quod per exhortationem suam ad summa proficere Auditores vident; quia nisi Spiritus Sanctus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium in cassum sonat.* Qui enim bona, quæ per eum fiunt, sibi attribuit; non solùm grauiter peccat, sed etiam Deum negat. Vnde super illud Iob 31. *Si osculatus sum manum meam ore meô; quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum*, dicit Gloss. *Authoris sui gloriam negare conuincitur, quisquis sibi attribuit, quod operatur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) de fructu, quem in Ecclesia Dei facere, & fecisse se dicunt, ex more extollantur; & illum sibi iactanter arrogent dicentes. *Nos illuminauimus Ecclesiam Dei, quæ ante tempora nostra cæca erat. Nos extinximus flammam peccatorum in Ecclesia Dei*; cum forsan magis prouocauerint hypocrisim, quàm veras virtutes; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo. Et forsan huiusmodi homines *Schismatici* dici possunt, iuxta verbum Isidori libro 8. *Etymolog.* cap. 4. sic dicentis. *Fit autem schisma, cum dicunt homines.* NOS IVSTI SVMVS; NOS SANCTIFICAMVS IMMVNDOS, *& cætera similia.*

§. Decimumoctauum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores, scientes quod non semper fiunt miracula propter merita facientis, non gloriantur apud homines, nec se iactant, nec exultant exteriùs in conspectu hominum, de Miraculis, vel alijs factis insignibus exterioribus, quæ Deus facit per eos, nec de illis cupiunt ab hominibus honorari; sed potiùs gaudent interiùs de salute, quam à Deo expectant, iuxta Domini documentum dicentis Luc. 10. *In hoc nolite gaudere, quia Spiritus subijciuntur vobis; verumtamen in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Gloss. *Malos Spiritus ejicere, & alias virtutes facere, aliquando non est meritum eius, qui illa operatur; sed inuocatio nominis Christi hoc agit, ad condemnationem eorum, qui inuocant; vel ad vtilitatem eorum, qui vident, vel audiunt.* Vnde super illud Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* dicit Hieronymus. *Iudas Apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur.* Quod autem per

malos plærumque fiant Miracula, ſatis oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Notandum autem, quod ſola Miracula.* Hoc autem (videlicet, quod non ſit gloriandum de Miraculis propriis, vel de aliis factis inſignibus ſpeciem ſanctitatis habentibus) oſtendit exemplô ſuô Beatus Petrus; qui, cum eum tamquam ſanctum propter virtutes, quas faciebat, vellet adorare Cornelius procedens ad pedes eius, ipſe Petrus eleuauit eum dicens. *Surge; Nam & ego ipſe homo ſum, ſicut & tu.* Act. 10. Hoc idem oſtenderunt exemplô ſuô Paulus & Barnabas veri Apoſtoli; qui, cum eſſent in Licaonia in ciuitate Lyſtris, & propter Miracula, quæ faciebant in nomine Ieſu Chriſti, vellent eos homines adorare, & eis ſacrificare; Ipſi ſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes & dicentes. *Viri, quid hoc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis.* Act. 14. Hoc idem oſtendit Ipſe Dominus exemplô ſuô Luc. 5. vbi, cum leproſum mundaſſet, *Præcepit illi, vt nemini diceret.* Gloſſ. *Tacere iubet, nec taceri poteſt; Non quod aliquid voluerit, & non potuerit; ſed dat exemplum, vt ſui magna, quæ faciunt, latere velint; ſed vt proſint alijs, prodantur inuiti.* Item Luc. 8. cum rogaſſet Ieſum ille, à quo eiecerat Dęmonum legionem, vt cum eo eſſet; noluit Dominus remanere cum illo, vt iactantiæ cauſam vitare doceret; ſed dimiſit eum dicens. *Redi in domum tuam, & narra quanta fecerit tibi Deus.* Non dixit, *Narra quanta fecerit tibi Ieſus*; ſed *Quanta fecerit tibi Deus.* Hoc autem narrari voluit propter Infideles. Vnde Gloſſ. ibidem. *Vt iactantiæ cauſa vitetur, & Infidelibus ſit exemplo.* Item Marc. 7. cum ſanaſſet ſurdum & mutum, *Præcepit illis*, qui eum adduxerant, *Ne cui dicerent.* Gloſſ. *Quia non eſt in altis gloriandum, ſed in Cruce & humilitate.* Item Marc. 8. cum illuminaſſet cæcum, miſit illum in domum ſuam dicens. *Vade in domum tuam; & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.* Gloſſ. *Id eſt. Cæcitatem cordis tui prædica, non virtutem. Vnde Paulus. Blaſphemus fui, & perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Item Matth. 9. cum illuminaſſet duos cæcos, comminatus eſt eis dicens. *Videte, ne quis ſciat.* Gloſſ. *Exemplum iactantiæ vitandæ.* Item Luc. 8. cum reſuſcitaſſet filiam Archiſynagogi, *præcepit Parentibus, ne alicui dicerent, quod factum erat.* Non ſic faciunt quidam Prædicatores moderni, qui quandoque Miracula ſimulantes, ad eorum publicationem faciunt campanas pulſari. Permittunt etiam ſeipſos tamquam Sanctos ab ho-

Digitized by Google

minibus adorari, *Ad instar Caij Cæsaris, qui se faciebat tamquam Deum coli*, vt dicit Magister in Historijs; & *sibi voces Dei, non voces hominis acclamari*, vt legitur Act. 12. patiuntur enim fimbrias vestimentorum suorum à Christianis abrumpi, & tamquam Sanctorum reliquias resetuari. Faciunt etiam per indulgentiarum largitionem (licet etiam indulgendi non habeant potestatem) seipsos de loco ad locum processionaliter cum vexillis Ecclesiasticis, & turba populorum deduci; & pro istis exterioribus volunt vltra homines honorari & prædicari; & ideo, quod sint Pseudo, meritò possunt suspecti haberi; nam & ipsi Pseudo propter lucrum, aut vanam gloriam, magis gaudent de Miraculis, & alijs factis insignibus exterioribus, quæ ab hominibus possunt videri; quàm de interioribus, quæ à solo Deo videntur. Vnde de Pseudo loquens Apostolus 1. Corinth. 5. dicit. *Vt habeatis ad eos qui gloriantur in facie.* Gloss. *Id est, gloriantur in exterioribus, vel in conspectu hominum, vt Hypocritæ.* NON *in corde.* Gloss. *Vt superbiam reprimant per cordis humilitatem.* Talis fuit Simon Magus, qui cum per sua magica homines adeò dementasset, quod appellabant eum *Virtutem Dei magnam*, desiderans gloriam ampliorem inter homines adipisci, & lucrum consequi, voluit ab Apostolis emere potestatem dandi Spiritum Sanctum in signo visibili; vnde obtulit eis pecuniam dicens, *Date mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*; propter quod meruit audire à Petro. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. Tales etiam erant filij Sceuæ Principis Sacerdotum, qui gloriantes in Miraculis faciendis tentabant eijcere in nomine Iesu Dæmonium ab obsesso; propter quod homo ille habens Dæmonium pessimum dixit eis. *Iesum noui, & Paulum scio; vos autem, qui estis?* & insiliens in eos inualuit contra illos, ita quod effugerent vulnerati. *Act.* 19. Quod vtinam eueniret omnibus, qui de Miraculis, & alijs superstitiosis nouitatibus inaniter gloriantur.

§. De illis, qui gloriantur in Miraculis faciendis, habemus manifestum exemplum *Luc.* 9. vbi quidam Simulator videns Dominum, & eius Discipulos Miracula facientes; vt & ipse Miracula facere posset, & sic lucrum, vel mundanam gloriam reportaret; voluit simulatè fieri Discipulus Domini dicens ad illum. *Sequar te quocumque ieris*; Et ait illi Iesus. *Vulpes foueas*

habent, & Volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Gloſſ. *Iſte ſignorum magnitudine motus, vult ſequi, vt ex Miraculo operum quæreret lucrum; vnde à Domino repudiatur, qui non obſequiorum attendit ſpeciem, ſed affectus quærit puritatem.* Et infrà. *Vel Miraculis motus propter inanem gloriam ſequi voluit, quam ſignificant Aues; & finxit obſequium Diſcipuli, quæ fictio per Vulpem ſignificatur.*

§. Tales erunt Seductores Præambuli Antichriſti. Vnde Hildegardis in Epiſtola ſupradicta ſic loquitur de illis in perſona Diaboli dicentis. *Sed nunc in pennas ventorum, fulgurante tonitruô, volare volo; & illos*, ſcilicet prædictos Seductores, *omnibus modis infundere, quod omnem voluntatem meam faciant; & ſic in hominibus iſtis ſigna mea Omnipotenti Deo aſſimilabo.* Id eſt. *Faciam per eos Signa, ſiue Miracula, ſimilia Diuinis Miraculis.* De Miraculis, quę facturi ſunt Hypocritæ Antichriſti, require ſuprà diſt. 1. §. *Notandum autem, quod ſola Miracula.* Ecce quod Pſeudo Prædicatores Præcurſores Antichriſti facient Miracula, ad fallendum. Igitur Prædicatores, de quorum canonica miſſione non conſtat; quantumcumque faciant Miracula; non per hoc probant ſe eſſe veros Apoſtolos; ſed cum ea oſtentant, quod ſint Pſeudo, reddunt ſe manifeſtè ſuſpectos, vt pleniùs oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Notandum autem, quod ſola Miracula.*

§. Item illi, qui de ſuis Miraculis gloriantur, oſtendunt ſe infirmos fide, atque ſuperbos. Vnde humiliari merentur à Domino, ad inſtar Diſcipulorum Domini, qui dicebant Domino Luc. 10. *Domine, etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo*; Et ait illis. *Videbam Satanam, quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Gloſ. *Quia adhuc infirmi fide gaudent de virtutibus, & de ſignorum operatione; ideò exemplô terrentur, & ad humilitatem reuocantur. Quia ſi Diabolus propter ſuam ſuperbiam de cœlo eſt præcipitatus; multo magis iſti de terra editi, ſi ſuperbierint, humiliabuntur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) ex more apud homines ſe extollant, iactando ſe de Miraculis & alijs elegantioribus operibus ſuis, vel Collegarum ſuorum; extollentes etiam in prædicationibus ſuis Miracula, & merita ſua, vel Collegarum ſuorum, ſuper Miracula & merita primorum Prædicatorum, Martyrum,

rum, & Apoſtolorum; & ob hoc modis omnibus operantes, quod feſta Collegarum ſuorum (quos canonizari, & in catalogo Sanctorum reponi procurauerunt) ſolemniùs celebrentur, quàm feſta primorum Prædicatorum, Martyrum, & Apoſtolorum, qui Eccleſias Chriſti per prædicationem ſuam, & in ſanguine ſuo fundauerunt; cum tamen eorum Miracula, vel merita, excellentiora nequaquàm videantur in Eccleſia Dei, niſi forſan ſimulata; videntur gloriari exteriùs de Miraculis & meritis ſuis, vel ſuorum, vt exinde magis apud homines honorentur; & ideo non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo. De qualibus videtur congruè poſſe dici illud Iudæ in Canonica ſua. *Hi ſunt nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Gloſſ. *Comparant ſe Prædicatoribus pluentibus Iuſtitiam, coruſcantibus per Miracula; ſed ipſi ſunt nubes obſcurantes ſolem, ponentes in cœlum os ſuum, peruerſa ſuperbè docendo ſine aqua ſapientiæ.*

§. Decimumnonum Signum poteſt eſſe, Quod veri Apoſtoli, non mendaciter, nec arroganter iactant Deum per eos feciſſe aliqua facta inſignia, quæ per eos non fecit; quia nihil falſum audent de Deo dicere, quamuis ad eius honorem videatur pertinere; qui enim hoc faciunt, falſi teſtes Dei ſunt, & non parùm eum offendunt, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Præter veritatem.* Pſeudo verò Apoſtoli ſub prætextu honoris diuini aliqua facta inſignia Deum per eos feciſſe falsò aſſerunt, quod tamen iactanter ad ſuum honorem conuertunt; videlicet, vt ex hoc ſanctiores ab hominibus reputentur, & exinde ampliùs honorentur (vtpotè quando dicunt Deum per eos feciſſe quædam Miracula, vel quoſdam alios profectus in Eccleſia, quæ per eos non fecit) contra illud Apoſtoli Rom. 15. *Non enim audeo* (Gloſſa vt *Pſeudo*) *aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus,* vt dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Præter veritatem.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) ex more talia dicant vel aſſerant, arrogando ſibi fructus in Eccleſia Chriſti, quos nec ipſi faciunt, nec Deus facit per eos; non videntur eſſe veri Apoſtoli; ſed potiùs ſuſpecti haberi poſſunt, ne ſint Pſeudo. De quibus videtur poſſe dici congruè illud Iudæ in Canonica ſua. *Hi ſunt Arbores Autumnales, infructuoſæ.* Gloſſ. *Comparant ſe Arboribus bonum fructum ferentibus, ſed ſunt Arbores Autumnales; quia tarde ferunt bonum fructum, ſicut Arbor in Autumno plantata.*

Digitized by Google

Sequitur in eadem Canonica. *Fluctus feri maris.* Gloſſa. *Ad ſimilitudinem tumentium vndarum ſuperbientes, altiùs ſe extollunt.* Item alia Gloſſa. *Semper inquieti, tumidi, tenebroſi, amari, ſtabilimentum Eccleſiæ impugnantes.*

§. Vigeſimum Signum poteſt eſſe, Quod veri Apoſtoli, cum ſint pauperes ſpiritu, ad nullam altitudinem huius mundi ſe erigunt; ſed in timore, & vera humilitate perſiſtunt. Nam, ſicut dicit Gloſſ. ſuper illud Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu.* PAVPERES *ſpiritu ſunt, qui ad nulla alta ſe erigunt; ſed ea, quæ ſunt timoris & veræ humilitatis, excolunt*, vt dictum eſt ſuprà 16. Signô. §. *Item certum eſt.* Pſeudo verò, cum ſint Hypocritæ; attendentes, quod per opera mundana plærumque huius mundi gloriam adipiſci non poſſunt; vt ſaltem aliquô modô eam valeant adipiſci, per hypocriſim habitum Religionis aſſumunt, vel aliàm ſpeciem humilitatis ſimulatè oſtendunt, vt per hoc ad honores hûius mundi faciliùs ſublimentur; & ſic per falſam humilitatem ad alta huius mundi ſe erigunt, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 3. §. *Quidam etiam dictorum Seductorum.* Tales Hypocritæ plærumque ſimulant ſe crucifigere carnem ſuam, & mortuos eſſe carni (videlicet carnem ſuam plærumque in conſpectu hominum per abſtinentiam macerando) ſed peiùs viuunt mundo; videlicet, mundi honores per talem hypocriſim ambiendo. Vnde ſuper illud Iob 8. *Sicut tela Aranearum fiducia eius*, dicit Gregorius lib. 8. Moral. *Qui corpus macerat, ſed honoribus anhelat; crucem quidem carni intulit, ſed mundo per concupiſcentiam peiùs viuit.* Talis erat *Diotrephes, qui primatum gerere amabat*, vt legitur in Canonica 3. Ioannis. *Diotrephes* dici poſſunt Hypocritæ; quia ſpecioſi ſunt exteriùs per ſimulationem ſanctitatis, quam oſtendunt exteriùs in aſpectu; ſed ſaporem ſanctitatis non habent interiùs in affectu. *Diotrephes* enim, vt ibi notat Gloſſa, interpretatur *ſpecioſus inſulſus.*

§. Item Pſeudo, licet per ſuam ſimulationem humiles videantur (vnde ſuper illud 2. Timoth. 4. *Non ambulantes in aſtutia*, dicit Gloſſ. *In hypocriſi, vt faciunt Pſeudo, qui videntur humiles*) tamen, quoniam in corde ſuo mundi huius altitudinem appetunt, & temporalem gloriam Prælatorum habere cupiunt; ideo prædicationis officium plærumque ſibi aſſumunt, & ſub prætextu zeli animarum per friuolas rationes illud habere contendunt; vt, etſi Prælati eſſe nequeunt, ſaltem ad inſtar

Digitized by Google

Prælatorum ab hominibus honorentur. Vnde de Pseudo-Apostolis dicit Apostolus Philipp. 1. *Quidam quidem prædicant verbum Dei, propter inuidiam, & contentionem.* Gloss. *Quia inuident Apostolatus nostri gloriæ, & eam habere contendunt.*

§. Item, quia huiusmodi potentiam ambiunt; idcirco, etsi per seipsos regnare, aut præsidere non possunt; saltem regnantibus, aut præsidentibus adhærere, tamquam eorum Officiati, aut Consiliarij concupiscunt. Nam, vt dicit Boëtius. *Qui in potentia extolli cupiunt, aut ipsi regnare volunt, aut regnantibus adhærere conantur*, vt dictum est suprà dist. 2. §. *Sed forte adhuc.* Vilem enim & depressum reputat statum suum Ambitiosus Hypocrita, donec in primatu aliquo, vel officio publico fuerit constitutus. Vnde Seneca in libi 5. De Officijs. *Humili ac depresso loco se putat stare quisquis Ambitiosus, si supra Rempublicam non stetit.* Magnum enim reputat se frequenter visitari, ac domum suam ab hominibus frequentari; quod est signum Superbiæ manifestum. Vnde Seneca *De Officijs* lib. 6. *Proprium Superbiæ est, magnô æstimare introitum ac tactum sui liminis.* Contra quos dicit Ecclesiasticus cap. 18. *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis; assidua enim est commissio illorum.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non cõnstet) sub habitu Religionis, aut sub alia specie humilitatis, vel sanctitatis, aut sub prætextu diuinæ prædicationis, aut alterius consilij animarum; ex more conentur regnare, siue præesse, vel Regibus, aut alijs huius mundi Potentibus adhærere; vel gloriæ Prælatorum inuideant, & eam modô prędictô habere contendant; vel limina sua frequentari, id est se à plurimis visitari, gaudeant & procurent; & his modis, vel alijs ad altitudinem huius mundi se erigant; non sunt pauperes spiritu. Et ideo non videntur esse veri Apostoli; sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Vigesimumprimum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores, & illi, qui vitâ sæculari relictâ vitam Regularem & rigidam elegerunt, non libenter frequentant Curias Principum terrenorum, ne videantur quærere aliquid terrenum, vel ne fiant Adulatores. Vnde super illud Matth. 9. *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*, dicit Gloss. *Vt aliquid venentur.* Item alia Gloss. ibidem. *Rigida vita & prædicatio* (Id est rigidam vitam ducentes, & prædicantes; vel sine adula-

tione viuere volentes,& prædicantes) *declinare debent Mollium Palatia,quæ frequentant induti mollibus adulantes.*

§. Si dicas, quod licet multi sint adulantes in Curijs, tamen multi boni rigidam vitam ducentes (vt sunt Viri Regulares, & multi boni Prædicatores) frequentant Curias, vt vitia reprehendant, & veritatem dicant. Obstat tibi Seneca *De Officijs* lib. 6. dicens. *Omnia sanè excluserit opulenta fælicitas; monstrabo tibi, cuius rei inopiâ laborent magna fastigia; quid omnia possidentibus desit; scilicet ille, qui verum dicat.* Et infrà. *Nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque; sed adulandi certamen est; & vnum omnium amicorum officium, vna contentio, quis blandissimè fallat.* Cum igitur summa fastigia & omnia possidentes, sint Domini Curiarum; Restat, quod in Curijs desunt veritatem dicentes. Prædicatores igitur veritatis Curias non frequentant, nec etiam possent in Curijs diutiùs commorari; quia libere, & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines, vt dicit Glossa super illud 1. Corinth. 4. *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, &c.* vt ostensum est suprà dist. 2. §. *Hoc autem faciebat Apostolus* Pauci ergo frequentant Curias veritatem docentes, & multi adulantes; ideoque de antiquis & veris Sanctis, qui veritatem sine adulatione, verbô & opere prædicabant, cantat Ecclesia dicens. *Contemnentes Aulas Regias peruenerunt ad Regna cœlestia.* Vnde videtur è contrario, quod sanctitatis speciem prætendentes, amantes & frequentantes Aulas Regias peruenire debent ad ignominiam infernalem. De talibus, Regularibus, qui sęculum priùs reliquerant, postea verò sequendo Curias ad sæculum reuertuntur, videtur congruè posse dici, quod dicit B. Petrus de quibusdam Pseudo 2. Petri 2. *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes Mundi, hu rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.*

§. Item veri Regulares (qui Græcè *Monachi* appellantur) cum voluptates non ament, Curias Principum terrenorum declinare studeant propter multitudines hominum, salutationes, officia, conuiuia; quæ sunt quasi catenæ quædam voluptatis, quæ Curiales adeò ligant, quod à Curijs vix, aut numquam possunt auelli. Vnde Hieronymus loquens ad Nepotianum, quasi ad Monachum, dicit. *Obsecro te, siue hîc fueris, siue ibi; multitudines hominum, salutationes, officia, conuiuia, quasi quas-*

Digitized by

dam catenas voluptatis fuge. Item in eadem Epist. *Conuiuia Sæcularium tibi vitanda sunt; maximè illorum, qui honoribus tument.* Item in eodem. *Sæcularium, maximè Potentium, deuita consortia. Quid tibi necesse est videre crebriùs, quorum contemptu Monachus esse cœpisti?* PLENA EST *enim Curia vniuersi generis hominum, & tanta est vtriusque sexus constipatio; vt quod alibi ex parte fugiebas, hoc totum ibi sustinere cogaris*, quemadmodùm dicit ibidem Hieronymus loquens de ciuitate Ierusalem in eadem Epistola. Item Seneca *Ad Lucilium* Epist. 7. *Quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris? Turbam. Nondum illi te tutò commiseris.* Et infrà. *Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtique, quò maior est populus, cui commiscemur; hòc periculi plùs est. Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior; immò verò crudelior, & inhumanior; quia inter homines fui.* Item Ecclesiast. 18. *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis; assidua enim est illorum commissio*, vt dictum est suprà proximò signò. Item Seneca *Ad Lucilium* Epist. 9. *Fuge multitudinem; fuge paucitatem; fuge etiam vnum, audeo tibi te credere.* Patet igitur, quod non est tutum Regularibus Viris, qui propter Deum sæculum reliquerunt, in Curijs (vbi est turba, & multitudo Hominum Sæcularium) conuersari.

§. Sed fortè obijciet aliquis Regularis, vel Prædicator, Palatiorum Frequentator, & Curiarum Amator dicens. Nonne Ioseph moratus est in Palatio Regis Pharaonis *Genes.* 39. & Moyses in Palatio Filiæ Pharaonis *Exod.* 2. & Daniel in Domo Regis Babylonis *Daniel.* 1. & Mardochæus in Palatio Regis Assueri *Hester* 5? In Nouo etiam Testamento, nonne Sebastianus habitauit in Domo Diocletiani Imperatoris; Ioannes & Paulus in Curia Constantini? Nonne etiam in Palatio Cæsaris quidam Sancti habitabant, de quibus dicit Apostolus Philip. vlt. *Salutant vos omnes Sancti; maximè autem, qui de Cæsaris domo sunt*: Non est ergo illicitum Viris Sanctis, & Religiosis Prædicatoribus, in Curijs Principum commorari.

§. Ad quod multipliciter potest responderi. PRIMÒ de Ioseph, Moyse, Daniele, & Mardochæo potest dici; quod, cum Serui essent dictorum Principum (vt potè in eorum captiuita-

te detenti) necesse habebant seruire Dominis suis (licet Infidelibus & Paganis) siue in Palatiis, siue extra Palatia, sicut Dominis eorum placebat; iuxta doctrinam Apostoli Coloss. 3. dicentis. *Serui obedite per omnia Dominis carnalibus.* Item Tit. 3. *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Item 1. Petri 2. *Serui subditi estote in omni timore Dominis: non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* SECVNDÒ dici potest, quod in Palatijs Principum morabantur vtiliter, & ex diuina prouisione, vt iuuarent alios Iudæos Fratres suos, qui in captiuitate dictorum Principum tenebantur, prout apparet in Scripturis loquentibus de ipsis. TERTIÒ dici potest, quod cum non essent Monachi, vel Regulares Viri, nec prædicationis habentes officium; habitatio eorum in Curijs, non repugnabat eorum statui, vel perfectioni.

§. De Sanctis verò Noui Testamenti, qui in Curijs morabantur; dici potest, quod tunc temporis Christiani propter suam paucitatem, & sæuitiam Tyrannorum Gentilium, sub quibus degebant, multas tribulationes sustinebant. Vnde quidam Sancti, Christianam professionem suam ex industria, vel ex prouisione diuina occultantes; cum haberent familiaritatem Principum terrenorum, ad hoc morabantur in Curijs, vt alios Christianos latenter, & faciliùs adiuuarent; & quos in tormentis videbant deficere, latenter confortarent. Tandem verò ab ipsis Curialibus insidiantibus deprehensi & manifestati, propter confessionem nominis Christi, glorioſis passionibus vitam finiebant, sicut *in Legenda Beati Sebastiani*, & aliorum Sanctorum legitur manifestè. Ipsis etiam, cum non essent Monachi, vel Regulares Viri, vel Prædicatores; sed potiùs Milites, & Curiales, licet fidem Christi tenentes; non erat tunc illicitum, nec eorum professioni contrarium, in Curijs commorari; dummodò nihil agerent contrarium Christianæ Religioni. Cum autem ad illud compellebantur, tunc confidenter se Martyrio exponebant. Viris autem Regularibus, & Prædicatoribus, secundùm Glossam prædictam *Rigida vita, &c.* illicitum est in Curijs commorari.

§. Non igitur assumant in exemplum Monachi, seu Regulares Viri, prædictos Sanctos, qui Monachi non erant, vt eos in frequentando Curias imitentur; sed potiùs assumant in exemplum antiquos Sanctos Monachos, qui frequentiam hominum

Digitized by Google

fugiebant. Nam, ſicut dicit Hieronymus Ad Paulinum. *Habet vnumquodque Propoſitum Principes ſuos. Romani Duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones. Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Hiſtorici, Thucididem, Saluſtium, Herodotum, Liuium. Oratores, Lyſiam, Gracchos, Demoſthenem, Tullium. Et vt ad noſtra veniamus; Epiſcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos Viros, quorum honorem poſſidentes, nitantur habere meritum. Nos autem* Monachi *habeamus Propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios, Hilariones, Macharios. Et vt ad Scripturarum authoritatem redeam; Noſter Princeps Elias; Noſter Eliſæus; Noſtri Duces Filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his ſunt & illi Filij Rechab, qui vinum & ſiceram non bibebant; qui morabantur in tentorijs; qui Dei voce per Ieremiam laudantur.* Ierem. 15. Huiuſmodi Sanctos Viros, qui mundum modis omnibus fugiebant, debent imitari Viri Regulares, qui Græcè *Monachi* appellantur. Non hos autem imitari videntur illi Regulares Viri, ſeu Monachi, qui faciunt; non tabernacula, ſed domos amplas & amœnas; non in locis deſertis & aridis, ſed in ciuitatibus magnis & populoſis, & in alijs fertilibus locis; non iuxta fluenta Iordanis (non contenti ſcilicet potu aquæ, & parcô victu aridorum ciborum) ſed iuxta fluenta magnorum piſcium, & aliorum pinguium, & bonorum vinorum. Præſertim illi Regulares, qui abſque poſſeſſionibus, & ſine opere corporali, ſub prætextu Euangelicæ paupertatis, viuere volentes; vel ſaltem ſic viuere ſimulantes; egeſtate, vel egeſtatis ſimulatione, coguntur continuè mendicando quærere, vnde viuant. Illi enim ideo ciuitates, & loca populoſa ſectari creduntur à multis, vt familiaritates hominum, & præcipuè Diuitum & Potentum curiosè ſibi procurent, & ab ijs eleemoſynas pinguiores per varios & importunos quæſtus ſub ſpecie ſanctitatis recipiant, vnde ſine opere corporali ſuauiùs viuant. Quod ex eo ſatis præſumi poteſt, ſi à ſeceſſibus, ſiue ab angulis ciuitatum, ad loca illarum magis intima, & ad conuentum populi magis apta ſe transferant, & domos ſuas tranſponant. Non ſic fecit ille vetus Prædicator Ioannes Baptiſta; qui non Palatia, non ciuitates, ſed deſertum ad inhabitandum elegit; non

carnes, vel piſces, vel pinguia; ſed locuſtas, & mel ſylueſtre comedit *Matth.* 3. non vina fortia, nec etiam ſiceram, ſed aquam bibit; non Curiam Regis ad blandiendum & dominandum, ſed ad ipſum Regem aſperrimè arguendum intrauit; nec in Curia propter adulationes ſuauiùs vixit, ſed ibi propter aſperam veritatem decolatus fuit. *Matt.6.*

§. Sed iterum fortè obijciet Curiarum Amator dicens, quod propter hoc volunt Viri Regulares in Curijs commorari; quoniam ibi multa bona faciunt, iuuando pauperes & oppreſſos.

§. Ad quod poteſt dici, quod eos facere multa bona in Curijs, credimus indigere probatione; quia per facti euidentiam nondum apparet. Sed eſto, quod faciant; dicendum tamen eſt, quod non omnes piæ actiones licitæ ſunt Regularibus Viris; ſed illæ ſolę, quę non diſcrepant ab eorum profeſſione, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Sed fortè obijciet*, & §. *Item ſunt*, & §. *Patet igitur ex prædictis.* Conſtat autem ex iam dictis, & ibi, & hic, quod actiones Curiarum (quantumcumque piæ exiſtant) diſcrepant à Monachali profeſſione; Vnde per tales actiones ſibi illicitas non expedit eis aliorum commoda procurare.

§. Si fortè dicant Tales, quod non eſt eorum voluntas Curias frequentare, ſed trahuntur inuiti à Principibus, & Prælatis, quos offendere, vel ſcandalizare non audent. Ad hoc reſponſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Sed fortè adhuc*, & §. *Item Viri Regulares.* Et ſic patet reſponſio ad obiecta; & relinquitur, quod veri Prædicatores, & veri Regulares Mollium Palatia non frequentant; ſed potiùs, quantum poſſunt, declinant.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) contrarios mores habeant; præſertim ſi in Curijs (in quibus commorantur) non dicant, nec faciant Dominis Curiarum, quemadmodùm Sancti Curiales prædicti, vnde Martyres fiant, vel vnde illis diſpliceant; ſed magis vnde fauorem illorum acquirant, vt ex eo ſuauiùs viuant; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed potiùs ſuſpecti haberi poſſunt, ne ſint Pſeudo.

§. Vigeſimum ſecundum Signum poteſt eſſe, Quod veri Prędicatores in prædicationibus, vel in alijs factis, vel dictis ſuis,

non

Digitized by

non quærunt finaliter fauorem humanum, siue placere hominibus. Vnde Apostolus Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem.* Glos. *Id est, placere vellem.* SERVVS *Christi non essem.* Et 1. Thess. 2. dicit Apostolus. *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes.* Gloss. *Id est, placere volentes; quoniam nec speciem placentis habemus.* SED *placentes Deo, qui probat corda nostra.* Gloss. *Id est, probata facit, vt sibi, non hominibus placeamus.* DOMINVS *enim dissipat ossa.* Gloss. *Id est, bona meritoria,* EORVM, *qui hominibus placent.* Gloss. *Id est, placere quærunt,* vt dicit Psal. 52. Pseudo verò in suis prædicationibus magis intendunt placere populo, quàm proficere, vt ostensum est suprà ead. dist. in 15. Signo. Vnde Gregorius lib. 7. Moral. *Non proferre nouerunt alia, nisi quæ Auditorum corda ad rependendas laudes excutiant, non ad lacrymas accendant.* Vnde, vt placeant Auditoribus suis, quandoque dicunt in prædicationibus suis non solùm vera placentia, sed etiam placentia falsa, contra, vel præter veritatem Scripturæ, vt ostensum est suprà distinct. 1. §. *Item eorum, qui missi sunt,* & §. *Præter veritatem autem.* Præcipuè autem aggrauando, & abominando peccata Clericorum in audientia Laïcorum, vt per hoc placeant illis; eò quod *Laïci Clericis oppidò sunt infesti,* vt legitur 2. q. 7. cap. *Laïcos.* Prædicando etiam coram Laïcis decimas esse cæremoniales, non morales; & ideo illas sub Nouo Testamento non deberi iure diuinò, sed tantùm iure consuetudinis, vel humanò; contra illud Rothomagensis Concilij. *Omnes decimæ Ecclesiæ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* 16. q. 7. cap. *Omnes decimæ.* Prædicant etiam, non decimam etiam de iure humano, sed vel vigesimam, vel etiam minorem partem deberi, secundùm consuetudinem regionum; contra illud Ambrosij. *Quid est decimam fideliter dare, nisi vt nec minùs decimâ, nec peius aliquando Deo offerat, aut de grano, aut de vino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de propria venatione sua?* 16. q. 7. cap. *Quicumque.* Modis igitur prædictis quærunt Pseudo magis placere populo, placentia falsa dicendo; quàm Deo, veritatem asperam prædicando. Contra quos dicit Seneca *Ad Lucilium* in Epist. 25. *Numquam volui placere populo. Quis enim populo placere potest, cui virtus placet? Malis artibus popularis fauor quæritur.* Item in eadem Epistola. *Si te videro celebrem vocibus*

vulgi; si te totâ ciuitate fœminæ puerique laudauerint; ego tamen tui miserebor; cum sciam, quæ via ad illum fauorem ferat. Item Hieronimus Ad Nepotianum. *Nescio quomodò plus placet mundo, qui Christo displicet.*

§. Sed fortè obijciet Pseudo, quærens placere populo. Nonne Apostolus dicit 1. Cor. 10. *Sine offensione estote Iudæis, & Gentilibus, & Ecclesiæ Dei; sicut ego per omnia omnibus placeo.* Item Rom. 12. *Prouidentes bona, non solùm coram Deo; sed etiam coram hominibus.* Ergo verus Prædicator, vel Apostolus, licitè potest appetere placere hominibus.

§. Ad quod dicendum est, quod verus Apostolus non appetit finaliter se placere hominibus, sicut dictum est suprà eodem signô; sed veritatem, quam ipse prædicat, appetit placere hominibus propter eorum vtilitatem. Vnde Gregorius in Pastorali. *Dicit Apostolus.* SICVT ET EGO PER OMNIA OMNIBVS PLACEO. *Alibi autem dicit.* SI ADHVC HOMINIBVS PLACEREM, SERVVS CHRISTI NON ESSEM. *Ergo placet, & non placet; quia in eo quod placere appetit; non se, sed per se hominibus veritatem placere quærit.* Item exponendo illud Ieremiæ 9. *Non glorietur Sapiens in sapientia sua*, dicit Gregorius lib. 9. Moral. *Sancti non de sua opinione, sed de proximorum gaudent vtilitate; quia aliud est fauores quærere, & aliud de profectibus exultare.*

§. Sed quomodò poterit cognosci; an se, an veritatem, quam prædicant, placere velint?

§. Respondeo. Quando sine cuiusquam scandalo agunt, vt alijs placeant, & sic eis proficiant; tunc verisimile est, quod non se, sed veritatem, quam prædicant, placere desiderant. Quando verò cum scandalo aliquorum agunt vt aliquibus placeant; quoniam tunc non proficiunt saltem illis, qui ex eo scandalizantur; sed magis officiunt; certum est, quod veritatem, quam prædicant, non tam placere, quàm seipsos desiderant. Vnde super verbo prædicto 1. Cor. 10. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*, dicit Glossa. *Sine cuiusquam scandalo agens*; hoc est enim omnibus per omnia placere, sine scandalo cuiusquam agere ad profectum aliorum, vt & illis, & huic sit vtile.

§. Item, si videat Prædicator Auditores suos eius prædicationem semper laudare, non tamen propter illam vitam suam peruersam mutare, debet omninò tacere; alioquin, si suam

Digitized by

prædicationem assiduet, magis videtur ad ostentationem sui, vt hominibus placeat, prædicare velle; quàm ad Auditorum suorum profectum; & sic magis videtur appetere se placere, quàm ipsam, quam prædicat, veritatem, vt ostensum est suprà ead. dist. 16. Signô §. *Ad cognoscendum etiam.*

§. Ad illud autem Rom. 12. *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed & coram hominibus*; Dicendum est, quod per hoc non hortatur Apostolus ad quærendum fauorem humanum, siue ad placendum hominibus; sed ad scandalum euitandum. Vnde Glossa ibi. *Vt non fiat scandalum, sed bonum exemplum; quia illud fieri debet, quod & Deo non displiceat, & Fratri scandalum non sit.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) aut prædicando, aut confessiones audiendo, aut alia Prælatorum officia exercendo, vel Philosophiam in suis prædicationibus ostentando, aut Principum terrenorum Palatia frequentando, aut aliena negotia exercendo, vel verbis adulando, vel aliô quocumque modô ex more quærant placere hominibus cum scandalo plurimorum; vel etiam apud illos, qui eorum prædicationem semper laudant, & tamen propter illam vitam suam peruersam non mutant, verba prædicationis assiduent; videtur secundùm authoritates prædictas, quod non tam veritatem, quam prædicant, quàm seipsos hominibus placere quærant. Vnde videntur finaliter quærere fauorem humanum; & ideo non videntur esse veri Prædicatores, sed Pseudo.

§. Vigesimum tertium Signum potest esse, Quod veri Apostoli satagentes Dominum imitari (*Apud quem non est Personarum acceptio*, vt legitur Act. 11.) non accipiunt Personas Diuitum, vel Potentum, huius sæculi Amatorum; nec vacant eorum amicitijs contemplatione huius sæculi copulandis; ne per hoc fiant inimici Dei. Iacobi 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur.* Ideo etiam nolunt vacare blandis verbis, vel blandis factis, per quæ acquiratur amicitia huius mundi, ne per hoc impediatur eorum deuotio apud Deum; quod prohibet Dominus Luc. 10. dicens. *Neminem in via salutaueritis.* Glossa. *Non salutandi sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotiônis aboletur; vt dum mandantur di-*

uina, paulisper sequestrentur humana. Ex quo videtur, quod studiosè vacare salutationibus, vel alijs blandis verbis, vel blandis factis, vt per hoc acquiratur amicitia huius mundi, impediat deuotionem implendi mandata Dei.

§. Pseudo verò (quorum studium & intentio est in pecunijs accipiendis, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Quidam autem canonicè*) vt à Potentibus & Diuitibus huius mundi substantias faciliùs per varia blandimenta extorqueant; Personas eorum accipiunt, ac illorum amicitias modis, quibus possunt, acquirunt. Vnde facta & dicta illorum immoderatè prædicant, & extollunt; facta verò & dicta Pauperum, quamuis meliora, supprimunt & contemnunt; iuxta illud Eccles. 13. *Diues locutus est, & verbum illius vsque ad nubes perducunt; Pauper locutus est, & dicunt, quis est hic?* Gloss. *Multi sunt, qui Diuitum facta & dicta extollunt; Pauci, qui doctrinam humilium, & virtutem intelligunt. Arrogantes*, id est Diuites, *inueniunt Prædicatores; Humiles*, id est Pauperes, *Contemptores.* Vnde illud. *Diuitiæ addunt Amicos; à Paupere verò & hi, quos habuit, separantur.* Item, si Diues Vsurarius, aut alius Opulentus (à quo sperant se temporale commodum accepturos) conuentum illorum intrauerit in habitu pretioso, gratulantes illi assurgunt, & cum honorificentia illum deducunt, & tam in confessibus, quàm in alijs, omnem illi honorem impendunt. Si verò Pauper intrauerit in vili habitu (à quo nullum se sperent temporale commodum accepturos) illum aut reijciunt, aut saltem negligunt & contemnunt; contra illud Iacobi 2. *Fratres, nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum Vir aureum annulum habens, in veste candida; introierit autem & Pauper in sordido habitu; & intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ, & ei dixeritis, Tu sede hîc benè.* Glossa. *In honesto loco.* PAVPERI *autem dicatis*, TV STA ILLIC, AUT SEDE SVB SCABELLO PEDVM MEORVM; *Nonne iudicatis apud vosmetipsos?* Glossa. *Id est. Nonne peccatum operamini?* ET FACTI *estis Iudices cogitationum iniquarum?* Glos. *Id est. Iudicare debetis apud vosmetipsos, quod praue cogitatis in acceptatione Personarum?* Item alia Glossa. *Mundus Pauperem abijcit, Diuitem Colit.* Prouerb. 19. *Multi colunt Personam Potentis, & Amici sunt dona tribuentis.* De talibus honorantibus Personas Diuitum & Potentum pro commodo temporali,

Digitized by Google

legitur in Canonica Iudæ. *Mirantes Personas quæstus causâ.* Glos. *Honorantes Personas Diuitum causâ lucri, non causâ dilectionis.* Contra tales dicit Ecclesiast. cap. 10. *Noli despicere Iustum hominem Pauperem; & noli magnificare Virum Peccatorem Diuitem.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) modô prædictò, vel aliô ex more vacent amicitijs huius sęculi propter temporale commodum acquirendis; non videntur esse veri Apostoli; sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Vigesimum quartum Signum potest esse, Quod veri Apostoli curam animarum à Domino commissarum ad se pertinere scientes, & propter hoc amore committentis eas sinceriùs ac propensiùs diligentes, iuxta illud Ioan. 21. *Si diligis me, pasce oues meas*; non pro mercede, sed ex amore pascunt illas pabulô spirituali, ad instar Mulieris Nutricis; quæ, licet alienos filios nutriat quandoque pro mercede, proprios tamen filios nutrit ex dilectione. Vnde super illud 1. Thes. 2. *Facti sumus sicut paruuli in medio vestrûm, tamquam si foueat Nutrix filios suos*, dicit Glos. *Alienos filios nutrit quandoque Mulier pro mercede, non pro amore; proprios verò ex dilectione.* Pseudo verò, *Quorum non sunt oues propriæ.* Ioan. 10. scientes curam illarum ad se non pertinere; non ex amore pascunt illas, sed propter gloriam, vel propter aliud commodum temporale, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Nunc autem.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) ex more simulantes se habere maiorem zelum animarum sibi non commissarum, quàm earum Pastores, qui sunt earum Patres & Matres, & qui de animabus subditorum suorum necesse habent in districto Iudicio reddere rationem, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Item fortè obijciet*; non erubescant asserere, quod eas pascant; non pro mercede aliqua temporali tamquam alienos, sed ex maiori dilectione, quàm earum Pastores, quorum verè sunt filij; videntur esse magis duplices & fallaces, quàm simplices & veraces. Hanc enim maiorem dilectionem ideo simulant, vt ab eis faciliùs res eorum extorqueant. De qualibus dicit Apostolus Galat. 4. *Æmulantur vos.* Id est *Æmulari, seu diligere simulant vos* (videlicet Seductores prædicti) NON *benè*, Id est *Non bonâ intentione.* SED *excludere vos volunt.* Glos. *A mea dilectio-*

ne; VT *eos æmulemini*. Id eſt, *Diligatis pluſquàm me*; *vt vel ſic res veſtras faciliùs valeant extorquere*. Etſi enim illi, qui filios alienos de mandato Patrum erudiunt, dici valeant Pædagogi, non tamen Patres ſunt; & ideo Patrum affectum habere non poſſunt. Vnde Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Nam etſi decem millia Pædagogorum*. Gloſſ. *Id eſt, Eruditorum*. HABEATIS *in Chriſto*. Id eſt *In doctrina Chriſti*. SED *non multos Patres*. Et ideo doctrina illorum non eſt ita fidelis, ſicut doctrina Patrum, id eſt propriorum Prælatorum, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Nunc autem videndum*. Videntur etiam eſſe non veræ, ſed falſæ Nutrices; iuxta illud vulgare prouerbium. *Quæ plùs diligit quàm Mater, falſa Nutrix eſt*. Et ideo non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Vigeſimum quintum Signum poteſt eſſe, Quod veri Prædicatores non quærentes placere hominibus, vt oſtenſum eſt ſuprà ead. diſt. 22. Signô, non adulantur eis; Pſeudo verò, vt placeant hominibus, adulantur. Vnde 1. Theſſ. 2. vbi ad differentiam Pſeudo, & verorum Apoſtolorum dicit Apoſtolus, *Exhortatio noſtra non fuit in dolo*; vbi etiam dicit Gloſ. *Hîc contra Pſeudo videtur incipere*; ſubiungit Apoſtolus. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis*. Gloſ. *Per quod alij, ſcilicet Pſeudo, placent hominibus*. Item 2. Corinth. 6. ſuper illud *In omnibus exhibeamus nos, ſicut Dei Miniſtros*, dicit Gloſ. *Dei Miniſtri non adulantur hominibus, vt placeant Deo; ſicut faciunt Pſeudo ſtudentes lucro*. Iſti autem Pſeudo adulantes periculoſiſſimè decipiunt, laudantes ac iuſtificantes quandoque homines peccatores (eô fortè quod ſeruant quaſdam eorum nouas traditiones, quæ ſunt bonorum operum ſimulationes) ac oſtentationes illas quodam nouô & ſuperſtitioſô nomine *Beguinagium* appellantes, vt dictum eſt ſuprà diſt. 3. §. *Nec miretur*. Sub eo etiam prætextu, quod ſint humilitatis Eccleſiæ zelatores, laudant & iuſtificant Principes Sæculares, temporalem Iuriſdictionem Eccleſiæ coarctantes; dicentes ſcilicet, ac perſuadentes dictis Principibus, quod Eccleſia non debet habere Iuriſdictionem temporalem; vt ſic ad eos facilius recurſum habeant in ſuis negotijs, etiam per fas & nefas; ac ſi Eccleſia nullam haberet poteſtatem in foro exteriori. Vnde de talibus ſic adulantibus poſſet dici ad literam illud Oſeæ 7. *In malitia ſua lætificauerunt Regem, & in mendacijs ſuis Principes*. Per tales

Digitized by Google

igitur adulationes & laudes faciunt plærumque homines in peccatis suis delectari, propter quod non conuertuntur ab eis, sed in eis moriuntur. Vnde super illud Psal. 9. *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, &c.* dicit Glos. *Hæc est magna ira Dei, vt desit correctio, & adsit adulatio.* Adulantium linguæ alligant homines in peccatis; delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam auditur laudator. Propter hoc dicit Salomon Prouerb. 27. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis est.* Glos. *Qui fauore superfluæ laudis proximum extollit, vel malis fauendo, vel bona plùs laudando; hic maledicenti assimilatur; quia vel in malo opere laudando confidentiam tribuit, vel in bono opere simplicitatem puri cordis minuit; vt quod superni amoris causâ inceperat, humanò fauore finiat.* Ideo contra tales Adulatores instruit Deus populum suum Isa. 3. dicens. *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Glos. *Blandis verbis.*

§. Si qui ergo Prędicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) ex more tamen adulentur, non sunt Dei Ministri; & ideo non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Vigesimum sextum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores, quantamcumque sapientiam, quantamcumque prędicandi gratiam habeant; si tamen sint Pauperes, & nullatenùs adulentur, sed veritatem libere dicentes, opera peccatorum liberè reprehendant; non facilè inuitatores, vel hospites inueniunt in locis etiam populosis. Huius rei exemplum apertum habemus in Domino Saluatore; qui, cum præ cunctis mortalibus tantam haberet sapientiam etiam secundùm hominem, tantamque gratiam prædicandi, quod etiam Auersarii eius, scilicet Ministri Pharisæorum missi ad capiendum eum, de hoc ei testimonium perhibebant dicentes Ioan. 7. *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur*; tamen, cum Dominicâ in Ramis-Palmarum totâ die prædicasset in Ierusalem, horâ vesperâ, circumspectis omnibus, vtrum aliquis inuitaret eum ad hospitium; demum, quia nimis pauper erat, & nulli adulabatur; ideo nullum inuitatorem, vel hospitem in tantâ ciuitate inueniens, reuersus est ad hospitium in Bethaniam, vnde venerat illâ die; vt ostensum est suprà dist. 2. §. *Item obijciunt*

Digitized by Google

Christum mendicasse hospitium. Liberè enim & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes, non habent gratiam apud homines, vt ostensum est suprà dist. 2. §. *Hoc autem faciebat Apostolus.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) nimiæ paupertati subiaceant, vel se subiacere ostendant; nihilominùs tamen manibus otiosis, non solùm in locis populosis, verùm etiam in aliis, hospitia & inuitatores facilè & frequenter inueniant; suspecti possunt haberi, ne hominum peccata palpando, asperam eis veritatem subticeant, vel aliter Adulatores existant; & ideo non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Vigesimumseptimum Signum potest esse, Quod veri Prædicatores, cum charitatem habeant, persecutiones patienter tolerant; iuxta illud 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est.* Vnde Apostolus 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nos, sicut Dei Ministros, in multa patientia, in tribulationibus.* Et ideo nec iniurias sibi factas defendunt, iuxta illud. Rom. 12. *Non vos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim,* MIHI VINDICTA, ET EGO RETRIBVAM *dicit Dominus;* sed potiùs illas charitatiuè remittunt, iuxta doctrinam Apostoli Colos. 3. dicentis. *Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersùs aliquem habet querelam. Sicut Dominus donauit vobis, ita & vos.* Item super illud Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis* dicit Origenes in Homil. 6. *Apostoli non persecutionem fecerunt, sed persecutionem pertulerunt.* Item veri Apostoli, cum verè patientes sint, nec etiam persecutores suos odiunt (nam, sicut dicit Gregorius in Homil. *Vera patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti; contra eum quoque, qui mala irrogat, nullô dolore morderi*) sed è contrario benedicunt, nec malum pro malo reddunt. Vnde Rom. 12. *Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere.* Et infrà. *Nulli malum pro malo reddentes.* Item Luc. 6, *Orate pro calumniantibus vos.* Glos. *Cum charitas patiens sit, debet patientiam verberantis sustinere; cum benigna sit, non debet respondere maledictis. Si non quærit quæ sua sunt, non debet resistere rapienti; si non æmulatur, non debet odisse inimicos.* NEC ENIM vmquam seruari concordia, *nisi per solam patientiam, valet,* vt dicit Gregorius lib. 21. *Moralium* super illud Iob 31. *Humerus meus à iunctura sua cadat, &c.* Item Franciscus

ciſcus *in Regula ſua* cap. 10. *Fratres ſuper omnia deſiderare debent habere patientiam in perſecutione, & diligere eos, qui eos perſequuntur; aliter enim non eſſent ſpirituales.* Nam, ſicut dicit Hieronymus *Qui ſecundum carnem natus erat, perſequebatur ſpiritualem*; NVMQVAM *ſpiritualis carnalem perſequitur; ſed ignoſcit ei, quaſi Ruſticano Fratri.* 23. q. 4. cap. *Qui ſecundùm carnem.* Maximè autem debet eſſe patiens Prædicator; vnde ſuper illud Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum*, dicit Gloſſ. *qui locum prædicationis ſuſcipit; mala non debet inferre, ſed tolerare.* Et hoc exemplô Domini, de quo dicitur 1. Petri 2. *Qui, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; tradebat autem ſe iudicanti iniuſtè.* Item exemplô Apoſtoli 1. Corinth. 4. dicentis. *Maledicimur, & benedicimus; blaſphemamur, & obſecramus.* Item 2. Corinth. 12. *ſigna Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia.* Gloſſ. *Patientiam primò commemorat, quæ ad mores Prædicatoris pertinet.* Nam, vt dicit Pſal. 91. *Benè patientes erunt, vt annuntient*; Et ſicut dicit Gregorius in Homil. *Non poteſt veraciter bona docendo impendere, qui viuendo neſcit æquanimiter aliena mala tolerare.* SAPIENTIA *enim Iuſtorum eſt mala libentiùs tolerare, quàm facere; nullius iam iniuriæ vltionem quærere; pro veritate contumeliam lucrum putare*, vt dicit Gregorius lib. 10. *Moralium* ſuper illud Iob 12. *Deridetur Iuſti ſimplicitas.* Item Caſſiodorus in lib. *De Anima* cap. 11. *Viri Sancti nullum lædere cupiunt læſi; ſemper ignoſcunt; charitatem illis impendunt, qui eos ſceleratô odiô proſequuntur.*

§. Pſeudo autem impatientes ſunt in aduerſis. Vnde ſuper illud Matt. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, dicit Gloſ. de falſis Prophetis, Id eſt de falſis Prædicatoribus. *Maximè autem cognoſcuntur iſti per impatientiam tempore aduerſitatis.* Perfectionem ergo, ſi quam ſimulant, per impatientiam falſam eſſe demonſtrant. Vnde ſuper illud Iob 30. *Frater fui Draconum, &c.* dicit Gregorius in lib. 20. Moral. *Nullus perfectus eſt, qui inter Chriſtianorum mala patiens non eſt; Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipſe ſibi teſtis eſt, quod ab omni plenitudine longè diſtat.*

9. Per hoc autem, quod Pſeudo impatientes ſunt in aduerſis (videlicet ſuas iniurias crudeliter vindicando, ac perſecutores ſuos, vel quos perſecutores exiſtimant, ex aduerſo grauiI iii

ter perſequendo) ſatis indicant, quod ſi perſecutiones aliquas patiuntur, peccatis ſuis exigentibus, à Deo flagellentur; non ad correctionem, tamquam eius filij; ſed ad punitionem, tamquam ipſius inimici. Nam, ſicut dicit Gregorius in lib. 14. *Moralium* ſuper illud Iob 19. *Sic me habuit, quaſi hoſtem ſuum.* CVM *virtutem noſtræ patientiæ flagella noſtra tranſeunt; valde metuendum eſt, ne peccatis noſtris exigentibus, non quaſi Filij à Patre, ſed quaſi Hoſtes à Domino feriamur.*

§. Notandum autem, quòd Pſeudo Hypocritæ quandoque patientes videntur, ſed non ſunt; quia ſcilicet non manifeſtè, ſed occultè nocent illis, quos odiunt. Vnde ſuper illud Matt. 23. *Serpentes genimina Viperarum*, dicit Chryſoſtomus. *Hypocritæ, cum aliquem læſerint, ita ſimpliciter ambulant, ac ſi non nocuerint.* Aliquando enim occultè detrahunt, ſub ſpecie verecundiæ & dilectionis. Vnde ſuper illud Cantic. 1. *Memores vberum tuorum*, dicit Bernardus. *Quidam quodam ſimulatô verecundiæ fucô, conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas alta præmitti ſuſpiria; ſicque cum quadam grauitate & tarditate, vultu modeſtô, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantô perſuaſibiliorem, quantô creditur ab ijs, qui audiunt, corde inuitô, & magis dolentis affectu, quàm malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum ſatis, & numquam potui de hac re corrigere eum; per me numquam innotuiſſet; At quoniam per alterum patefacta res eſt, veritatem negare non poſſum; dolens dico, reuerà ita eſt;* Et *addit. Grande damnum eſt; nam aliàs quidem in pluribus valet; cæterum in hac parte, vt verum fatear, minimè excuſari poteſt.* De talibus dicit Eccleſiaſt. cap. 10. *Si mordeat Serpens in ſilentio, nihil eô minùs habet qui occultè detrahit.* Aliquando autem patientes videntur Simulatores prædicti, eô quod non ſtatim lædunt, vel vindicant iniurias, quas reputant ſibi factas; expectantes, ſcilicet & differentes vindictam, donec retribuere poſſint. Vnde Gregorius in Homil. *Qui ſic mala Proximi portat, vt tamen tactus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat; patientiam non exhibet, ſed oſtendit.* Et infrà. *Sciendum verò eſt, quod plærumque ideo patientes videmur, quia retribuere mala non poſſumus; ſed qui idcirco mala non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubiô, vt prædiximus, patiens non eſt; quia patientia non in oſtenſion quæritur, ſed in corde.* Tales Simulationes propriæ ſunt Hypocri-

tarum, qui habent sapientiam huius mundi, vt ostensum est suprà dist. 3. §. *Nec mirandum.* Vnde super illud Iob 12. *Deridetur Iusti simplicitas*, dicit Gregorius lib. 10. Moral. *Sapientia huius mundi sibi obsequentibus præcepit; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare.* Prouerb. 12. *Qui dissimulat iniuriam, callidus est.*

§. Sed fortè obijcient Pseudò Impatientes, & omnia facta sua more suò iustificare volentes, & dicent. Etsi nos plærumque Aduersarios nostros, eorum insolentias compescendo, persequimur; non tamen propter hoc Impatientes sumus; quoniam hoc, non ex ira, vel odio facimus, sed ex charitate; videlicet, vt vel sic corrigantur à peccatis, quæ nobis iniustè, & fortè etiam per errorem nocendo committunt. Non enim ad bonum exemplum, vel ad bonam prædicationem tantum; verùm etiam ad correctionem tenemur. Vnde Cantic. 2. super illud, *Capite nobis Vulpeculas parvulas*, dicit Gloss. *Non sufficit vitam nostram alijs in exemplum ponere, & bonam prædicationem facere; nisi & errantes corrigamus.* Item. Ob hoc aliquando Aduersarios nostros misericorditer persequimur; ne in nos ampliùs sæviendo, ampliùs peccent; & ex hoc per consequentiam nos eos nimiùm tolerando peccemus; & sic eos ex charitate persequimur. Malos autem persequi ex charitate non est malum, sed bonum, vt patet in Angelis. Vnde Dionysius in lib. *De Diuinis Nominibus* cap. 4. *Nec ideo malum in Angelis est, quia puniunt delinquentes.*

§. Ad quod dicendùm est, quod Hypocritæ ad excusandum peccata sua seipsos rationabiliter adhortari videntur; quod enim ex ira, vel odio faciunt, se facere ex charitate dicunt. Vnde super illud Iob 39. *Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus*, dicit Gregorius lib. 30. Moral. *Irâ deiectum cor, quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit. Quæ ergo te aguntur, æquanimiter ferri non possunt; Immò hoc patienter tolerare peccatum est; quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura iniuria cumulatur.* Dicimus tamen, quod Sancti persequi possunt Malos; non causâ nocendi; sed causâ emendandi. Vnde Augustinus Ad Vincentium Donatistam. *Sæpe Mali persecuti sunt Bonos, & Boni Malos. Illi nocendo per Iniustitiam; Isti consulendo per doctrinam; Illi*

immaniter, Isti temperanter; Illi seruientes cupiditati, Isti charitati. Et infrà. *In his omnibus, quid attenditur; nisi quis eorum pro veritate, quis eorum pro iniquitate; quis nocendi causâ, quis emendandi?* 23. q. 4. cap. *Nimiùm sunt inquieti.* Patet igitur, quod Sancti persequi possunt Malos; non ex odio, videlicet non vlciscendo propriam & priuatam iniuriam; sed ex charitate, videlicet, ne ipsi Mali vtilitatem impediant alienam.

§. Sed quomodò poterit cognosci, vtrum procedat persecutio ex odio, an ex charitate.

§. Respondeo. Si nos soli persequimur aliquem tamquam Malum, quem alij reputant Bonum; & soli sentiamus Aduersarium, qui alijs non aduersatur; tunc verisimile est, quod eum non ex charitate, sed ex odio persequimur. Vnde super illud Iob 31. *Si gauisus sum in ruina eius, qui me oderat*, dicit Gregorius in lib. 12. Moral. *Valde necessarium est subtilissimæ discretionis examen; ne cum odia nostra exquirimus, sub specie vtilitatis alienæ fallamur.* Et infrà. *Si quis autem aliis Bonus est, sine nostra forsitan culpa esse non potest nobis Malus; nec omninò de eius ruina, gaudendum est, cuius nos solos certum est aduersa tolerare.* Item, licet debeamus congaudere Diuinæ Iustitiæ, quando percutit Malum; non tamen debemus nos illi Aduersarios constituere, nec persecutionem ei ab alijs procurare; sed potiùs eius miseriæ condolere. Vnde paulò post dicit Gregorius. *Cum peruersum quemque Omnipotens percutit, & condolendum est miseriæ Pereuntis; & congaudendum Iustitiæ Iudicis; quatenùs, nec Pereunti homini existamus Aduersarij; nec Iudicanti Deo inueniamur Ingrati.* Item. Si immanis est persecutio; certum est, quod non ex charitate procedit; quia, sicut dicit Augustinus in authoritate prædicta. *Mali persequuntur immaniter; Sancti verò temperanter.* De hoc Seneca in lib. *De Clementia* Ad Neronem. *Propè est vt iniquè puniat, qui nimis punit.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) suas iniurias vlciscendo persecutores suos, vel quos persecutores existimant, è contrario persequuntur; præsertim, si hominem ab alijs dilectum & approbatum (eô quod voluntati eorum contraria dicat, vel faciat) inimicum suum reputando, & seipsos Aduersarios faciendo, ex more personaliter persequantur, & ei pœnas immanes & immoderatas procurent; & præcipuè, si non per Iudicium, sed

Digitized by Google

per potentiam Iudicum hoc facere dignoſcantur; videtur, quod non ex charitate ad correctionem; ſed ex odio ad vindictam, illum perſequantur; & ſic impatientes; & ob hoc non ſpirituales, ſed carnales eſſe videntur. Et ideo non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Vigeſimumoctauum Signum poteſt eſſe, Quod veri Apoſtoli non odiunt Criminatores ſuos, nec lædunt, nec diffamant (licet ſciant ſe à criminibus illis immunes, & ſuos Criminatores de illis eſſe culpabiles) Immò potiùs patienter audiunt, ſi per prædicationem ſuam illos corrigere non poſſunt. Vn-Gregorius in lib. 23. Moral. *Sancti Viri patienter audiunt, etiam quæ ſe numquam feciſſe meminerunt, quamuis ea mala, quæ ſibi ingeri conſpiciunt, ab ipſis ſuis Criminatoribus nouerint perpetrata; & cum eos prædicando corrigere non poſſunt, patiendo tolerant.*

§. Pſeudo verò Hypocritæ illos, qui eos corrigunt, vel eorum ſimulationes generaliter prædicando detegunt, ac ſi eſſent eorum Criminatores, odiunt & lædunt; & ad maiorem cumulum tribulationis, quos ſemel oderunt, ſemper poſteà per totum Mundum diffamare ſatagunt. Vnde ſuper illud Ieremiæ 23. *A Prophetis Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram*, dicit Gloſſa de illis falſis Prophetis, Id eſt falſis Prædicatoribus. *Non ſufficit eis Proximos lædere; ſed quos ſemel oderunt, conantur per totum orbem diffamare.* Ecce cumulus tribulationis; Nam ſuper illud Apocalyp. 2. *Blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt*, dicit Gloſſa. *Cumulus miſeriæ eſt tribulatis, ſi infamentur.* Sed certè bonus Miles Chriſti propter eorum diffamationes non debet omittere, quod benè cœpit; Nam, ſicut dicit Hieronymus Ad Nepotianum. *Per bonam & malam famam Chriſti Miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur.* 2. Corinth. 6. *Per infamiam, & bonam famam.* Gloſſ. *Exhibeamus nos Dei Miniſtros.* Quaſi diceret. *Non omittamus propter aliquorum diffamationem, quin Dei Miniſterium faciamus.*

§. Sicut autem Pſeudo, quos odiunt, lædunt (quia eos depauperant & diffamant) ſic è contrario fautores ſuos, quos diligunt, ditari procurant, & ſe illos ditaſſe ad decipiendum alios oſtentant; Ad inſtar Antichriſti capitis eorum, qui ſimilia facturus eſt. Vnde ſuper illud Pſal. 9. *Sedet in inſidijs cum Diuitibus*, dicit Gloſſa de Antichriſto. *Quod ſuos ditabit, & muneri-*

bus cumulabit, quorum falsam fœlicitatem ad alios decipiendos ostentabit. Patet igitur, quod Pseudo-Prædicatores illos odiunt, & lædunt, & diffamant, quos Criminatores suspicantur, vel aliter Inimicos.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) ex more per effectum ostendant se odire proximos, quos Criminatores suos suspicantur (eos scilicet modis quibus possunt lædendo; nec non tam in prædicationibus, quàm in alijs colloquijs suis per totum orbem diffamando) videntur esse falsi Prohetæ, Id est falsi Prædicatores. Et ideo non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Vigesimumnonum Signum potest esse, Quod veri Apostoli, si fortè tententur, seu examinentur, vtrùm sint veri, vel falsi; non per potentiam se defendunt, sed per humilitatem & Scripturarum authoritatem; exemplo Magistri sui Christi, qui cum tentaretur à Diabolo, vtrùm esset filius Dei Matt. 4. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*; non potentiâ se defendit, cum posset; sed humilitate & Scripturarum authoritate dicens. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Deuter. 4. Vnde Glossa ibidem super Matth. *Non vtitur potestate, sed Scripturarum authoritate; docens, magis doctrinâ, quàm Miraculis pugnare.* Item alia Gloss. *Sententijs vtitur, instruens nos vt vincamus, non potentiâ, sed humilitate.* Pseudo verò Apostoli, quando examinantur, vtrùm sint veri Apostoli, vel Pseudo (quod secundùm Scripturas faciendum est, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Constat autem*) non patienter sustinent; sed potiùs indignantur, & per potentiam Maiorum sibi adeptam resistunt; & vt suos examinatores (siue illos, qui procurant, vel prædicant illos debere examinari) per potestates huius mundi fortiùs persequi valeant, simul se iungunt; vt magis possit credi eis coniunctis vnanimiter, quàm diuisis. Huius rei exemplum habemus *Apocalyps.* 2. vbi, cum Episcopus Ephesinus probaret quosdam Pseudo-Apostolos, vtrùm essent veri Apostoli, multa mala intulerunt ei per terrenas potestates, quorum familiaritatem habebant; & ad magis nocendùm, se in vnum coniungebant, vt ostensum est suprà dist. 1. *In principio.* Ideo etiam ad defensionem Superstitionis suæ inuicem se coniungunt, vt quod ratione non possunt, saltem multitudine conuincere videantur; secundùm quod legitur de Pha-

Digitized by Google

risæis *Matth.* 22. super illud. *Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Iesus Saducæis, conuenerunt in vnum.* Glossa. *Vt conuincerent multitudine, quod non potuissent ratione.* Ex quo patet, quod à veritate nudi sunt; Nam, sicut dicit Ioannes Episcopus *In Homilia* super verbo *Matthæi* prædicto. *A veritate se esse nudos professi sunt, qui se multitudine armauerunt.* Quoniam autem coniuncti sunt ad defensionem Superstitionis suæ, ideo incorrigibiles sunt. Vnde super illud Iob 41. *Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur*, dicit Gregorius in lib. 33. Moral. *Qui diuisi corrigi poterant, iniquitatum suarum pertinaciâ vniti perdurant.* Et infrà. *Peruersos quippe vnitas roborat, dum concordat; & tantò magis incorrigibiles, quantò vnanimes facit.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) ex more sustinere non possunt; sed indignantur, si examinando requiratur, in qua potestate velint prędicationis officium exercere, vel fidelium confessiones audire, vel indulgentias & remissiones facere; illos etiam qui procurant, & prædicant eos examinari debere, vtrùm sint veri Apostoli, vel Pseudo, grauiter persequuntur; & ad persequendum vnanimiter se coniungunt; non videntur esse veri Apostoli; sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Trigesimum Signum potest esse, Quod veri Apostoli, si corripiantur, patienter sustinent correctionem; si verò corripiant, modestè corripiunt; iuxta doctrinam Apostoli 2. Timoth. 2. dicentis. *Seruum Domini oportet esse patientem, cum modestia corripientem.* Cum enim sapientes sint & disciplinati, non murmurant correcti; iuxta illud Ecclesiast. 10. *Vir prudens & disciplinatus, non murmurabit correctus.* Vnde Petrus liberè, & coram alijs Discipulis correctus à Paulo dicente Galat. 2. *Si tu Iudæus cum sis, Gentiliter & non Iudaicè viuis; quomodo cogis Gentes Iudaizare?* non tamen murmurauit contra Paulum; sed eius correctionem cum humilitate recepit. Vnde Glossa ibi. *Firmitas & charitas Petri, cui ter dictum est* PASCE OVES MEAS, *obiurgationem posterioris Pastoris, propter salutem gregis libenter sustinuit; valebatque hoc ad magnum humilitatis exemplum; vt in eo, qui primus est, discant alij mites esse & humiles.* Item Franciscus *in Regula sua* cap. 10. *Fratres super omnia debent dili-*

Digitized by Google

gere illos, qui eos reprehendunt & arguunt.

§. Pseudo verò præsumptuosi Hypocritæ, etsi sint in inferiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cui non competit corrigere superiorem, sed magis ab illo recipere correctionem (vt sunt Monachi, seu Regulares Viri) nihilominùs tamen, quasi de sua iustitia, vel de sua scientia præsumentes; non solùm coordinatos sibi Monachos, vel Laïcos: verùm etiam superiores suos (scilicet Episcopos, Presbyteros, & alios Ecclesiarum Prælatos, qui sunt de superiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ) corrigere, aut austerè arguere contra ordinationem eiusdem Hierarchiæ præsumunt; ad instar Demophili superstitiosi Monachi similia facientis; contra quem scribit Dionysius Epistolam, in qua inter cætera ita dicit. *Nunc igitur audi nostra, Demophile. Non est fas Sacerdotem à coordinatis tibi Monachis corrigi; quamuis ipse agere contra diuina videatur; etsi aliud aliquid prohibitorum feciſſe arguatur.* Et infrà. *Non est fas, sicut sancta eloquia dicunt, ea quæ sunt iusta, non secundùm dignitatem exequi* Et infrà. *Quid? dicis. Non oportet Sacerdotes impiè agentes, aut de aliquo inconuenientium reprehensos castigari? Solùm autem gloriantibus in Lege licebit per transgressionem Legis Deum inhonorare? Quomodò illuminabunt, qui sunt obtenebrati?* Et infrà. *Ego autem respondebo tibi ad hoc. Si Sacerdotum ornatus est illuminatiuus; perfectè cecidit à Sacerdotali Ordine* (supple *quoad meritum*) *qui non est illuminatiuus; & magis qui non est illuminatus; & audax mihi videtur talis, qui Sacerdotalibus manum apponens, non timet, neque verecundatur diuina præter dignitatem exequens; & putans Deum ignorare, quod ipse in seipso cognouit; & decipere existimat falsò nomine ab ipso Patrem appellatum; & audet immundas ipsius blasphemias (non enim dicam orationes) super diuina signa Christiformiter enuntiare. Non est iste Sacerdos, non est; sed inimicus, dolosus, delusor suiipsius, & lupus super diuinum populum ouinâ pelle armatus. Sed non Demophilo est fas ista castigare. Si enim Theologia iustè iusta præcipit exequi; iustè autem exequi est, quando distribuere velit aliquis vnicuique secundùm dignitatem; Iustè hoc est omnibus exequendum, non præter ipsorum dignitatem, aut ordinem.* Et infrà. *Igitur, qui sunt ordinati à Deo, vt alijs principentur, distribuunt sequentibus & obedientibus, ea, quæ sunt secundùm dignitatem.* Id est. *Illi, qui sunt de superiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, debent inferiores ordinare & corrigere,*

secundùm

ſecundùm quod ſuæ competit dignitati. Et infrà. *Et ſi aliquis de Maioribus à conueniente deficiat, à Coordinatis*, id eſt æquè potentibus *Sanctis corrigetur; & non peruertetur ordo ſuper ordinem; ſed vnuſquiſque in ordine ſuo, & in miniſtratione ſua erit.* Sic ergo patet, qualiter Pſeudo Præſumptuoſi & Hypocritæ, præſumptuosè audeant contra ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, arguere etiam ſuperiores ſub prætextu Religionis; vel ſimulatâ ſpecie ſanctitatis; contra illud 1. Timoth. 4. *Seniorem ne increpaueris; ſed obſecra vt Patrem.* Item Bernardus in Serm. 11. *ſuper Cantica* loquens ad Monachos ſuos ait. *Fratres, veneremur Epiſcopos; ſed vereamur labores eorum.* Et infra. *Temerariè obiurgas virum de prælio reuertentem, in domo manens mulier.* Et infrà. *Si is, qui in claustro eſt, eum qui verſatur in populo, interdum minùs diſcretè, minuſue circumſpectè eſſe agere comprehendit (verbi gratiâ, in verbo, in cibo, in ſomno, in potu, in riſu, in iudicio) non ad iudicandum ſtatim proſiliat; ſed meminerit ſcriptum eſſe.* MELIOR EST INIQVITAS VIRI, QVAM MVLIER BENE FACIENS. Ecce quàm indignè agunt Pſeudo ſupradicti, arguendo Prælatos Eccleſiæ, quos deberent reueri & venerari. Talibus aliorum reprehenſoribus dicendum eſſet illud Apoſtoli 2. Corinth. 5. dicentis. *Auferte malum à vobis ipſis.*

§. Verumtamen ipſi correctionem Prælatorum Eccleſiæ (nedum etiam aliorum) non æquanimiter ferunt; ſed ad ſuam excuſationem (ſe peiores melioribus comparando) illos eſſe deteriores prætendunt; iuxta illud Eccleſiaſt. 32. *Peccator homo vitabit correctionem, & ſecundum ſuam voluntatem inueniet compaſsionem.* Et non ſolùm correctionem non ſuſtinent, ſed etiam corripientes ſe odiunt & diffamant; quia tales volunt ab omnibus æſtimari, quales ab imperitis hominibus æſtimantur. Vnde ſuper illud Iob 8. *Numquid poteſt carectum creſcere ſine aqua?* dicit Gregorius in lib. 8. Moral. *Acutis angulis ſurgens carectum manu non carpitur; quia exaſperatis per arrogantiam ſenſibus, de prauitate ſua Hypocrita corrigi dedignatur.* Et infrà. *Si hunc quiſque corripere audeat, aſperitate ſuâ protinùs vitam corripientis ſecat; ſanctus quippe non eſſe appetit, ſed vocari.* Et infrà. *Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æſtimari; & paratior eſt mori, quàm corripi.* Habent enim Hypocritæ conſcientiam intrinſecùs vulneratam; nec poſſunt pati, quod eorum vulnus tangatur (quaſi habeant morbum, qui appellatur *Noli me tangere*) nec

quod etiam detegatur; ne per hoc eorum gloria, quam summè desiderant, maculetur. Vnde Gregorius lib. 10. Moral. loquens contra illos, qui quærunt apparentiam solùm; Id est contra Hypocritas dicit. *Imperita mens vocem correctionis ferre non valet quia tacta in vulnere sui reatus dolet.* Et infrà. *Recti correctionis adiutorium, vitæ suæ patrocinium deputant; Peruersi verò, cum se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussionis credunt; quia dum per correctionis vocem culpa detegitur, præsentis gloriæ opinio fœdatur.* Item Gregorius lib. 33. Moral. *Hypocritæ nullô correptionis iaculô se penetrari permittunt; sed in omni peccato, quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Nam, cum quisque talium arguitur, de reatu suæ iniquitatis non mox cogitat, quomodò culpam corrigat: sed quid in adiutorium suæ defensionis opponat.* Item in eod. *Hypocritæ tantô vehementiùs culpas suas confiteri refugiunt; quantô & stultius videri peccatores erubescunt.* Ex hac autem erubescentia suæ correptionis fiunt Hypocritæ deteriores, vt suos Correctores arguant, quasi sint eis peiores. Vnde in lib. 10. *Moralium* dicit Gregorius. *Plærumque fit, vt cum Mali correcta in se mala defendere nequeunt, ex verecundia peiores fiunt; ac si in sua defensione superbiant, vt quædam vitia contra vitam corripientis exquirant.* Per hoc autem quod correctionem non sustinent, sed corripientes odiunt; se esse homines pestilentes & peccatores manifestè ostendunt; quia, vt dicitur Prouerb. 15. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Ecclesiast. 21. *Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris.* Per hoc etiam ostendunt se esse insipientes, licet simulent se esse præalijs sapientes. Nam legitur Prouerb. 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, & diliget te.* Per hoc etiam ostendunt se esse carnales, licet simulent se esse spirituales. Vnde super illud Gal. 4. *Ergo ego inimicus factus sum vobis, verum dicens?* Gloss. *Nemo carnalis vult argui se errantem.* Per hoc etiam, quod peruersa volunt agere, & tamen nolunt corripi, patet quod plùs volunt se diligi, quàm veritatem. Nam, sicut dicit Gregorius in Pastorali. *Qui peruersa vult agere, & ad ea cæteros vult tacere; Ipse sibi testis est, quod se plùs veritate vult diligi, quam contra se non vult defendi.* Cum igitur Deus sit veritas, *Ioan.* 14. Restat quod sint de amantibus seipsos plusquàm Deum. De quibus dicit Apostolus 2. Timoth. 3. *Et erunt homines seipsos amantes,* Gloss. *Plusquàm Deum* Et de eisdem dicit

paulò antè, quod per eos *instabunt tempora periculosa*. Item per hoc quod non patiuntur se argui, videtur quod non sint veri, sed ficti Christiani; cum nolint humiliationem correctionis pati. Nam super illud Cor. 12. *Nemo potest dicere* DOMINVS IESVS, *nisi in Spiritu Sancto*, dicit Glos. *Humiliari debent Christiani, vt patiantur se argui; non quærant adulationibus deliniri.* Item ex eo quod Prælatos, & alios Maiores, & Dominos, audaciter & irreuerenter arguunt; manifestè patet, quod dominationem contemnunt. Ex eo verò, quod correctionem non sustinent; verè ostendunt, quod sibi placent. Hoc est, quod dicit B. Petrus loquens de Pseudo 2. Petri 2. *Dominationem*, inquit, *contemnunt, audaces, sibi placentes.* Item ex eo quod Prælatos Ecclesiæ, vt prædictum est, immoderatè & irreuerenter arguunt; eorum autem argutionem non sustinent (per quod satis patet, quod eos non honorant, nec timent) manifestè insinuant, quod Deum nec timent, nec amant. Nam super illud Ecclesiastici 7. *In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit; & Ministros eius ne derelinquas*, dicit Glos. *Timorem Dei & amorem se habere ostendit, qui honorat & timet Ministros eius.* Qui ergo Ministros Dei, id est Prælatos Ecclesiæ, modô prædictô non timet, nec honorat; se nec Deum timere, nec eum amare demonstrat.

§. Si qui ergo Prædicatores, existentes de inferiori ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ (vtpotè Regulares Viri, qui Græcè *Monachi* appellantur, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Sed datô*) non solùm alios Monachos, vel Laïcos; verùm etiam Ecclesiarum Prælatos, ex more præsumant, immodestè, vel irreuerenarguere; videntur sibi superiorem ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, superbè, ac contra diuina eloquia vsurpare. Si autem non patiantur se argui; videntur esse homines seipsos amantes, & Hypocritæ, & pestilentes, & carnales, dominationem contemnentes, & sibi placentes; & non veri, sed ficti Christiani. Per hoc etiam, quod Ministros Dei, Id est Prælatos Ecclesiæ, in huiusmodi correctionibus, vt dictum est, nec timent, nec honorant; manifestè ostendunt, quod Deum nec timent, nec amant. Et ideò non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Trigesimumprimum Signum potest esse, Quod veri Apostoli, benè sibi conscij (vtpotè *Quorum gloria est testimonium conscientiæ suæ* 2. Corinth 1.) illa, quæ contra Peruersos dicuntur, contra se dici specialiter minimè suspicantur. Pseudo verò

Hypocritæ, & Peruersi, ac malè sibi conscij, mala quæ in se sentiunt (licet generaliter contra Peruersos dicantur) suspicantur specialiter de se dici. Vnde super illud Iob 11. *Numquid qui multa loquitur, non & ipse exaudietur*, dicit Gregorius in lib. 10. Moral. *Cum vera vox Prauorum auribus se admouet, memoriam culpa mordet; & per hoc, quod generaliter contra Peruersos dicitur, se impeti specialiter suspicatur; quod enim intùs egisse meminit, audire foris erubescit.* Qui autem illud crimen, quod contra Peruersos generaliter dicitur contra se dici specialiter suspicatur; procul dubiô se de illo esse culpabilem testificatur. Vnde Hieronymus Ad Nepotianum. *Neminem læsi; nullum de mea scriptura nomen designatum est; neminem sermo meus specialiter pulsauit; generalis disputio de vitijs est, sed qui mihi ex hoc irasci voluerit, priùs ipse se confitebitur, quod talis est.* Item Hieronymus Ad Rusticum Monachum. *Scio me offensurum esse quamplurimos, qui generalem de vitijs disputationem in suam referunt contumeliam; & dum mihi irascuntur, suam indicant conscientiam; multoque peiùs de se, quàm de me iudicant.* Huius exemplum apertum habemus *Luc.* 11. vbi, cum Dominus generaliter prædicaret contra Pharisæos Hypocritas, neminem nominando dicens. *Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, &c.*; quidam Pharisæus Hypocrita ex mala conscientia, quam gerebat, exclamauit dicens. *Magister, hæc dicendo, etiam contumeliam nobis facis.* Glos. *Audito verbô Domini, Pharisæus contumeliam sibi fieri putat; quia memoratâ pœnâ Reproborum, intelligit se damnandum.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) illa, quæ de Hypocritis, Pseudo-Prædicatoribus, & Penetrantibus domos, & de Otiosis, Curiosis, & Gyrouagis in prædicationibus, vel alibi generaliter (nullam Personam, nullum statum Ordinis per Romanam Ecclesiam approbatum, specialiter nominando) dicuntur; contra se specialiter dicta, ex more suspicentur, & asserant; & ideo ea ferre non possint; sed contra illa, quasi ad suam defensionem se præparent, & eorum Prædicatores impugnent; videntur esse tales, quales suprà dictum est. Et ideo non videntur esse veri Apostoli; sed potius suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

9. Trigesimumsecundum Signum potest esse, Quod veri

Prædicatores (præcipuè perfectionis statum publicè profitentes) magis eligunt manifestas violentias accipere, vel occultas iniurias pati; quàm per eas aduersùs inferentes, in iudicio litigare: scientes, vel scire debentes, quod Viris Perfectis peccatum est, etiam in iudicio litigare. Vnde 1. Corinth. 6. dicit Apostolus. *Iam quidem omnino delictum est in vobis; quia Iudicia habetis inter vos.* Glos. *Ex hoc apparet, quod peccatum est habere iudicium contra aliquem.* Supple *Viris Perfectis.* Vnde infrà dicit Glos. *Perfectis licet sua repetere simpliciter (scilicet, sine causa, sine lite, sine iudicio) sed non conuenit eis inde mouere causam ante Iudicem. Infirmis verò licet sua repetere mouendo causam ante Iudicem: sed non contentiosè, vel fraudulenter, nec apud infideles Iudices.* Vnde Versus.

Expedit Infirmis, licet absque dolo; sine lite
Prælatis licet hoc; non expedit Anachoritæ.
Non licet, vt per eum sint res in Iure petitæ.

Item paulò ante dicit Glos. *Sed ne excuses, quod iustè hoc agas; quia pateris iniuriam, quam iudicij sententiâ vis à te remoueri;* occurrit *Apostolus, & ait.* QVARE NON MAGIS INIVRIAM ACCIPITIS? Glos. *Id est, manifestam violentiam.* QVARE NON MAGIS FRAVDEM PATIMINI? Glos. *Id est occultam iniuriam.* Quasi diceret. *Mirum est, quod hoc potiùs non facitis.* Etsi enim infrà eodem capite dicat Apostolus. *Omnia mihi licent.* Glos. *Id est. Omnia mea licet mihi repetere;* tamen continuò subiunxit.. *Sed non omnia expediunt.* Glos. *Tamen non repetam; quia non expediunt ad cursum meum, sed impediunt.* Et infrà. *Omnia mihi licent.* Glos. *Id est, licita sunt repeti.* SED EGO *sub nullius redigar potestate.* Glos. *Sed ego tamen non repetam; quia, cùm sim liber, nolo redigi sub dominio alicuius rei, vt causâ eius Fratrem offendam.* Item super eodem verbo dicit Gregorius. *Cum mens concepta desideria sequitur, rebus seruire conuincitur, quarum amore superatur.* Et habetur 14. q. 1. §. 1. Ideo Magister cœlestis sic docet Discipulos suos, præcipuè Prædicatores, quos mittit ad sanandum spirituales ægrotos dicens Matth. 5. *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Glos. *Ita docet verus Medicus, quos ad salutem ægrotorum dirigit, mansuetè tolerare, quod illi intulerint ex infirmitate.* Super hunc locum dicit Chrysostomus. *Omne iudicium irritatio cordis est; si semel in iudicium ingressus fueris, iam non*

cogitas vt veritas, causæ appareat; sed vt quocumque modò victor existas. Item Chrysostomus. *Difficile est rem dimittere; sed difficilius est de iudicio sine peccato exire.* Ideo super illud Iob 31. *Si leuaui super Pupillum manum meam*, dicit Gregorius lib 21. Moral. *Sancti vt inueniri iusti in diuino examine valeant, plærumque apud humana iudicia se iniustè grauari patiuntur.* Item Luc. 6. *Ab eo, qui aufert tibi vestimentum, & tunicam noli prohibere.* Glos. *Quod de vestimento & tunica dicitur, etiam de alijs faciendum est, quæ aliquò iure temporali nostra esse dicimus. Si enim de necessarijs hoc imperatur; multò magis superflua contemnere præcipimur.*

§. Sed fortè dicet aliquis, quod licet Viri perfectionis statum profitentes litigare non debeant pro rebus proprijs (cum non habeant propria, vel habere non debeant) pro rebus tamen Ecclesiasticis & communibus (quæ sunt res Pauperum) litigare, & in iudicio stare possunt; quia tunc non stant sibi, sed Pauperibus, quorum necessitatibus profutura requirunt. Et hoc videtur dicere Gratianus 14. q. 1. §. *Quia ergo*, circa finem.

§. Ad quod dicimus, quod huic responsioni non resistimus, quoniam ab Ecclesia Romana Matre & Magistra nostra hoc tolerari videmus; sed quod priuatis iniurijs, aut pro rebus statui suo secundùm Deum non necessarijs, siue in iudicio, siue extra iudicium litigare non debeant (præsertim in scandalum proximorum) confidenter asserimus rationibus supradictis; quia si contrarium faciant, à vera perfectione declinant, & multos bonos homines (quantùm in eis est) scandalizant; præsertim, cum dicat Apostolus 1. Corinth. 11. *Si quis videtur inter vos contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) præcipuè Regulares, & perfectionis statum publicè profitentes, ac se spirituales Medicos ad salutem Ægrotorum à vero Medico directos asserentes; non solùm pro iniurijs, quas sibi factas existimant, verùm etiam pro rebus temporalibus ad suam, vel ad sui status necessitatem non pertinentibus (vtpotè pro Cathedra temporalis honoris, aut pro societate, seu consortio sæcularis multitudinis, aut pro regimine alienæ plebis) homines eis talia denegantes (quamuis aliter sint eorum benefactores) ex more ta-

Digitized by Google

men in iudicio conueniant, & contra ipsos diutiùs altercando cum multis laboribus & expensis in graue ipsorum & aliorum plurimorum scandalum litigiosè contendant; nec non eorum Defensoribus per potentiores, quibus resisti non potest, pœnas graues & immoderatas inferant, vel inferri faciant; quoniam pro rebus, quantùm ad eorum statum, superfluis, contra suam professionem & charitatis officium ineptè litigant (cum etiam pro necessarijs prædictô modô litigare contra malefactores suos non debeant) quod à perfectione longè distant, manifestè demonstrant; iuxta verbum Gregorij in lib. 20. *Moralium* sic dicentis. *Qui æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi testis est, quod ab omni plenitudine longè distat.* Et ideo tales Prædicatores non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Trigesimumtertium Signum potest esse, Quod veri Apostoli (cum charitatem habeant) verba veritatis amant, & eis congaudent, iuxta illud 1. Corinth. 13. *Charitas congaudet veritati.* Glossa. *Id est, verbis veritatis.* E contrario verò Pseudo nulli sibi asperæ veritati congaudent, sed aduersùs eam, ad instar canis, ex consuetudine irrationabiliter latrant, & mordent. Vnde super illud Philipp. 3. *Videte canes*, dicit Glossa. *Bene canibus illos comparat; quia sicut canes consuetudinem magis, quàm rationem sequuntur; ita Pseudo-Apostoli consuetudinis legem tenent, & contra veritatem irrationabiliter latrant, & mordent.* Nam, sicut dicit Gregorius in lib. 10. Moral. *Imperita mens veritatis sententias grauiter tolerat; atque omne, quod rectum dicitur, dedecus suæ irrisionis arbitratur.* Et infrà. *In redargutione vitiorum, quô intùs cognitione mens tangitur, ad contradictionis studium excitatur.* Cum tamen dicat Ecclesiasticus cap. 4. *Non contradicas verbo veritatis vllô modô.* Quoniam igitur veritatem sibi asperam sustinere non possunt; idcirco, si qua talis veritas alicui minori fortè per Spiritum Sanctum reuelata extiterit; vel eam fortè ex verbis Prophetarum, illos explanando, collegerit; derident illum, atque despiciunt; nec non per minas & terrores, ac per Maiorum potentiam procurant, vt illa veritas taceatur; vt impleatur in eis Prophetia Dauidis Psal. 11. dicentis. *Quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* In quo manifestè faciunt contra præceptum Apostoli 1. Thess. 5. dicentis. *Spiritum nolite extinguere.* Gloss.

Digitized by Google

Si cui Spiritus Sanctus quid ad horam reuelat, nolite prohibere loqui quod sentit; quia Deus, qui os Asinæ aperuit, reuelat sæpe minori quod melius est. Sequitur. *Et Prophetas nolite spernere.* Gloss. *Id est. Si quis Prophetarum dicta explanat, & ad ædificationem præparat; nolite eum despicere, neque contemnere.* SI ENIM *Magnus Dominus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Eccles. 39. Tales videntur esse quidam moderni, qui veritati Apostolicæ de Pseudo-Prædicatoribus, & Penetrantibus domos, & Otiosis, & Curiosis, & Gyrouagis; & veritati Euangelicæ de Pharisęis Hypocritis euitandis non solum contradicunt; sed etiam, ne prędicetur, omni modò impediunt, & per potestates (quibus resisti non potest) eam tamquam nociuam, vel saltem inutilem taceri compellunt, vt dictum est suprà in Prologo §. *Sed forte*; Cum tamen è contrario dicat Apostolus 2. Timoth. 3. quod *Omnis Scriptura diuinitùs inspirata : utilis est ad docendum, & arguendum, & corripiendum.* Per quod satis manifestè ostendunt, quod ipsi sint veritatis Aduersarij, *Quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi.* Philipp. 2. Et vt magis possint resistere veritati, inuicem se coniungunt; vt saltem conuincant multitudine, quod non possunt conuincere ratione, vt ostensum est suprà 29. Signò. Per quod manifestè profitentur esse se nudos à veritate, vt ostensum est suprà ibidem. Quoniam igitur veritatem sibi displicentem sustinere non possunt, sed magis errores sibi placentes prædicari volunt; ideo de talibus potest intelligi, quod dicitur Isaiæ 30. *Qui dicunt videntibus, Nolite videre; & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia; Videte nobis errores.* In talibus Pseudo impletur Prophetia Apostoli 2. Timoth. 4. dicentis. *Secundùm desideria sua coacernabunt sibi Magistros.* Gloss. *Multos; qui ea doceant, quæ libenter audiant, quia veritas eis aspera videbitur*, vt dictum est suprà in Prologo §. *Fideles igitur Serui Christi.* Nec mirandum de Pseudo, si odiant veritatem; quoniam ipsi, cum sint Hypocritæ, summè amant vanam laudem; connexa sunt enim, sibi ad inuicem amor vanę laudis, & odium veritatis. Vnde super illud Matth. 23. *Pleni estis hypocrisi & immunditiâ*, dicit Gloss. *Id est, amore vanæ laudis, & odiò veritatis.*

Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) verba veritatis, eò quod eis aspera videantur,

videantur, non ament; ſed ex more aduersùs eam per Sophiſticas rationes, vel per extortas Scripturæ authoritates oblatrent; ac eius Prædicatores diffamando, & omnimodè perſequendo mordere, nec-non ipſam eorum prædicationem per Maiorum potentiam prohibere non ceſſent; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Trigeſimumquartum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli, nolentibus eos recipere ad hoſpitandum, vel cohabitandum, vel ad prædicandum, nullam violentiam inferunt, nec ob hoc in Iudicium eos trahunt; ſed ab illis, abſque illorum moleſtia (ne quid terrenum quærere videantur) patienter recedunt. Ita enim præcepit eis Dominus Matth. 10. dicens. *Quicumque non receperit vos, exeuntes de ciuitate excutite puluerem de pedibus veſtris.* Gloſſa. *Vt oſtendatis appetitum terrenorum non eſſe in veſtris affectibus.* Item Gloſſa ibidem. *Nec ad victum aliquid accipiant, nec terrenum aliquid ab eis quærere ſe oſtendant.* Ex quo videtur, quòd illi Prædicatores, qui ſe ingerunt ad cohortandum, vel prædicandum inuitis, ab iis aliquid terrenum quærere intendant. Huius documenti exemplum manifeſtiſſimum habemus in Domino Luc. 9. vbi dicitur, quòd cùm Samaritani nollent recipere Dominum Ieſum, eô quòd habebat faciem euntis in Ieruſalèm, Diſcipuli eius Iacobus & Ioannes volentes eis facere violentiam (puniendo ſcilicet eos, eô quòd nolebant ipſos recipere) dixerunt. *Domine, vis dicamus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos?* Et conuerſus increpauit illos, & dixit. *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis.* Gloſſa. *Cuius ſpiritu ſignati eſtis; cuius acta imitamini; nunc piè conſulentes, ſed in futuro iuſtè iudicantes.* Quaſi diceret. *Nunc debetis patienter ſuſtinere, non in præſenti punire illos, qui vos nolunt recipere; ſicut ego patienter ſuſtineo in præſenti; quia in futuro ſatis propter hoc punientur.* Patet ergo, quòd veri Apoſtoli Domini doctrinam cum charitate tenentes, non irritantur contra illos, qui nolunt eos recipere. Vnde Gloſſa Interlinearis ibidem. *Perfecta charitas non habet ſtudium æmulationis; nec vlla iracundia eſt, vbi charitas eſt plenitudo.* 1. Corinth. 13. *Charitas non irritatur.* Gloſſa. *Id eſt, non prouocatur ad iram.* Modeſtiam enim & humilitatem debent ſeruare, non ſolùm veri Apoſtoli, verùm etiam

omnes Christiani. Vnde Apostolus ad Titum 5. *Admone illos modestos esse, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Glossa. *Bonos, vel malos; Christianos enim omnibus hominibus humiles vult videri.*

§. Sed fortè Pseudo-Prædicatores, omnia facta sua per simulationem hypocrisis iustificare volentes, respondebunt dicentes. Nos animarum zelô succensi, cùm aliqui suæ salutis negligentes nos recipere renuunt (quoniam per consequentiam verbum Dei, & alia salutis adminicula, quæ per nos continuè ministrantur, repellunt; & sic salutem animarum impediunt) idcircò per Maiores & Potentes eodem zelô succensos, illos ad recipiendum nos, & prædicta salutis adminicula, non ex odio, sed ex charitate compellimus, vt sic saltem veniant ad salutem; iuxta illud Luc. 14. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleant domum meam.*

§. Ad quod dicendum est, quòd licet Dominus quandoque compellat intrare ad eum per aduersitates huius sæculi, secundùm quod exponit Glossa super locum prædictum (quandoque enim per aduersitatum correctionem, de nolentibus volentes facit Deus) tamen omninò nolentes non directè compellit, quia nec meritorium esset eis; sed futuro Iudicio reseruat illos. Vnde nec Samaritanos compellere voluit, sed futuro Iudicio reseruauit, vt ostensum est paulò antè. *Si enim omnia in hoc sæculo vindicata essent, locum Diuina Iudicia non haberent.* 6. q. 1. cap. *Si omnia.* Quod autem dicunt se compellere homines prædictô modô ex charitate, non ex odio, non est verisimile; cùm non sint meliores, vel perfectiores prædictis Apostolis (scilicet Iacobô & Ioanne) de quibus legitur, quòd ad puniendum Samaritanos (qui nolebant eos recipere) non ex charitate, sed ex odio mouebantur. Vnde Augustinus *De sermone Domini in monte*, lib. 1. cap. 37. *Cùm de Elia exemplum dedissent Discipuli, commemorantes quid ab eo factum sit, vt etiam ipsis daret Dominus potestatem de cœlo petendi ignem ad consumendum eos, qui sibi hospitium non præbuerant; reprehendit in eis Dominus, non exemplum Prophetæ Sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus; animaduertens eos non amare correctionem, sed odiô desiderare vindictam.* Et habetur 23. q. 4. cap. *Ea vindicta.*

Digitized by Google

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) nolentes ipsos recipere ex more inquietent, & per humanam potentiam, & contentiones, & lites, seu etiam per Iudicium, sub quocumque prætextu se admitti procurent, etiam cum scandalo plurimorum; nihilominùs etiam ab eis, quos super receptione sua inquietant, victum & alia sibi necessaria importunè & impudenter petant, & per importunitatem quasi tollant; videntur plus quęrere terrena, quàm animarum salutem; & ideò non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Trigesimumquintum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli, Principes, quorum fauorem sunt adepti, non prouocant contra illos, qui eis videntur resistere, vel aduersari, vel eorum famam aliquatenùs offuscare; sed potiùs iram Principum illorum mitigant, si aduersus prædictos fuerint prouocati. Huius rei exemplum habemus manifestissimum in Simone & Iuda veris Apostolis, in quorum *Vita* legitur; Quòd cùm quidam Dux ad eorum prædicationem conuersus, zelô Christianæ Fidei accensus, omnes Pontifices suæ Legis, & alios ipsis Apostolis resistentes vellet igne cremare; Ipsi Apostoli Aduersariis suis compatientes, pro eis apud Ducem misericordiam & indulgentiam implorabant. Vnde legitur *in Vita* dictorum Apostolorum. *Tunc iratus Rex iussit copiosum ignem accendi, vt Pontifices ibi præcipitarentur, & ij omnes, qui Apostolos Christi offuscare nitebantur. Apostoli autem prostrauerunt se ante Ducem, dicentes.* OBSECRAMVS, DOMINE, NE EFFICIAMVR CAVSA INTERITVS EORVM, ET QVI PRO SALVTE HOMINVM MISSI SVMVS, VT VIVIFICAREMVS MORTVOS, VIVENTES OCCIDERE VIDEAMVR.

§. Sed iterum Pseudo-Prædicatores respondębunt dicentes, vt suprà proximô Signô. Nos per Principes Christianos zelô charitatis succensos, illos, qui famam nostram offuscare nituntur, compescimus; nec ex odij fomite ad vindictam, sed ex zelô charitatis ad vtilitatem publicam; videlicet, quoniam nos diffamando animarum salutem impediunt, quæ per nos continuè procuratur.

§. Ad quod dicendum est, quòd illi, qui Beatorum Simonis & Iudæ Apostolorum famam obscurare nitebantur, & sic eis

reſiſtebant, ſalutem animarum procul dubiô impediebant; non tamen propter hoc ipſi Apoſtoli eos ad correctionem accuſarunt; ſed potiùs eis indulgentiam poſtularunt, vt oſtenſum eſt ſuprà eodem Signô. Quod & ipſi facerent, ſi veri Apoſtoli eſſent, & rectam intentionem haberent; præcipuè cùm illorum, quos appellant Aduerſarios, aut Diffamatores ſuos, intentionem ignorent. In eis enim, de quibus dubium eſt, quô animô fiant, *Si aliquis putat ſe in hoc Deo placere, quòd Seruos Dei accuſat, & vt meliores fiant, dicit ſe hoc agere; plùs inuidiæ ſtimulis agitatur, quàm charitatis*, vt legitur 6. q. cap. *Si omnia.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) contra eos, quos Aduerſarios ſuſpicantur, Principes ſibi fauorabiles ad puniendum illos ex more prouocent, vel aliter illos puniri procurent; non ex charitate ad correctionem, ſed magis ex odio ad vindictam moueri videntur. Et ideò non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed potius ſuſpecti haberi poſſunt, ne ſint Pſeudo.

§. Trigeſimum ſextum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli non amant carnaliter quidquam, quod eis obſiſtat in ſeruitio Dei; iuxta doctrinam Domini dicentis Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Vxorem, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & animam ſuam propter me; non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* Gloſſa. *Id eſt. Qui non odit quidquid obſiſtit ei in ſeruitio Dei, non eſt dignus meô diſcipulatu, nec poteſt in eo permanere.* Ex quo videtur, quòd amor carnalis Parentum & Conſanguineorum immoderatus obſiſtit homini in ſeruitio Dei. Et hoc ſatis perpendi poteſt ex eo, quòd aliqui Regulares, licet aliter Religioſi exiſtant, tamen propter amorem Propinquorum ſuorum plerumque ſe ingerunt terrenis actionibus huius Mundi pro negotiis illorum; quas actiones antè reliquerant propter Deum. Vnde ſuper illud Iob 6. *Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum ſuorum*, dicit Gregorius in lib. 8. Moral. *Sæpe quoſdam vidimus, quantùm ad proprium ſtudium ſpectat, iam præſentis vitæ deſideria non habere, Mundum & opere & profeſſione reliquiſſe; ſed tamen pro inordinatis affectibus Propinquorum Prætoria irrampere, terrenarum rerum iurgijs vacare, libertatem intimæ quie-*

tis relinquere, & Mundi in se studia iamdudum destructa reparare.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) præsertim Regulares Viri; qui se asserunt Mundum cum suis oblectationibus reliquisse; Nepotes & Consanguineos suos ex more carnaliter adeò diligant, quòd eos, licet indignos, ad dignitates & honores Ecclesiasticos scienter promoueri procurent; vel pro eis aliquibus Mundi actionibus implicentur, siue defendendo eos in Iudicio, siue aliômodô, siue aliqua eorum terrena negotia procurando (quæ procul dubiô eis obsistunt in seruitio Dei) videntur eos amare carnaliter. Et ideò non videntur esse veri Apostoli; sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Trigesimumseptimum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli, postquàm relinquentes omnia Dominum secuti sunt, non reuertuntur deinceps ad domos suas, vel suorum, quas reliquerunt, nisi aliquâ necessitate vrgente. Vnde Luc. 9. cùm quidam volens fieri Discipulus Domini dixisset ei, *Sequar te, Domine; sed primùm permitte mihi ire, & renuntiare ijs qui domi sunt;* ait ad illum Iesus. *Nemo manum mittens ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Glossa. *Si Discipulus Dominum secuturus arguitur, eô quòd domi renuntiare vellet; quid fiet illis, qui nullâ necessitate sæpè visitant domos suorum, quas reliquerunt?* Item Hieronymus Ad Rusticum Monachum. *Si Monachus esse vis, non videri; habeto curam, non rei familiaris, cui renuntiando Monachus esse cœpisti; sed animæ tuæ.* Item Ambrosius De fuga sæculi. *Vera sæculi fuga est abdicatio Domesticorum, & quædam alienatio charissimorum; vt suis se abneget, qui seruire Deo gestit, vel eligit.* Et habetur 12. q. 1. cap. *Cui portio.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) non iam secuturi, immò iam Dominum secuti per Religionis ingressum, sine causa legitima ex more frequenter visitent domos suorum, quas reliquerunt; & eas, vel temporaliter gubernare velint, vel in eis deliciari, vel fortè portionem hæreditariam vendicare, vel quocumque modô pecuniam ab eis extorquere; non videntur rectè sequi Dominum, tamquam veri Discipuli; sed magis

videntur manum misisse ad aratrum, & respicere retrò, tamquam inepti Regno Dei. Et ideò non videniur esse veri Apostoli; sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo.

§. Trigesimumoctauum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli, quia non sunt de Mundo, sed Deus elegit eos de Mundo, idcircò in primo aduentu suo malè recipiuntur ab hominibus huius Mundi, sicut dicit Dominus Ioan. 15. *Quia de Mundo non estis, sed ego elegi Vos de Mundo; propterea odit Vos Mundus.* Sed postea expertâ eorum patientiâ, & aliis virtutibus sibi à Domino datis, quoniam ex Deo sunt, vincunt Mundum patiendo, iuxta illud 1. Ioan. 5. *Omne quod ex Deo natum est, vincit Mundum.* Et sic postea eorum potestas & regimen, etsi non in personis eorum (quoniam morte præuenti sunt) tamen in eorum Successoribus (videlicet in Episcopis & Presbyteris) non solùm benignè recipiuntur, verùm etiam, quoniam ex Deo sunt, non ex hominibus, idcircò absque dissolutione perdurant, ac in honore habentur, iuxta verbum Gamalielis de ipsis Apostolis ad Iudæos dicentis Act. 5. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere eos.* E contrario verò Pseudo-Apostoli propter speciem sapientiæ & sanctitatis, quam ostendunt hominibus, in principio, latente adhuc eorum simulatione, benignè & lætanter recipiuntur à Christianis; consequenter autem per eorum peruersa opera paulatim ipsorum simulatio reuelatur; iuxta illud Bernardi *De Consideratione* lib. 4. *Quod quidem interius malum tegunt principia, posteriora denudant; & sic, qui in principio propter speciem sanctitatis & sapientiæ, tamquam Sancti & Sapientes benignè recipiuntur, in fine detectâ eorum malitiâ, tamquam Peruersi & Insipientes à Sapientibus saltem animô respuuntur.* Maximè autem illa de causa, si potestatem Ecclesiasticam regiminis animarum sine canonica vocatione sibi assumant, vt ostensum est suprà ead. dist. in quinto Signo. Nam, vt dicitur Eccles. 20. *Qui potestatem assumit iniustè odietur.* Glossa. *A Deo & hominibus.* Hoc fortè prophetauit Apostolus 2. Timoth. 3. cùm dixit de Penetrantibus domos. *Sed vltrà non proficient.* Glossa *Seducendo.* INSIPIENTIA *enim eorum.* Glossa. *Quæ modò putatur sapientia.* OMNIBVS *manifesta erit.* Quod autem dicit Glossa ibidem de Pseudo & Penetrantibus domos, *quòd ipsi in breui*

Digitized by Google

deficient ſuperati à Catholicis, & quod ipſi deſtruentur per bonos, præſertim autem per Ioannem Apoſtolum, intelligendum eſt de illis Pſeudo & Penetrantibus domos, qui erant tempore Apoſtoli Pauli pauci, quaſi prænuntij plurium futurorum, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Apoſtolus autem*; qui iuxta prophetiam Apoſtoli per Ioannem Apoſtolum & alios bonos Catholicos ſuperati & deſtructi defecerunt. Similiter autem de illis Pſeudo & Penetrantibus domos (*Qui modò plures ſunt, vel futuri ſunt*, vt dicit quædam Gloſſa, vt oſtenſum eſt ſuprà ibidem) iuxta eamdem Apoſtoli prophetiam debet intelligi, quòd & ipſi per Apoſtolicam & Catholicam Eccleſiam ſuperandi & deſtruendi (ſaltem quoad mores eorum peruerſos) deficient, ad inſtar præcedentium prædictorum; iuxta illud Prouerb. 12. *Verte Impios, & non erunt.* Nam Sacra Scriptura ipſius Apoſtoli, ſicut & reliqua Sacra Scriptura, per exempla præcedentium vitam ſequentium informare curauit, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo. §. *Non igitur.* De talibus videtur prophetaſſe Hildegardis in Epiſt. ſupradicta dicens. *Tunc*, ſcilicet in principio, *de conuerſatione iſtorum populus gaudebit, quoniam eis Iuſti videbuntur*; ſed certè poſteà, vt dicit eadem Hildegardis, *Qui priùs caſti videbantur, tandem cum fœminis occultâ luxuriâ commiſcebuntur*; & ſic iniquitas & ſecta eorum denudabitur, vt dictum eſt ſuprà diſt. 3. §. *De talibus Simulatoribus*, in fine. Cùm igitur plenè comperta fuerit eorum ſimulatio & peruerſitas, tunc ipſi à Maioribus tribulabuntur. Vnde Hildegardis. *Poſtquàm ipſi in peruerſitatibus Baal, & in aliis prauis operibus ſic inuenti fuerint, Principes & Maiores in eos irruent, & velut rabidos Luposeos occident.* Huic concordat ad literam Dominus Math. 15. dicens. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) in primo aduentu ſuo, propter eorum apparentem ſapientiam & ſanctitatem, lætanter & benignè recipiantur à Chriſti Fidelibus; in fine autem, operibus eorum magis cognitis, meritis ſuis exigentibus, tamquam peruerſi & inſipientes, licet aſtuti, & ſapientiam tam literarum, quàm ſæcularem habentes, ab eiſdem Fidelibus, præcipuè autem à ſapientibus, ſaltem animô reſpuantur; licet fortè

propter eorum importunitatem, aut propter præsentem pudorem, aut propter timorem diffamationis per detractiones illorum, aut propter aliam causam vrgentem, corporaliter admittantur; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Trigesimum nonum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli non quęrunt, nec solliciti sunt curare negotia aliena, id est ad statum suum impertinentia, vagantes propter hoc hâc & illâc, vt inde pascantur. Qui enim hoc faciunt, Curiosi & Gyrouagi sunt, & contra doctrinam Apostoli viuunt, vt ostensum est suprà dist. 2. §. *Quoniam autem*, & §. *Patet igitur*. Si autem quæratur quæ negotia dici debeant aliena, responsum est suprà dist. 2. §. *Patet igitur*. Quod si fortè aliqui transfigurantes se in Apostolos Christi dicant se ad aliena negotia gerenda inuitos trahi à Principibus, vel Prælatis, vel aliis Magnis, quos offendere, vel scandalizare formidant; ad hoc responsum est suprà dist. 2. §. *Sed forte adhuc*, circa finem. Si verò dicant, quòd hoc faciunt ex charitate, iuuando scilicet proximos suos, iuxta illud Galat. vlt. *Alter alterius onera portate*, sicut obiectum est suprà dist. 2. in Tractatu *De Curiosis*, §. *Sed forte obiiciet*; ad hoc responsum est suprà ibidem.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) præter vrgentem necessitatem, aut euidentem vtilitatem Ecclesiæ, aut præter mandatum ipsius Ecclesiæ, negotiis alienis, animi curâ, non manibus exercendis, vt inde pascantur, se ex more immisceant, vagantes propter hoc hâc & illâc; cum per hoc Curiosi existant, & contra doctrinam Apostolicam viuant; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Quadragesimum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli non prædicant propter quæstum, sed propter animarum salutem tantùm. Vnde 2. Corinth. 12. dicit Apostolus. *Non quæro quæ vestra sunt*. Glossa. *Id est diuitias vestras in auro & argento*; SED *vos*. Glossa. *Saluare*. Item Glossa. *Non quærebat Apostolus datum, sed fructum; ne quasi venditor Euangelij putaretur*. Pseudo verò prædicant propter quæstum, licet simulent se prædicare propter animarum salutem; stu dent enim lucro, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Quidam autem canonicè*. Et 1. Timoth. 6. dicit Apostolus loquens de Pseudo. *Existimantium quæstum esse pietatem*. Glossa. *Qui ideò opus pie-*

tatis

Digitized by Google

tatis faciunt, id eſt prædicant, vt lucrum temporale acquirant; quia pro quæſtu prædicant, non prò fructu.

§. Sed quomodò poteſt cognoſci, ſi prædicet quis pro quæſtu?

§. Reſpondeo. Quando ſcilicet ab illis, quibus prædicat, recipit aurum, vel argentum, niſi fortè propter ſumptum quotidianum, vel propter aliquod commodum publicum ab Eccleſia ordinatum. Vnde ſuper illud Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, dicit Gloſſa. *Si hæc haberent, viderentur non cauſâ ſalutis prædicare, ſed cauſâ lucri.* Item ſicut dicit Hieron. ſuper Malachiam Prophetam. *Quia quidam Prophetæ accipiebant pecuniam, prophetia eorum facta eſt diuinatio*; Id eſt, *declarata eſt non eſſe à Domino, ſed à Diabolo*, vt legitur 1. q. 1. cap. *Numquam diuinatio*; Idem poſſet dici, ſi reciperet Prædicator modium vini, aut chorum tritici, aut aliud æquimalens auro vel argento vſque ad munerum quantitatem. Quemadmodùm dicitur de illis, qui habent publica officia; *Quod quamuis licitum ſit eis recipere eſculentum & poculentum vt xeniola, non tamen licet eis recipere vſque ad munerum quantitatem*, vt dicit Lex Humana ff. *De officio Proconſulum* L. *Solent.* Multò minùs ergo licitum eſt Prædicatoribus recipere ab Auditoribus ſuis vſque ad munerum quantitatem, ne per hoc grauent Auditores; vel ne odibile fiat Euangelium; vel ne ipſi Prædicatores libertatem arguendi amittant; vel ne videatur Euangelium venale eſſe; vel etiam propter alias rationes poſitas & aſſignatas ſuprà diſt. 2. §. *Hoc autem faciebat Apoſtolus.*

§. Sunt autem quidam Prædicatores, qui ne videantur eſſe quæſtuarij, & vt decentiùs per alios, quàm per ſeipſos valeant deprædari, & dona maiora conſequi; idcircò ab Auditoribus ſuis in perſonis propriis nihil petunt; ſed ad eos circumueniendos legatos ſuos tranſmittunt, qui vel granum, vel vinum, vel pecuniam ad opus veſtium, vel quidquam aliud, quò indigere ſe dicunt, importunè & inceſſanter petunt, & indifferenter à quibuſcumque accipiunt. A cuiuſmodi circumuentione excuſat ſe Apoſtolus 2. Corinth. 12. dicens. *Sed eſto.* Id eſt *Fortè dicetis, quòd.* EGO *vos non grauaui.* Gloſſa. *In perſona mea accipiendo veſtra.* SED (*Fortè obijcietis mihi, quòd,* CVM *eſſem aſtutus.* Id eſt *callidus.* DOLÒ *vos cepi.* Id eſt *de-*

cepi, in persona mea nihil accipere volens, vt per legatos meos acciperem. Deinde huic sinistræ suspicioni respondet, purgans se & dicens. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos?* Glossa. *Petendo scilicet, vel recipiendo vestra.* Quasi diceret. *Non.* Illi ergo Prædicatores, qui huic verbo & exemplo Apostoli contrarium faciunt, res Auditorum suorum, vt videtur, per circumuentionem auferunt; per quod se esse Pseudo, si de ipsorum Canonica missione non constet, manifestè ostendunt. Propter tales Pseudo Prædicatores pro quęstu prędicantes eliminandos ab Ordine Fratrum Prædicatorum, impetrauerunt olim Primitiui eiusdem Ordinis quamdam literam à Sede Apostolica, in qua cauetur, *Quòd si aliqui Fratrum Prædicatorum prædicationem suam ad quæstum conuerterint, capiantur & in carcerem detrudantur.*

§. Sed fortè aliqui Pseudo transfigurantes se in Apóstolos Christi 2. *Corinth.* 11. ac nequiter se humiliantes, iuxtà illud Ecclesiast. 19. *Est qui se nequiter humiliat, interiora verò eius plena sunt dolô*, dicent. Nos, cùm Euangelij Prædicatores simus, licet ab eis, quibus spiritualia seminamus, sumptus potestatiuè sumere possemus tamquam nobis debitos ex ordinatione Domini Luc. 10. *Edentes & bibentes quæ apud illos sunt*; tamen potestatiuè illos non petimus, sed magis nos humiliare, & ad instar Apostoli supererogare volentes; magis eligimus ab eis, quibus prædicamus, mendicare; petentes scilicet necessaria vitæ, non propter debitum, sed propter Deum. Vnde hoc modo petentes, dici non possumus prędicare propter quæstum, sed propter Deum; licet ex humilitate quæramus, mendicando ab illis, vt dictum est suprà dist. 1. §. *Sed contra hoc forte.*

§. Ad quod dicendum est, quòd illi, qui hoc dicunt, si non missi prædicant, Pseudo sunt, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Quoniam igitur futura*; & ideò ad prædicationem admitti non debent, vt ostensum est ibidem. Quod autem dicunt se velle mendicare causâ humilitatis, falsum dicunt; cùm non mendicare, sed magis manibus operari sit opus humilitatis, vt ostensum est suprà dist. 2. circa principium §. *Ad illud autem.* Immò est opus peccati, nisi in casibus assignatis suprà dist. 2. §. *Sunt autem quidam casus*, cum decem sequentibus Paragraphis. Si autem fortè existiment tales Prædicatores suam

Digitized by Google

Mendicationem esse opus humilitatis, vel pietatis; videntur esse de illis Pseudo. de quibus dicit Apostolus 1. Timoth. 6. *Existimantium quæstum esse pietatem.* Si verò missi prædicant Prædicatores prædicti, & petunt vel recipiunt sumptus ab eis, quibus prædicant; qualitercumque petant vel recipiant, siue propter debitum, siue propter Deum (quoniam non nisi propter Deum, scilicet Iure Dominicô petere possunt ex Euangelio viuunt, quod non potest esse mendicitas, sed potestas; & sic recipiunt sumptus potestatiuè, non mendicatiuè, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Sed contra hoc fortè*, & §. *Item Augustinus.* Falsò igitur humiliant se, dicentes se mendicare velle ab Auditotibus suis causâ humilitatis, cùm ab iis, si missi extiterint, non valeant mendicare.

§. Item falsò humiliant se Prædicatores missi, si dicant se ad tantam inopiam peruenire velle, vt eos oporteat mendicare, veluti quidam docent; cùm ex tanta inopia contingere posset, eos propter indigentiam sumptuum contristari, ac instantiam eorum remitti, nec non authoritatem minui. Vnde 1. Timoth. 5. super illud, *Qui benè præsunt Presbyteri*, dicit Glossa. *Boni Dispensatores, non solùm honore sublimi præueniri debent, sed & terreno; vt non contristentur indigentiâ sumptuum. Instantior enim fit Prædicator, si non humilietur inopiâ; & crescit in eo authoritas, cùm videt se in præsenti etiam laboris sui fructum percipere, non vt abundet, sed vt non deficiat*, vt dictum est suprà ead. dist. in decimo Signo, §. *Sed fortè.* Nota quod dicit Glossa. *Vt non contristentur indigentiâ sumptuum.* Ex quo videtur, quòd veri etiam Prædicatores indigentiâ sumptuum contristantur quandoque. Item nota quòd dicit. *Instantior fit Prædicator, si non humilietur* (id est *si non vilificetur*) *inopiâ.* Ex quo videtur, quòd Prædicator quandoque vilificatur inopiâ, & ex eadem causa instantia eius remittitur. Item nota quod dicit. *Et crescit in eo authoritas, cùm videt se in præsenti etiam laboris sui fructum percipere.* Ex quo videtur, quòd authoritas Prædicatoris decrescit, cùm non recipiendo sumptus ex Euangelio (eô fortè quòd caret officiô prædicandi, quia non est missus canonicè) necesse habet mendicare. Quoniam igitur dicta tria incommoda non expediunt, sed magis officiunt Prædicatori & prædicationi; restat, quòd bonus Prædicator mendicitatem, ex quâ illa contingunt, desiderare non debet. Si

ergo dicat quis Prædicator, se mendicationem desiderare; non vera humilitas, sed falsa esse videtur; nec videtur esse Prædicator verus, sed Simulator & Fictus. Plerique autem Simulatores dicunt, inopiam sibi dulcem esse, vel sibi propter Deum placere, qui tamen habent ignem auaritiæ vel cupiditatis in corde; de quibus potest intelligi ad literam, quod dicit Ecclesiasticus cap. 40. *In ore Impudentis indulcabitur inopia; & in ventre*, Id est in corde, *eius ardebit ignis*, scilicet cupiditatis.

§. Notandum autem, quòd illi Prædicatores, qui à suis Auditoribus petunt, aut peti faciunt, sperantes se propter suam prædicationem faciliùs obtenturos ab eis quod petunt; formidare meritò possunt, ne hoc videantur facere occasione auaritiæ, contra illud Apostoli 1. Thess. 1. dicentis. *Neque enim aliquando fuimus in occasione auaritiæ.* Glossa. *Non dico* IN AVARITIA, *sed non feci, nec dixi etiam in quo esset occasio auaritiæ.* Item formidare meritò possunt, ne per hoc dici possint gratiam prædicationis vendere, & sic incidant in vitium Simoniæ; sicut Giezi puer Elisæi, pro eo quòd petiit vestes à Naaman Syro, sperans se ideò faciliùs accepturum ab eo, quia Dominus suus (scilicet Elisæus) curauerat eum à lepra, vt legitur 4. *Reg.* 5. dicitur vendidisse ipsi Naaman gratiam sanitatis, & per hoc incidisse in vitium Simoniæ, vt dicit Gregorius Nazianzenus 1. q. 1. cap. *Qui studet*, licet illas vestes petierit Elisæô inuitô, sicut apparuit ex postfacto. Igitur multô magis, si ipse Elisæus eodem modô, & eadem intentione petiisset, vel peti fecisset, procul dubiô Simoniæ vitium incurrisset.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) ab Auditoribus suis talia munera, qualia suprà descripta sunt, ex more recipiant, videntur esse in occasione auaritiæ; videntur etiam prædicare propter quæstum, non propter animarum salutem. Et si talia ex more petant, vel peti faciant, siue in prædicatione sua, siue ante prædicationem, siue post illam, sperantes se propter suam prædicationem faciliùs inuenturos, videntur committere Simoniam; quia *recipere est, quandocumque recipere, siue post, siue antè*, vt legitur 1. q. 1. cap. *Eos.* Et ideò non videntur esse veri Apostoli, sed potiùs suspecti haberi possunt, ne sint Pseudo-

Digitized by Google

Excuſet tamen qui poterit, dum tamen Scripturis Authenticis voluntatem hominis non præponat.

§. Quadrageſimumprimum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Prædicatores, quamuis poteſtatem habeant Iure Dominicô viuendi de Euangelio, ſicut oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Item vt oſtendit Auguſtinus*, & §. *Sed contra hoc forte*; tamen ſumptus illos ſibi debitos non ſemper petunt, ſed potiùs operantur corporaliter, vnde viuant, vt oſtenſum eſt de Paulo ſuprà diſt. 1. §. *Item forſan*, in fine, & §. *Hoc autem*, & §. *Sed adhuc*; oſtenſum eſt etiam de aliis Apoſtolis ſuprà diſt. 2. §. *Non ſolus autem*. Oblata verò etiam cum obſecratione, non ſemper recipiunt, vt patet in Paulo, qui cùm ei vellent Macedones bona ſua non tantùm vt propria, ſed etiam vt communia dare ad vſus ſuos, & aliorum Apoſtolorum, & aliorum pauperum, etiam vltra vires facultatum ſuarum; Apoſtolus Paulus non conſentiebat ad recipiendum. Vnde 2. Corinth. 8. dicit idem Apoſtolus. *Teſtimonium illis reddo, quia ſecundùm virtutem, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & communicationem miniſterij quod fit in Sanctos.* Gloſſa. *Nemine cogente voluntarij fuerunt ad dandum, etiam ſupra virtutem rerum ſuarum, ita etiam vt poſt egerent; & obſecrabant, cum tamen timens non aſſentirem eis, vt liceret eis ſua dare, non quaſi propria, ſed quaſi communia, de quibus miniſtrarent aliis.* Et ſi quandoque ex neceſſitate ſumptus ſibi debitos recipiant veri Apoſtoli; tamen eos non importunè petunt, nec à quibuſcumque indifferenter & indiſcretè recipiunt, ne videantur pro ſumptibus ſuis euangelizare, & ſic abutantur illâ poteſtate. Vnde ſuper illud 1. Corinth. 9. *Vt non abutar poteſtate meâ in Euangelio*, dicit Gloſſa. *Quod vtique facerem, ſi ſumptuoſum credentibus Euangelium eſſe, importunè exigendo, vel indiſcretè accipiendo, mouſtrarem.* Ex importuna enim exactione, vel indiſcreta receptione ſumptuum, qui debentur ex Euangelio, poteſt de facili ſcandalum ſuboriri; quod in hac parte debet arctiùs euitari, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Verumtamen diuerſimodè.*

§. Pſeudo verò, *licet non ita ordinati ſint in Eccleſia, vt de Euangelio viuere poſſint*, vt dicit Auguſtinus in lib. *De opere Monachorum* cap. 4. nihilominus tamen viuere volunt de Euangelio, recipientes ſumptus ab eis quibus prædicant, ac

ſi eſſent eorum Euangeliſtæ, aut eorum Altaris Miniſtri, vt ſcilicet eis miniſtrent Sacramenta Eccleſiaſtica, ſicut miniſtrant Parochialęs Presbyteri. Sic faciebant olim quidam Monachi Pſeudo-Prædicatores, populum non habentes, contra quos dicit Auguſtinus in eodem lib. cap. 20. *Ipſi autem Fratres noſtri temerè ſibi arrogant, quantùm exiſtimo, quòd huiuſmodi habeant poteſtatem*, ſcilicet viuendi de Euangelio. *Si enim Euangeliſtæ ſunt, Miniſtri Altaris, Diſpenſatores Sacramentorum, fateor, habent.* Quaſi diceret. *Si hæc officia in Eccleſiis eorum, à quibus accipiunt, non habent; nec poteſtatem ſumendi ſumptus ab eis, habent.* Certum eſt enim, quòd illis ſolis debentur ſumptus ex Euangelio, qui vel ordinariè præſunt in regimine & doctrina ex dignitate ſui officij, & qui ad regimen animarum ex officij ſui debito tenentur. Vnde 1. Theſſ. 5. dicit Apoſtolus. *Rogamus vos, Fratres, vt noueritis* (Id eſt *oſtendatis vos noſſe*, ſcilicet per exhibitionem ſumptuum) *eos qui laborant inter vos.* Gloſſa. *In regimine veſtri, & doctrina.* Et *præſunt vobis.* Gloſſa. *Dignitate. Et hoc,* IN *Domino.* Id eſt *ordinatione Domini.* ET *monent vos.* Gloſſa. *Sui officij debitô.* Illi ergo qui non habent dignitatem, aut officium debitum regiminis animarum, ſumptus tamquam ſibi debitos petere non poſſunt.

§. Item Pſeudo, non ſolùm recipiunt victum ab eis, quibus prædicant, ſi eis offeratur, ſed etiam quandoque importunè petunt, quamuis indebitum. Vnde ſuper illud 1. Theſſ. 2. *Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli, &c.* dicit Gloſſa. *Apoſtolicæ poteſtatis debitum vocat* ONVS *propter Pſeudo, qui illud indebitum vſurpantes, importunè à plebibus exigebant.*

§. Quidam autem Moderni importunitatem antiquorum Pſeudo tranſcendentes, non ſolùm victum neceſſarium, quamuis indebitum, à non ſubditis ſuis importunè petunt & rogant; verùm etiam immenſam pecuniam, non ſolùm à bonis & deuotis Chriſti Fidelibus, ſed etiam à Tyrannis, & Raptoribus, & Vſurariis, ac aliis magnis Peccatoribus opulentis & non emendatis, per varios & importunos quæſtus, ſub prætextu eleemoſynæ extorquere non ceſſant; contra documentum Hieronymi ſuper illud Matth. 15. *Munus quodcumque ex me eſt, tibi proderit*, ſic dicentis. *Nos debemus cauere, ne ab illis accipiamus munera, qui de lacrymis Pauperum congregant diuitias.* De qua pecunia ſic extorta, ipſi Extortores, ne-

Digitized by Google

glectis infinitis Chriſti Pauperibus eſurientibus, & quandoque fame pereuntibus, non contenti prioribus ædificiis ſuis ſufficientibus ea temerè diruentes, exigunt ſibi maiora ædificia ſuperflua, voluptuoſa, & ſumptuoſa; contra illud Senecæ *Ad Lucilium* Epiſt. 8. *Domus munimentum ſit aduerſus infeſta corporis. Hanc verùm cæſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scito te hominem tam benè culmô, quàm aurô tegi.*

§. Sed fortè fingent homines ſupradicti dicentes, quòd ædificia illa pretioſa & ſumptuoſa (cùm illorum Domini non exiſtant) ſibi non conſtruunt, ſed locorum illorum Dominis, qui ſibi eorum vſum tantummodò conceſſerunt, vt dictum eſt ſuprà eadem diſt. vndecimô Signô. §. *Item ex eo.*

§. Sed cùm locorum illorum Domini, vſum eorum tantùm eis, vt aiunt, concedentes ſint diuites, non egeni; quomodò audent Fictores prædicti de eleemoſynis mendicatis (de quibus deberent Pauperes eſurientes viuere) tot & tanta ædificia Dominis diuitibus fabricare? Nonne ex hoc meritò dici poſſunt omnibus Prædonibus crudeliores eſſe? cùm dicat Hieronymus Ad Nepotianum. *Accepiſſe Pauperibus erogandum & eſurientibus plurimis, & (quòd aperti ſceleris eſt) aliquid ex inde ſubtrahere, omnium Prædonum crudelitatem ſuperat.*

§. Similiter non contenti antiquis Baſilicis ſuis ſufficientibus & ſatis decoris, illas temerè diruentes ſub pretextu diuini honoris & Sanctorum, ædificant ſibi de eleemoſynis mendicatis, maiores, ornatiores, pretioſiores, & ſumptuoſiores Baſilicas, ſumptus ſuperfluos à Chriſti Fidelibus importunè rogantes; non attendentes, quòd Moyſes, compertô quòd populus plùs offerret in ſumptus Tabernaculi, quàm neceſſum eſſet, iuſſit Præconis voce clamari, *Ne Vir, vel Mulier quidquam vltrà offerret in opere Sanctuarij*, vt legitur Exod. 36.

§. Prædicta verò ædificia, non ſolùm priuatarum ædium, verùm etiam Baſilicarum ſuarum, prædicti homines magis ad ſuum, quàm ad Dei honorem conuertunt; videlicet vt populus, qui ſemper noua & decora miratur, & miranda deſiderat & ſectatur, contemptis ſuis antiquis & Parochialibus Eccleſiis minùs decoris, tam eorum Eccleſias, quàm ædes alias nouas & magis decoras libentiùs viſitent & frequentent, & per hoc ampliùs eos honorent, & ampliùs eis donent; & ad viſitandum domos ſuas, non ſolùm ædificiorum decore, ſed

etiam verbis familiaribus & perſuaſibilibus inceſſanter prouocant, & perſuadere non ceſſant; quod eſt ſignum ſuperbiæ manifeſtum, iuxta verbum Senecæ *Ad Lucilium* ſic dicentis. *Proprium ſuperbiæ eſt, magnô æſtimare introitum ac tactum ſui liminis*, vt dictum eſt ſuprà ead. diſt. in vigeſimo Signo. *§ Item Pſeudo.*

§. Suggerunt etiam ſuis Largitoribus ſupradictis, optimum eſſe in tales vſus (quos propter ſimulatam veneratione Dei & Sanctorum *Pios* appellant) pecuniam ſuam (licet malè quæſitam) expendere, & quaſi ſui memorialia perpetuò duratura ad memoriam aliorum in poſterum inſtaurare; cùm tamen melius eſſet eam, vel à quibus malè oblata eſt, reſtituere; vel eis non inuitis, ſaltem Chriſti Pauperibus eſurientibus, & laborare impotentibus, vel mendicare ex cauſa rationabili erubeſcentibus erogare. Contra quorum ſuperſtitioſam aſſertionem inuehitur Chryſoſtomus ſuper illud Math. 23. *Qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, &c.* ita dicens. *Inſipiens, quid tibi prodeſt poſt mortem iſta memoria, ſi vbi es torqueris, vbi non es laudaris?* Item ibidem Chryſoſtomus. *Quæ eſt iſta iuſtitia, munerare mortuos, & expoliare viuentes? de ſanguine miſerorum tollere, & Deo offerre? Illud enim eſt Deo offerre, ſed velle violentiæ ſuæ ſocium facere Deum; vt cùm ſibi oblatam pecuniam de peccato libenter acceperit, conſentiat in peccato.* Item ibidem Chryſoſtomus. *Vis domum Dei ædificare, da Fidelibus & Pauperibus vnde viuant; in ædificijs enim homines habitant, Deus autem in hominibus ſanctis.* Hinc D. Stephanus Act. 7. dicit. *Non in manufactis excelſus habitat, ſicut per Prophetam dicit.* COELVM MIHI SEDES EST, TERRA AVTEM SCABELLVM PEDVM MEORVM. Hinc etiam Paulus Act. 17. dicit. *Deus, qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo ſunt, cùm ſit cœli & terræ Dominus, non in manufactis Templis habitat.* Melius igitur eſſet pecuniam à Chriſtianis oblatam, vel ab eis per importunos quæſtus extortam, in eleemoſynam Pauperum Chriſti expendere, quàm in ædificiis Templorum, vel aliis immoderatis & ſumptuoſis atque ſuperfluis collocare. Nam, ſicut dicit Ambroſius in libro De Officiis: *Nonne dicturus eſt Dominus, cur paſſus es tot inopes fame mori, & habebas aurum, vnde miniſtraſſes alimoniam?* Et habetur 12. q. 2. cap. *Aurum habet Eccleſia.* Item Hieronymus Ad Paulinum Presbyterum. *Verum Chriſti*

Templum

Digitized by Google

Templum anima credentis est; illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Quæ vtilitas est parietes fulgere gemmis, & Christum in Paupere fame periclitari? Item Hieron. Ad Demetriadem. *Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumque deaurent capita pretiosum ornatum non sentientia; ebore, argentoque valuas, & gemmis aurata distinguant altaria; non reprehendo, non abnuo; vnusquisque in suo sensu abundet. Melius est hoc facere, quàm repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, vestire Christum in Pauperibus, visitare in languentibus; pascere in esurientibus, suscipere in ijs qui tectô indigent, & maximè in Domesticis Fidei.*

§. Huiusmodi homines, ornatum & pulchritudinem Basilicarum suarum (in quibus homines admirantur) desiderantes, & in iis delectantes, & hoc religionem esse, ac Deo & Sanctis (quorum sunt Basilicæ) placere putantes, aut se putare simulantes, & ad hæc facienda pecuniam ab Vsurariis & Raptoribus, etiam non emendatis, per quæstus varios extorquentes; similes esse videntur Idololatris, qui ornatum & pulchritudinem Templorum & Idolorum suorum putant Religionem esse, & hæc Diis suis placere; de quibus legitur in quadam Glossa marginali Sapientiæ 13. *Quantô ornatiora & pulchriora sunt simulachra, tantô plùs maiestatis habent; Religio ergo est, quod cupiditas humana miratur.* Et paulò antè legitur in alia Glossa de illis. *Aurô, gemmisque delectantur, quorum nitor perstringit oculos; sine his non putant esse Religionem.* Et infrà. *Consecrant Diis manubias & rapinas, qui valdè imbecilles sunt. Cur enim cœlestes putantur, si terrena desiderant? vel beati, si indigent? vel incorrupti, si in iis delectantur, in quibus cupiditas hominis damnatur?*

§. Si opponatur de opere Templi Domini sumptuoso, & de ornatu eius pretioso sub Veteri Testamento, vt legitur 3. Reg. 6. & 7. Ad hoc respondet Hieronymus in hunc modum. *Neque mihi aliquis opponat dives in Iudæa Templum, Mensam, Lucernas, Thuribula, Patellas, Scyphos, Mortariola, & cætera ex auro fabrefacta; tunc enim hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes Hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum; quamquam hæc omnia præcesserunt in figuram, scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. Nunc verò, cùm paupertatem domus suæ pauper Christus dedicauerit; portemus crucem, & diuitias lutum putemus.* 14. q. 1. c. Gloria Episcopi.

§. Huiuſmodi etiam homines prædicta fabricantes ædificia, videntur conuertere panes in lapides; videlicet panes Pauperum (id eſt eleemoſynas mendicatas, de quibus deberent panes Chriſti Pauperibus erogari) in congeries lapidum, id eſt in domos lapideas ſumptuoſas & ſuperfluas, conuertentes. Et ideò videntur eſſe Diabolô crudeliores, & magis immiſericordes; cùm ipſe Diabolus è contrario petierit lapides conuerti in panes, dicens Domino. *Dic, vt lapides iſti panes fiant.* Matth. 4.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) non ſolùm ſumptus prædicationis, verùm etiam granum, vinum, pecuniam, & alia munera ſibi dari; non ſolùm ad ſuam, & multorum aliorum annuam ſuſtentationem, verùm etiam ad ſuperflua & ſumptuoſa ædificia facienda, nec non ad alias ſuperfluitates, aut voluptates implendas (cùm tamen ſummam paupertatem & mendicitatem profiteantur) nihilominùs ab Auditoribus ſuis, ſibi etiam non ſubditis, ſub pretextu eleemoſynæ, vel venerationis Dei & Sanctorum ſuorum, ex more importunè petant, vel etiam indiſcretè recipiant, plærumque cum ſcandalo illorum, à quibus petunt, vel accipiunt, vel etiam aliorum; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed potiùs ſuſpecti eſſe poſſunt, ne ſint Pſendo.

§. Quadrageſimum ſecundum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli non inuiti, ſed volentes euangelizant, id eſt non prædicant neceſſitate victus coacti; aliter enim de prædicatione ſua mercedem æternæ gloriæ non haberent. Vnde Auguſtinus in libro *De Opere Monach.* cap. 10. recitans & exponens verba Apoſtoli Pauli 1. Corinth. 9. ita dicit. SI ENIM EVANGELIZAVERO, *inquit Apoſtolus.* NON EST MIHI GLORIA, NECESSITAS ENIM MIHI INCVMBIT, *ſcilicet ſuſtentandæ vitæ huius.* VÆ ENIM MIHI SI NON EVANGELIZAVERO. *Id eſt malô meò non euangelizabo, quia fame cruciabor, & vnde viuam non habebo.* SI AVTEM VOLENS HOC FACIO, MERCEDEM HABEO. *Volentem ſe dicit facere, ſi nulla huius vitæ fulciendæ neceſſitate compulſus facit; & ob hoc mercedem habere apud Deum, vtique gloriæ ſempiternæ.* SI AVTEM INVITVS, *inquit*, DISPENSATIO MIHI CREDITA EST. *Id eſt, ſi neceſſitate huius vitæ*

Digitized by Google

transigendæ cogor euangelizare, dispensatio mihi credita est; vt sit ex dispensatione mea, quia Christum, quia veritatem prædico; quamuis ex occasione; quamuis mea quærens; quamuis terreni emolumenti necessitate compulsus aliis proficiam, ego autem apud Deum mercedem illam gloriosam sempiternamque non habeam. QVÆ ERGO MIHI MERCES, *inquit Apostolus?* Et infrà. *Vide, quid respondeat.* VT EVANGELIZANS, *inquit,* SINE SVMPTV PONAM EVANGELIVM. *Id est, Vt non sit credentibus sumptuosum Euangelium, ne putent sibi ad hoc euangelizari, vt id Euangelistæ quasi vendere videantur.* Huc vsque verba Augustini. Veri ergo Prędicatores, de sua prędicatione mercedem æternæ gloriæ expectantes, ad instar Apostoli Pauli volentes prædicant, non inuiti. Id est, non ex necessitate huius vitæ transigendæ coacti.

§. Item illi, qui necessitate victus coacti prædicant, Deo simul & Mammonæ seruire volunt; contra illud Matth. 6. *Nemo potest Deo seruire & Mammonæ*; cùm in veritate Mammonæ seruiant tantùm. Vnde Augustinus in libro *De Opere Monach.* cap. 26. *Qui enim propter hoc Euangelium prædicat, vt habeat vnde manducet, & vnde vestiatur; simul se putat & Deo seruire, quia Euangelium prædicat, & Mammonæ; quia propter ista necessaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille, qui propter ista Euangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ seruire conuincitur, etsi Deus illo ad aliorum profectum (quomodo ipse nescit) vtatur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) necessitate transigendæ huius vitæ coacti ex more euangelizent, siue prædicent (vtpotè quia, si non prædicarent, non haberent vnde viuerent) non volentes, sed inuiti prædicare; & ideò mercedem æternæ gloriæ non habere, sed magis Mammonæ, & non Deo seruire videntur. Et idcò non videntur esse veri Apostoli, sed potiùs suspecti esse possunt, ne sint Pseudo.

§. Quadragesimum tertium Signum potest esse, Quòd veri Apostoli non circumueniunt homines fraudulenter, vt res eorum blandè extorqueant, sicut faciunt Pseudo. Vnde ad differentiam sui ad Pseudo dicit Apostolus 2. Corinth. 7. *Neminem circumuenimus.* Glossa. *Fraudulentâ rerum suarum ablatione, sicut Pseudo faciunt, qui vestra blandè auferunt.* Nonne

illi bona Fidelium blandè auferunt, qui quando ægrotant diuites Vsurarij, vel alij Peccatores opulenti, conscientiâ peccatorum suorum morte imminente turbati, statim ingerunt se illorum confessioni, & terrentes eos de pœnis futuri sęculi, promittunt eis animarum salutem, si apud eos ipsos elegerint sepeliri, apud quos asserunt maiora & meliora orationum suffragia inueniri? cùm tamen eorum orationes, nec sibi, nec aliis possint proficere ad salutem; immò cùm per eas decipiant, ad maiorem cedunt eorum damnationem. Vnde super illud Luc. 20. *Qui deuorant domos Viduarum, &c.* dicit Glossa. *Qui vt religiosiores videantur prolixiùs orant, vt ab infirmis quibusque, & peccatorum suorum conscientiâ turbatis, quasi Patroni pecunias & laudes accipiant; quorum oratio fit in peccatum; quia nec sibi, nec aliis possunt proficere ad salutem; immò pro ipsis orationibus, cùm per eas alios decipiant, grauiùs damnabuntur*; non enim orationem Deo commendat manus accipiens, sed manus largiens. Vnde Marc. 12. super verbo prædicto. *Qui deuorant domos Viduarum*, dicit Glossa. *Quasi Patroni in Iudicio futuri, ab infirmis & peccatorum conscientiâ turbatis, pecuniam accipere non dubitant; cùm commendet Deo orationem porrecta manus ad dandum, non collecta ad accipiendum; quibus illud congruit.* ORATIO EIVS FIAT IN PECCATVM.

5. Blandè etiam auferunt res aliorum prædicti, promittentes salutem æternam ęgrotis diuitibus, si secundum eorum consilia sua condiderint testamenta; in quibus testamentis seipsos, vel aliquos de suis, Executores, vel Executorum consiliatores ordinari procurant; quasi meliùs & fideliùs dispensaturi sint pecuniam alienam, qui propter Christum, vt asserunt, omnia relinquentes, suam pecuniam creduntur optimè dispensasse. Contra quos dicit Hieronymus Ad Nepotianum. *Caue, ne quasi fidelis & famosus quondam tuorum Dispensator, alienam pecuniam distribuendam accipias. Habeto simplicitatem columbæ, ne vnquam machineris dolos.* Et ne Testatores dum viuunt, testamenta prędictorum consiliis facta, cuiusquam suggestione possint mutare, aut legata immoderata eis relictâ reuocare, vel minuere, semper vsque ad mortem ęgris assistunt, quasi Vultures circumuolantes, & cadauera expectantes; de quibus dicit Seneca in lib. 4. De Officiis. *Ingratum voco, qui ægro assidet, quia testamentum fa-*

eturus est; aut cui de hæreditate, vel de legato vacat cogitare. Vt aues, quæ laceratione corporum aluntur, lapsa morbô corpora, & casura, proximo speculantur; ita hic, qui imminet morti, & circa cadauera volat. Consequenter verò, ęgrotis illis defunctis, illam eorum pecuniam ipsorum executioni, seu ordinationi commissam, sub prętextu suæ voluntariæ paupertatis, & suæ simulatę sanctitatis, in vsus suos, vel suorum conuertunt; ostendere conantes suis rationibus adinuentis, non posse illam pecuniam ad meliores vsus expendi; & sic contra documentum Ambrosij *Fiunt Procuratores rerum sæcularium, qui debent Religionis cultui deseruire.* Et contra documentum Hieronymi *Fiunt alienarum rerum Dispensatores, qui contempsisse videntur proprias facultates*, vt ostensum est suprà dist. 2. §. *Sed forte obijciet Curiositatis Defensor.*

§. Qui verò talibus propter speciem sanctitatis, quam ostendunt exteriùs, quasi fideliùs dispensaturis bona sua distribuenda committunt, cautiùs agerent, si bona, quæ fortè per rapinam, vel vsuram, à Christi Fidelibus extorserunt, manu propriâ restituerent, dum ipsi viuunt; iustè verò quæsita Pauperibus impotentibus laborare, vel ex causa legitima erubescentibus mendicare, manu propriâ, vel saltem voluntate propriâ & expressâ distribuerent per aliquem meritò non suspectum. Cogitare namque debent, quòd Iudas licet esset Apostolus, & à Domino, qui falli non potest, secundum iustitiam præsentem temporaliter electus, & ob hoc propter speciem sanctitatis, quam exteriùs ostendebat, Sanctissimus reputatus; nihilominus tamen pecuniam, quæ committebatur ei distribuenda Pauperibus, asportabat & furabatur, vt legitur *Ioan.* 12. & ostensum est suprà dist. 2. §. *Sed forsan dicet.* Vnde Hieronymus Ad Nepotianum. *Fratribus refrigeria sumptuum manu propriâ distribue; rara est enim in hominibus fides; cogita Iudæ loculos.*

§. Item blandè res aliorûm auferunt, qui vt aliis pauperiores & sanctiores putentur, & ob hoc Fideles Christi res suas eis faciliùs largiantur, nouas superstitiones confingunt; dicentes fortè se propter Christum nihil habere velle proprium vel commune, sed magis perpetuò mendicare; nolentes etiam propter egestatem (cùm tamen possint) manibus laborare, sed magis orationi, & prædicationi, & animarum, licet

ſibi non commiſſarum, regimini ſemper vacare, vt dictum eſt ſuprà eadem diſt. in duodecimo Signo. Quas ſuperſtitiones inueniunt & ſimulatè faciunt, vt vel ſic prædam faciant de plebibus alienis. Vnde ſuper illud Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi Hypocritæ, qui comeditis domos Viduarum, &c.* dicit Gloſſa. *Qui veſtrâ ſuperſtitione nihil aliud quæritis, niſi vt prædam de plebibus faciatis.* Iſti autem maximè prædicta faciunt de Viduis opulentis, quæ cùm non ſint Viris ſubiectæ, ſed Virorum conſiliô deſtitutæ, facilè decipiuntur; & ideò illis Seductoribus res ſuas faciliùs largiuntur. Vnde ſuper verbo prædicto dicit Chryſoſtomus. *Viduæ de facili decipiuntur, non habentes conſiliarium Virum; & facilè de rebus ſuis talibus præſtant, cùm ſint nullius poteſtati ſubiectæ.* Item ibidem Chryſoſtomus. *Longis orationibus, quaſi magnis retibus facultates Viduarum piſcatis.*

§. Sed fortè dicent Pſeudo ſupradicti, quòd dici nequeunt res Viduarum auferre; cùm nulla earum eos arguat de violentia, vel accuſet.

§. Ad quod ſatis reſpondet Auguſtinus *De verbo Domini* in Sermone *De Militantibus*, ita dicens. *Nec dicere poſſumus. Nemo nos inuaſores arguit violentiæ; nemo accuſat; quaſi non interdum maiorem prædam auidius blandimenta extorqueant, quàm tormenta; nec intereſt apud Deum, vtrùm vi, aut circumuentione quis alienas res occupet, dummodò quoquô pactô teneat alienum.*

§. Item blandè auferunt res Chriſti Fidelium, qui ſub prætextu ſuffragij animarum, Miſſarum ſuarum anniuerſaria (quas præ aliorum Miſſis ſanctificant, id eſt ſanctiores eſſe iactant) Fidelibus Chriſti pro certa pecuniæ quantitate promittunt; per quod ſe negotiis ſæcularibus immiſcere ſpecialiter dici poſſunt, contra doctrinam Apoſtoli 2. Timoth. 2. dicentis. *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis.* Nam ſicut dicit Gloſſa ibi. *Negotium ſæculare ſpecialiter appellatur, ſi quaſi mercatum faciens quis de ſpiritualibus carnalia quærat.* Huiuſmodi promiſſores Miſſarum & Orationum pro aliorum eleemoſynis obtinendis meritò dici poſſunt Mercatores, ſiue Negotiatores Orationum. Vnde ſuper illud Iob 41. *Non parcam ei & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis,* dicit Gregorius lib. 33. Moral. *Nonnullis in vſum negotiationis vertitur labor Orationis, de quibus in Euangelio veritas dicit.*

Digitized by

DEVORANT DOMOS VIDVARVM SVB OBTENTV PROLIXÆ ORATIONIS. De iſtis ſuperſtitioſis Negotiatoribus Orationum futuris prophetauit D. Petrus appellans eos *Magiſtros mendaces* 2. Petr. 2. dicens. *Et erunt in vobis Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis.* Et infrà. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Nota quòd dicit *Negotiabuntur.* Gloſſa. *Non causâ Religionis, ſed auaritiæ, vt aliquid lucrentur fingunt nouas doctrinas, nec vos emunt Deo, ſed de vobis aliquid ſibi commodi acquirunt, vel acquirere ſatagunt.* Sequitur in textu. *Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.*

§. Quoniam igitur Seductores prædicti, ſupradictis & aliis multis modis prædicta faciunt de plebibus alienis; ideò *Lupi* meritò appellantur in Scripturis Diuinis; & per hoc etiam diſcernuntur à veris Apoſtolis. Vnde Act. 20. ſuper illud Apoſtoli *Argentum, aut aurum, vel veſtes nullius concupiui*, dicit Gloſſa. *Per hoc cognoſcuntur Lupi*, id eſt Pſeudo-Apoſtoli, *quia talia concupiſcunt.* Et infrà ſuper illud Apoſtoli. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & ijs qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ*, dicit Gloſſa. *Exemplum operandi etiam Epiſcopis, eſt ſignum quô diſcernuntur à Lupis.* Id eſt *à Pſeudo-Apoſtolis.* Iſti Pſeudo ſuperſtitioſi auaritiam ſuam Religionis colore pingentes, præſtant Diabolo arma Chriſti, cùm ſuas ſuperſtitiones (quæ profectò iniquitates ſunt) pietatem faciunt æſtimari. Vnde ſuper illud Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi Hypocritæ, qui comeditis domos Viduarum, orantes longas orationes*, dicit Chryſoſtomus. *Qui auaritiam veſtram Religionis colore depingitis, quaſi Diabolo Chriſti arma præſtatis, vt ametur iniquitas, dum pietas æſtimatur.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) ex more per ſuas ſuperſtitiones ſic circumueniant homines, vt dictum eſt, aſſiſtentes eis, etiam importunè, ſiue in vita, ſiue in morte, ac ſub pietatis ſpecie ſuggerentes, vt apud eos ſuas ſepulturas eligant, & immenſas eis donationes faciant, vel immenſa legata eis relinquant; vt teſtamenta ſecundùm eorum conſilia condant, & ſub prætextu fideliùs diſpenſandi pecuniam teſtamentorum, ſe, vel ſuos, Executores teſtamentorum, vel conſiliatores Executorum ordinari procurent; & vt hoc faciliùs aſſequantur,

ſuffragia illis orationum promittant; & ne legata eis relicta, vel teſtamenta ſuis conſiliis facta mutent vel reuocent, ſemper aſſiſtant eis vſque ad mortem; illis autem defunctis, pecuniam eorum fraudulenter, vt dictum eſt, in vſus ſuos, vel ſuorum conuertant; videntur res eorum fraudulenter & blandè auferre; videntur etiam ſe contra doctrinam Apoſtoli negotiis ſæcularibus immiſcere, & Negotiatores, ſeu Mercatores Orationum eſſe, & per hoc Diabolo Chriſti arma præſtare, Videntur etiam eſſe Vultures circumuolantes, & cadauera expectantes; videntur etiam eſſe Lupi rapaces, bona ouium Chriſti carnalia cupientes. Et ideò non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Quadrageſimumquartum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli non frequenter conueniunt ad alienam menſam cum otio corporali, ne Adulatores fiant. Sicut enim dicit Gloſſa ſuper illud 2. Theſſ. 3. *Vt nos ipſos formam daremus vobis*, &c. *Qui frequenter conuenit ad alienam menſam otio deditus, aduletur neceſſe eſt paſcenti ſe; cùm Religio noſtra ad libertatem homines aduocet*, vt dictum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Si verò dicatur*. Dè talibus poteſt intelligi ad literam, quod dicit Eccleſiaſt. cap. 40. *Vir reſpiciens in menſam alienam, non eſt vita eius in cogitatione victus; alit enim animam ſuam cibis alienis. Vir autem diſciplinatus & eruditus cuſtodit ſe*; ſcilicet, *á talibus, vel á tali facto*. Contra tales etiam dicitur in eodem lib. cap. 29. *Tranſi hoſpes*, &c. Et infrà. *Et quæ in manu habes, ciba cæteros*. Gloſſa. *Qui alienô delectaris hoſpitiô, redi ad propria, & de labore tuo te & alios paſce*. Item in eodem cap. paulò antè. *Vita nequam, hoſpitari de domo in domum*. Item, cùm ſecundum Gregorium, *Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur*; ideò veri Apoſtoli nolentes prædicationem ſuam contemni, ne per hoc inutiles habeantur, nolunt vitam ſuam deſpici; & ideò non frequenter ad alienam menſam conueniunt, etiam inuitati. Nam ſicut dicit Hieronymus Ad Nepotianum. *Faciliùs contemnitur, qui ſæpè vocatur ad prandium, & non recuſat*. Ergo multô faciliùs contemnitur, qui non vocatus ad prandium ſæpè ingerit ſe inuitis.

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) ex more ſic faciant, non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed potiùs ſuſpecti eſſe poſſunt, ne ſint Pſeudo.

Quadra-

§. Quadrageſimumquintum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli oblatis cibô & potu ſunt contenti, nec quærunt cibaria lautiora; iuxta illud Luc. 10. *Edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt.* Gloſſa. *Sumptus ex prædicatione concedit, ita tamen vt oblatis cibô & potu ſint contenti.* Item ſuper illud Luc. 12. *Et vos nolite quærere, quid manducetis, &c.* dicit Gloſſa. *Non ait,* NOLITE QVÆRERE, VEL SOLLICITI ESSE DE CIBO, *ſed expreſſiùs dicit,* QVID MANDVCETIS, AVT QVID BIBATIS; *in quo videntur argui, qui ſpretô victu communi lautiora ſibi alimenta requirunt.* Item Hieron. Ad Nepot. *Sit vilis & veſpertinus cibus; & olera, & legumina, interdumque piſciculos pro ſummis ducas deliciis. Qui Chriſtum deſiderat, & illô pane veſcitur, non quærit magnoperè de quàm pretioſis cibis ſtercus conficiat.* Pſeudo verò Prædicatores Hypocritæ (præcipuè autem ſpeciem Religionis habentes, vt Phariſæi) *tamquam mercedem ſuæ Religionis gulam ſequuntur,* vt dicit Gloſſa ſuper illud Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis.* Vnde poteſt dici de illis illud Iudæ in Canonica. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes.*

§ Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non cônſtet) ex more non ſint contenti oblatis cibô & potu; ſed potiùs ſtomachantur, vel indignantur, vel aliquô modô offenduntur & murmurant, ſi non miniſtrentur eis magni piſces, & optima vina, & alia cibaria lautiora; non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo. Et de talibus videtur dici poſſe ad literam illud Pſal. 58. *Ipſi diſpergentur ad manducandum; ſi verò non fuerint ſaturati & murmurabunt.*

§. Quadrageſimumſextum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli non curſitant de domo in domum, quærentes hoſpitia vbi meliùs procurentur, ſed vbi valeant honeſtiùs conuerſari; & ab illis tantùm recipiunt hoſpitium, quos credunt non onerari, ſed reputare ſibi gratiam fieri, ſi recipiantur ab eis; niſi fortè ad contrarium maximâ neceſſitate cogantur. Vnde Matth. 10. *In quamcumque ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in eâ dignus ſit, & ibi manete, donec inde exeatis.* Gloſſa. *Teſtimoniô vicinorum eligendus eſt hoſpes, ne eius infamiâ prædicatio lædatur; nec eſt curſitandum per domos.* Sed quia poſſet quæri, quis eſt dignus recipere Prædicatores Chriſti, & apud quos debeant hoſpitari? Reſpondet Gloſſa dicens. *Qui ſcit ſe magis accipere gratiam, quàm dare.* Quaſi di-

ceret. *Apud illos debent hospitari Prædicatores Christi, quos probabiliter arbitrantur se non reputare ex sumptibus eorum grauari, sed magis sibi gratiam fieri.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) ex more quærant hospitia, non honestiora, sed delicatiora, cursitantes de domo in domum vt meliùs hospitentur, vel meliùs procurentur; vel ab indignis hospitia, vel alia munera quærant, vel accipiant; id est ab illis, quos probabiliter arbitrantur non reputare sibi in hac parte gratiam fieri, sed potiùs arbitrantur, quòd ab eis reputantur onerosi; non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Quadragesimumseptimum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli, non nisi summâ necessitate coacti recipiunt eleemosynas, vel munera illorum, qui nondum emendati adhuc persistunt in peccatis suis; tales enim potiùs dant vt non arguantur, quàm propter Deum; & ideò fructum dandi non habent. Vnde 2. Corinth. 8. dicit Apostolus. *Sed semetipsos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Glossa. *Quia emendantes errores pristinos, & morum vitia, Deo se vouerunt; deinde Fratribus sua obtulerunt. Aliter enim non erat recipiendum ab eis, quia munera excæcant oculos, & vim authoritatis inclinant. Qui verò dant vt non arguantur, fructum dandi non habent.* Item 1. Corinth. 6. super illud. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, dicit Glossa. *Si abijs acciperet sumptus, quos in tantis vitijs arguebat, authoritatem Magistri inclinaret. Non enim potest instanter argui, à quo accipitur; maximè cùm ille sit promptus ad dandum, vt sibi humiliet propositum.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, seu missione non constet) absque maxima necessitate ex more munera Vsurariorum, vel Raptorum, vel aliorum Peccatorum (qui adhuc in peccatis suis persistunt, & emendari nolunt, sed propter hoc tantùm, vt non arguantur, tribuunt) scienter & libenter recipiant; quoniam ab illis à quibus non esset recipiendum (vtpotè ab illis, qui fructum dandi non habent) recipiunt, videntur magis quærere datum, quàm fructum; & ideò non videntur esse veri Apostoli, sed Pseudo.

§. Quadragesimum octauum Signum potest esse, Quòd veri Apostoli, quia non quærunt datum, sed fructum, *Philip.* 4. data illorum, qui dant propter præsentem verecundiam, aut

Digitized by Google

propter importunitatem petentis tollendam, aut propter detractionem vitandam, aut propter aliam cauſam non meritoriam, non libenter recipiunt; ſcientes, quòd tunc demùm eſt datum fructiferum, quando datur ex bona voluntate; videlicet ſi dederit quis liberaliter, quantùm & quando diſpoſuit in corde ſuo ſe velle dare; aliter enim dando (id eſt dando propter præſentem pudorem, aut propter petentis importunitatem, aut propter aliam cauſam indecentem) & rem, & meritum perdit. Vnde 2. Corinth. 9. dicit Apoſtolus. *Vnuſquiſque.* Gloſſa. *Det.* PROVT *deſtinauit.* Gloſſa. *Id eſt, præordinauit.* IN *corde ſuo.* Gloſſa. *Id eſt, in conſilio rationis. Quia qui inuitus dat propter præſentem pudorem, non habet mercedem; & ideò vnuſquiſque det, ſicut propoſuit in corde ſuo ſe velle dare.* NON *ex triſtitia, aut ex neceſſitate.* Gloſſa. *Id eſt, triſtis, vel coactus, ſed ſponte.* HILAREM *enim Datorem*, Gloſſa, *qui ex voluntate bona dat*, DILIGIT *Dominus.* Gloſſa. *Id eſt, approbat & remunerat, non triſtem remunerantem. Qui enim dat, vt careat tædiô interpellantis, non vt reficiat viſcera indigentis, & rem & meritum perdit.* Et infrà. *Si cum triſtitia facis; fit de te, non tu facis.* Nota quod dicit Gloſſa prædicta. *Vnuſquiſque det, prout diſpoſuit in corde ſuo.* Ex quo videtur, quòd non ſit petendum ab aliquo, ſaltem importunè, niſi cum ſumma neceſſitate; ſed expectandum eſt, quouſque det homo ſicut diſpoſuit, & quantùm diſpoſuit in corde ſuo ſe velle dare, vt ſic ſponte dando acquirat meritum apud Deum; ne fortè non ſponte, ſed propter importunitatem petentis, vel propter pudorem, vel propter alias cauſas non meritorias det ampliùs, quàm diſpoſuit dare; vel det quando non diſpoſuit dare; & ſic perdat, & rem, & meritum. Item 1. Corinth. 16. loquens Apoſtolus de collectis ad opus Pauperum faciendis dicit. *Vnuſquiſque veſtrûm apud ſe reponat, retondens quod ſibi placuerit.* Et hoc dicit, vt donum eius ſit gratuitum; nam, vt dicit Seneca lib. 2. De Officiis. *Non tulit gratis, qui, cùm rogaſſet, accepit.* Et infrà. *Nulla res cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) à talibus datoribus (qui non ex mera liberalitate, vel ex mero placito ſuo, ſed propter præſentem pudorem, aut propter petentis importunitatem, aut fortè propter timorem aliquem, aut propter aliam cauſam minùs

competentem dant) ex more ſcienter & libenter recipiant, vel non expectantes oblationem à quibuſcumque importunè petant (niſi fortè in arcta neceſſitate fuerint conſtituti) videntur magis quærere datum, quàm fructum; & ideò non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Quadrageſimumnonum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli, non ſolùm habent cognitionem per Scripturas de præteritis, ſed etiam de futuris; cum ſint animalia plena oculis antè & retrò, de quibus dicitur Apocalypſ. 4. *Animalia erant plena oculis antè & retrò.* Gloſſa. *Habentes cognitionem de his, quæ fecit Deus, & facturus eſt in fine Mundi.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) quaſi ad excuſationem ſuam (ſuper eo quòd de periculis per Pſeudo-Prædicatores & Penetrantes domos in Eccleſia Dei futuris, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. prædicare nolunt, ſed magis illam prædicationem impediunt) dicant ſe ignorare illa pericula; aſſecurantes etiam homines ab illis periculis; dicentes non eſſe timendum de illis, & tranquillitatem, & pacem eis promittentes, iuxta illud Ezechiel. 13. *Decipiunt populum meum dicentes* PAX, PAX, *& non eſt pax*; non videntur habere oculos antè & retrò, quia non videntur habere cognitionem de futuris periculis ſupradictis; vnde non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo. Et certè timendum eſt tam illis, quàm deceptis ab illis, ne *cùm dixerint* PAX ET SECVRITAS, *repentinus ſuperueniat eis interitus.* 1. Theſſ. 5. De hoc dicit Radulphus ſuper Leuiticum lib. 18. *Nulla exiſtimo manifeſtiora aduentus illius indicia, quàm cùm pacem & ſecuritatem prædicauerint, iuxta illud Apoſtoli.* QVIA CVM DIXERINT, PAX ET SECVRITAS, REPENTINVS SVPERVENIET ILLIS INTERITVS, ET DIES DOMINI SICVT FVR IN NOCTE ITA VENIET. *Ante nos*, inquit, *Sancti Patres de huius Aduerſarij immanitate ſollicitabantur; nos verò, qui poſt multas generationes hîc nati ſumus, & fini propinquamus, in tanta ſecuritate torpemus.*

§. Quinquageſimum Signum poteſt eſſe, Quòd veri Apoſtoli non quærunt ab hominibus per epiſtolas commendari, quia non indigent; ſicut faciunt Pſeudo: Vnde 2. Corinth. 3. dicit Apoſtolus. *Numquid indigemus commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis, ſicut quidam?* Gloſſa. *Id eſt. Sicut Pſeu-*

Digitized by Google

do, quos nulla virtus commendat. Vtique non indigemus. Et paulò antè dicit Gloſſa loquens in perſona Apoſtoli. *Quòd autem non nos commendare intendimus, ex hoc patet quòd nullius vnquam commendatitias epiſtolas quærimus.* Quamuis enim mittentes, illos, quos mittunt, vel miſſuri ſunt, commendare debeant per epiſtolas ſuas commendatitias, ne Pſeudo reputentur, vt Apoſtolus Timotheum 1. Corinth. 4. commendauit dicens. *Miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino.* Item 1. Corinth. 16. *Si venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos.* Item Philipp. 2. *Spero autem Timotheum me citò mittere ad vos.* Et infrà. *Neminem habeo tam vnanimem, qui ſincerâ affectione pro vobis ſollicitus ſit.* Ipſi tamen miſſi aliorum quàm mittentium eos epiſtolas quærere non debent, ne videantur humanas laudes appetere; quia Sancti de humanis laudibus non gloriantur, ſed magis cruciantur. Vnde ſuper illud Iob 36. *Moriatur in tempeſtate anima eorum*, dicit Gregorius in lib. 23. Moral. *Laus quippe ſua Iuſtos cruciat, Iniquos exaltat.* Et infrà. *Illi enim ſuâ laude paſcuntur, qui Authoris ſui gloriam non requirunt. Illi autem, qui Authoris ſui gloriam quærunt, ſuâ laude cruciantur; ne non ſit intùs quod foris dicitur; ne ſi etiam eſt quod dicitur, ante Dei oculos ipſis fauoribus vacuetur; ne humana mens robur mentis emolliat, eamque in ſui delectatione proſternat.*

§. Si qui ergo Prædicatores (de quorum canonica vocatione, ſeu miſſione non conſtet) ex more tales epiſtolas commendatias, non ſolùm à mittentibus eos, ſed etiam ab aliis magnis & famoſis Viris importunè ſibi procurent; videntur hoc facere cauſâ humanæ laudis; & ideò non videntur eſſe veri Apoſtoli, ſed Pſeudo.

§. Sunt & alia Signa plurima, per quæ diſcerni poſſunt veri Apoſtoli, ſeu veri Prædicatores à Pſeudo, quæ ſatis facilè ſe offerunt in Scripturis Diuinis (Signa enim cognoſcendi Seductores prædictos reſeruata ſunt diuinitùs in Scripturis, vt per ea periculoſam illorum fallaciam fugiamus; iuxta illud Pſalmi 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem vt fugiant à facie arcus*) Sed timore prolixitatis, ea, quæ dicta ſunt, ad præſens aſſignauimus, reliquorum aſſignationem ſtudioſis & fidelibus Inquiſitoribus relinquentes. Gregorius autem in lib. 33. *Moralium* exponens illud Apocalyp. 13. *Et vidi aliam*

beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur vt Draco, tradit quoddam breue documentum in generali ad examinandum & cognoſcendum Hypocritas Antichriſti, ponens exemplum in Nummulariis, qui examinando monetam, quam debent recipere, primò attendunt qualitatem materiæ (vtrùm ſcilicet ſit ex auro, vel ære) deinde conſiderant modum figuræ (vtrùm ſcilicet figuram habeat antiquam, & probatæ monetæ) poſteà verò, vtrùm ſit legalis in pondere, ità dicens. *Nummularij, cùm numiſma recipiunt, priùs qualitatem illius, pòſt figuram, ad vltimum pondus examinant; ne ſub auri ſpecie æs lateat; aut hoc, quod veraciter aurum eſt, reprobæ notæ figura dehoneſtet; aut quod & aurum & rectæ figuræ eſt, hoc non integrum pondus leuiget. Cùm igitur mira ignotorum hominum facta conſpicimus* (videlicet de quorum intentione dubitamus) *reſidere ad mentis noſtræ trutinam quaſi ſolertes Nummularij debemus, vt priùs diſcretio aurum examinet, ne ſub virtute vitium ſe occultet, & quod praua intentione agitur, recti viſione pallietur. Quòd ſi intentionis qualitas approbetur, tunc impreſſæ mox formulæ figura quærenda eſt, ſi à probatis Monetariis, id eſt, ab antiquis Patribus ducitur, & ab eorum vitæ ſimilitudine nullò errore vitiatur. Cùm verò per intentionem qualitas, & recta per exemplum figura cognoſcitur, reſtat vt integrum eius pondus exquiratur. Bonum quippe, quod per Signa & Miracula coruſcat, ſi perfectionis ſummam non habet, penſari ſollicitè per cautelam circumſpectionis debet; ne dum imperfecta res quaſi pro perfecta accipitur, in accipientis damnum vertatur. Prædicatores itaque Antichriſti quomodò veram numiſmatis qualitatem tenent, qui in his, quæ agunt, intentionis rectæ vim neſciunt, quia per hæc, non cœleſtem patriam, ſed culmen gloriæ temporalis exquirunt? Quomodò à monetæ figura non diſcrepant, qui ab omni pietate Iuſtorum Iuſtos perſequendo diſcordant? Quomodò in ſe integritatis pondus oſtendunt, qui non ſolùm humilitatis perfectionem nequaquam aſſecuti ſunt, ſed neque ipſam primam eius ianuam contigerunt? Hinc ergo, hinc Electi cognoſcant, quomodò eorum Signa deſpiciant, quorum profectò actio omne, quod à piis Patribus geſtum memoratur, impugnat.* Illud autem eſt, aut Dæmonum proprium, aut Animalium ratione carentium, videre ſigna mortis, & mortem proximam non timere; ſentire tempeſtatis indicia, & tempeſtatem proximam non vereri.

Digitized by Google

§. Notandum autem, quòd quando aliquis per Scripturas inuehitur generaliter contra Pſeudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, vel Otioſos, vel Curioſos, vel Gyrouagos, vel alios Hypocritas Seductores populi Chriſtiani, neminem nominando, neminem ſpecialiter pulſando; oſtendens, quantum, & quomodò ſint Eccleſiæ & ſibimetipſis periculoſi; & vt à Chriſti Fidelibus poſſint facilius iuxta doctrinam Apoſtoli euitari, Signa quædam ex Scripturis demonſtrat, per quæ valeant à veris Prædicatoribus, & ab aliis Sanctis Hominibus aliquô modô diſcerni; per hoc neminem iudicat eſſe talem, vt ſit ille, vel ille cauendus; nec inuehitur aduersùs aliquos quaſi iam ſeducentes tamquam Aduerſarius; ſed ne tales fiant, monet omnes Chriſti Fideles tamquam Amicus. Ad inſtar Hieronymi *Ad Nepotianum* dicentis. *Non vt Aduerſarij, ſed vt Amici ſcripſimus; nec inuecti ſumus in eos qui peccant, ſed ne peccent monuimus.* Et infrà. *Nullum nomen de mea ſcriptura deſignatum eſt; neminem ſpecialiter ſermo meus pulſauit.* Per hoc etiam inſtruit Eccleſiam Dei, maximè Simplices, qui ſunt Scripturarum ignari, ne à talibus Seductoribus valeant circumueniri; ad inſtar Apoſtoli Eccleſiam ſimiliter inſtruentis, & eam contra tales ſpiritualiter munientis, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Fideles igitur.* Si quis ergo ad inſtar Apoſtoli ſimilia ſcribat & doceat, non eſt arguendus tamquam Aduerſarius, vel tamquam temerè iudicet de dubiis, aut de occultis; ſed potiùs commendandus tamquam Amicus, & tamquam Fidelium Eruditor fidelis, & tamquam obediens præcepto Apoſtoli hanc doctrinam inſtanter prædicare præcipientis, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Fideles igitur*, & tamquam ipſius Apoſtoli Imitator, ſecundùm quod ipſe monet 1. Corinth. 11. dicens. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Scriptura enim Apoſtoli, & cæteræ Scripturæ Diuinæ ad hoc in libris canonicis reſeruantur, vt per eas erudiamur, non tam de præteritis, quàm de futuris. Rom. 15. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c.* Sicut enim dicit Gregorius lib. 23. *Moralium* ſuper illud Iob 33. *Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit.* SACRA *Scriptura per exempla præcedentium, etiam vitam ſequentium informare curauit*, vt dictum eſt ſuprà in Prologo.

Explicit Quarta Diſtinctio.

INCIPIT QVINTA DISTINCTIO

IN QVA DOCETVR

PER QVOS, ET QVALITER DEBEANT

prædicta pericula repelli ab Ecclesia; Et qualiter punientur, qui in repellendo negligentes extiterint, vel remissi.

QVINTÒ, videlicet per quos, & qualiter sint dicta pericula repellenda, & quæ sit pœna negligentium in hac parte; sciendum est, quòd Prælati Ecclesiæ, qui eius Speculatores sunt & dicuntur, iuxta illud Ezechiel. 3. *Fili hominis Speculatorem dedi te domui Israel*; & ideò in extremo Iudicio, quando ab eis de gregibus sibi commissis ratio exigetur, Domino dicente Ierem. 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum*? necesse habebunt reddere rationem de periculis & damnis gregum suorum, ad instar Iacob dicentis ad Laban, cuius gregem pascebat Genes. 35. *Ego omne damnum reddebam tibi, quidquid furtò perierat, à me exigebas*; quibus etiam præcipuè dicitur Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, &c.* propter quæ fideliter ac diligenter implenda debent super gregibus suis assiduè speculari; iuxta illud Isa. 21. *Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus.* Ipsi, inquam, Prælati & Speculatores Ecclesiæ speculari debent semper, vtrùm talia pericula (qualia suprà descripta sunt) vel etiam alia immineant Ecclesiæ Dei, propè vel longè futura, & de illis subiectos suos sollicitè prænonere; nam sicut dicit

dicit Gloſſa Interlinearis ſuper illud Ezechiel. 3. *Speculatorem dedi te, &c.* SPECVLATOR *eſt, qui ſemper in alto ſtat, vt quidquid venturum eſt, longè antè proſpiciat, & ſubiectos præmoneat.* vt dictum eſt ſuprà in Prologo, §. *Nec expectandum eſt.* Nec enim multùm curandum eſt ſcire, poſt quantum tempus, ſiue longè, ſiue propè futura ſint dicta pericula, ex quo certum eſt procul dubiô, quòd ſint futura; ſed hoc ſolummodò curandum eſt ſcire, ſcilicet quomodò ſint futura, vt vigilemus parati, ſicut oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Nec opus eſt ſcire.*

§. Debent autem Prælati, ſiue Speculatores iam dicti, præmonere Subditos ſuos de illis periculis antequam veniant, ne ipſos inueniant imparatos, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Nec expectandum eſt;* ſicut Dominus quædam pericula Eccleſiæ ſuæ in nouiſſimis diebus futura prædixit, *Matth.* 24. vt Fideles Chriſti prænoniti vigilarent. Vnde ibidem ſuper illud, *Ecce prædixi vobis*, dicit Gloſſa. *Vt præſcij vigiletis, præmoniti eſtis.* Sic etiam fecit Apoſtolus 1. Thimoth. 4. cùm dixit. *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide*; & cùm dixit 2. Timoth. 3. *Hoc autem ſcito, quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa*, vt oſtenſum eſt ſuprà in Prologo, §. *Ideoque.*

§. Maximè autem ſpeculari debent Speculatores prædicti, vtrùm tales periculoſi homines (quales ſuprà deſcripti ſunt) iam multiplicentur, & plures appareant, quàm apparere ſoleant in Eccleſia Dei, vt ex hoc conijciant appropinqnare tempora periculoſa; nam, ſicut dicit Gloſſa ſuper illud 2. Timoth. 3. *Ex his ſunt, qui penetrant domos. IAM horum prænuntij quidam ſunt, ſed plures in fine futuri ſunt*, vt dictum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Apoſtolus autem.* Quos ſi multiplicari perſpexerint, debent eos arcere & repellere hôc modô. Si enim aliqui Prædicatores appareant in Eccleſia Dei, de quorum canonica miſſione, ſeu recta vocatione non conſtet; præcipuè, qui mores habeant Pſeudo-Prædicatorum & Penetrantium domos, ſecundùm Signa cognoſcendi eos prædicta in quarta diſt. vel etiam alia; debent ipſi Prælati Eccleſiæ & Rectores, inhibere illis omnes actus, per quos poſſint penetrare domos (Id eſt, proprietates cuiuſque rimari) vtpotè actum audiendi confeſſiones Fidelium, & pœnitentias iniungendi; item actum prædicandi, docendi, & generaliter omnia colloquia, quibus Fideles Chriſti ſeducere poſſunt, de quibus dictum eſt ſuprà diſt.

1. Vnde ſuper illud 1. Corinth. 15. *Nolite ſeduci*, dicit Gloſſa. *Per Pſeudo.* Et ſubiungit Apoſtolus. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala.* Gloſſa. *Aſſiduitas praui colloquij vitiat mentem; & ideò ab illis cauendum eſt*, id eſt *à Pſeudo*; Ipſi enim habent colloquia mala, videlicet adulationis & oſtentationis ſanctitatis, quibus ſeducunt (id eſt ad ſe ducunt) corda Innocentium, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. & 3. Conſequenter verò habent colloquia peiora; nam in fine, ſicut Iamnes & Mambres Magi Pharaonis reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, & proficiunt in peius errantes, & in errorem mittentes, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Deinde verò poſtquàm*, & §. *Poſteà autem.*

§. Si autem velint Prælati Eccleſiarum Pſeudo-Prædicatores breui quadam manu repellere; cauere debent, ne ipſi de Euangelio viuant, ſicut nec debent, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 4. in 42. Signo. Si enim de Euangelio non viuerent (recipiendo ſcilicet ſumptus ab Auditoribus ſuis) non diu prædicarent, vt dicit Gloſſa ſuper illud 2. Corinth. 11. *Vt amputemus occaſionem*, &c. vbi dicitur. *Occaſionem ſumendi ſumptus auferebat Apoſtolus Pſeudo-Apoſtolis, ſciens quod ſi non reciperent, non diu prædicarent.* Et certè experimentum iſtud infallibile Apoſtoli deberet trahi ad conſequentiam à Prelatis.

§. Cognitis etiam Pſeudo, debent Prælati præcipere Subiectis ſuis, vt eos & eorum doctrinam euitent dum fuerint tales, iuxta præceptum Apoſtoli 2. Timoth. 3. dicentis. *Et hos deuita.* Gloſſa. *Tales.* Id eſt, *dum fuerint tales.* Item Rom. vlt. dicit Apoſtolus loquens contra Pſeudo. *Rogamus vos, Fratres, vt obſeruetis.* Id eſt *diſcernatis.* Eos, *qui diſſenſiones & offendicula faciunt.* Gloſſa. *Id eſt, diſſentire, & inuicem offendere.* PROPTER *doctrinam, quam didiciſtis.* Gloſſa. *A veris Apoſtolis.* Quales videntur eſſe illi, qui ſuam mendicationem aſſiduam & pluribus oneroſam, docent & prædicant, non ſolùm licitam & meritoriam, verùm etiam perfectiſſimam eſſe vitam; eâ ratione, vt aſſerunt, quoniam propter Deum omnia reliquerunt, & in cultu eius mendicando perſiſtunt, prout quibuſdam libellis ab eis editis ſcribere præſumpſerunt; cùm tamen non ſint inualidi, nec aliter à præcepto Apoſtoli de operando corporaliter propter victum legitimè excuſati; præſertim cùm abſque mendicatione & corporali labore poſſent habere, ſi

vellent, modum alium iustè & sanctè viuendi. Cuiusmodi vita & doctrina contraria est vitæ & doctrinæ Apostoli, & aliorum Sanctorum Doctorum Ecclesiæ, prout satis ostensum est suprà dist. 2. Qualem etiam doctrinam videntur habere illi, qui iuxta traditiones suas, nullas (vt asserunt) possessiones etiam communes habentes, nec habere volentes, sed semper de mendicatione viuentes, ob hoc perfectiores se esse prædicant omnibus Prælatis Ecclesiasticis, nec-non Personis Regularibus vniuersis, qui de communibus Ecclesiæ bonis, iuxta morem antiquum à Sanctis Patribus institutum, communiter vitam ducunt; & hanc etiam doctrinam in prædictis libellis suis scribere præsumpserunt. Quæ doctrina, sicut & prima, contraria est vitæ & doctrinæ Apostolorum, & aliorum eos sequentium Sanctorum Patrum, qui de communibus bonis Ecclesiæ communem vitam duxerunt, & eumdem modum viuendi suis posteris reliquerunt, vt ostensum est suprà dist. 4. in Signo 11. §. *Ad illud autem*, cum sequentibus Paragraphis. Qualis etiam videtur esse doctrina illorum, qui docent & prædicant, opera pœnitentiæ, & alia opera de genere bonorum, à quibuscumque etiam infirmis, siue imperfectis, debere palàm fieri, & captatô plurimorum spectaculô publicè ostentari; contra doctrinam Dominicam, vt ostensum est suprà dist. 4. in 10. Signo. §. *Notandum*, cum tribus sequentibus Paragraphis. Omnes igitur talia dicentes, videntur esse iuxta doctrinam Apostoli, ad instar Pseudo euitandi. Vnde post præmissa subiungit Apostolus. *Et declinate ab illis.* Glossa. *Tangit Pseudo, quos in tota epistola cauendos monet.* Duplici autem ratione caueri debet à Pseudo & ab aliis inanis gloriæ cupidis; videlicet, *Ne eorum simulatione decipiamur, vel eorum exemplô ad amorem temporalis gloriæ inflammemur*, vt dicit Glossa super illud Luc. 20. *Attendite à Scribis.* Sciendum etiam, quòd illi Pseudo, qui potestatem Episcoporum Ecclesiasticam sibi vsurpant in Diocesibus alieni, inuitis Diocesanis, excommunicandi sunt; & etiam inuocandum est contra eos, si necesse fuerit, brachium sæculare. Extrà *De Officio Iudicis Ordinarij* cap. *Quoniam in plerisque*, in fine. Sic ergo patet, qualiter Pseudo-Prædicatores & Penetrantes domos sint ab Ecclesia repellendi.

§. Otiosi verò, & Curiosi, & Gyrouagi (quoniam & Ecclesiæ periculosi sunt, & contra doctrinam Apostoli viuunt,

vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Quoniam autem ex Otioſitate*, & Paragraphis ſequentibus) hôc modô arcendiſunt, & ab Eccleſia repellendi. Primò enim corripiendi ſunt, vt ab otio ſupradicto diſcedant, & à curioſitate ſupradicta deſiſtant; iuxta præceptum Apoſtoli 1 Theſſ. 5. dicentis. *Corripite Inquietos*. Gloſ. Id eſt. *Curioſos, & Gyrouagos*. Supple. *Et multòmagis Otioſos; quia Curioſitas & Gyrouagatio ex Otioſitate proueniunt*; vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. in Tractatu *De Curioſis*. §. *Et notandum*. Quia ſi incorrigibiles fuerint, debent excommunicari, iuxta præceptum Apoſtoli 2. Theſſ. 3. dicentis. *Denuntiamus vobis, Fratres, in nomine Domini Ieſu Chriſti*. Gloſſa. *Id eſt. Per Ieſu Chriſti authoritatem vobis præcipimus*. VT *abſtrahatis vos* (excommunicando ſcilicet & euitando, vt patebit infrà) *ab omni Fratre ambulante inordinatè*. Gloſſa. *Id eſt aliter, quàm ordo naturæ exigit*; videlicet ſecundùm quem debet homo in ſudore vultus ſui veſci pane ſuô. *Geneſ.* 3. niſi excipiatur à præcepto Apoſtoli ſupradicto diſt. 2. circa principium, §. *Sunt ergo Otioſi*. Vnde Auguſtinus in lib. *De Opere Monach.* cap. 3. vnde ſumitur Gloſſa iſta, recitans hanc eamdem authoritatem Apoſtoli ponit, *Inquietè*, pro eo quod dicitur hîc, *Inordinatè*. Quaſi diceret. *Abſtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inquietè, ſiue in otio corporali*. Sequitur. *Et non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis*. Gloſſa. *Id eſt. Non ſecundùm doctrinam, quam tradidimus eis*; videlicet de operando corporaliter, ne cogantur egeſtate Serui Dei mendicare; & de non curando (animi curâ, non manibus) negotia aliena, vt patebit infrà. Quam doctrinam tradidit eis Apoſtolus 1. Theſſ. 4. dicens. *Operemini manibus veſtris, vt nullius aliquid deſideretis*, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. 1. Quam etiam doctrinam exemplô ſuô confirmabat Apoſtolus; vnde ſubjungit. *Ipſi enim ſcitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos*. Gloſſa. *Vt illi qui aliena negotia curant vagantes hâc & illâc*. Supple. *Animi curâ, non manibus operando*, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 2. §. *Quoniam autem ex Otioſitate*. Sequitur. *Neque gratis manducauimus panem ab aliquo; ſed in labore & fatigatione* (Gloſſa. *Id eſt, in labore fatigante; videlicet, corporaliter operando*) *nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus*. Quaſi diceret. *Præcipimus vobis, vt ſeparetis vos ab omni Fratre Otioſo, & Curioſo, & Gyrouago*. Hoc eſt. *Excommunicetis tales Fratres*. Et hoc

patet per Gloſſam, quæ paulò antè dicit. *Hîc incipit de Curioſis, & Otioſis; monens bonos, vt eos corripiant; & qui noluerint facere, excommunicentur.* Item in eodem cap. dicit Apoſtolus. *Quod ſi quis non obedierit verbo noſtro* (videlicet *De Otioſis & Curioſis vitandis*, vt patet per Gloſſam) *per epiſtolam hunc notate.* Gloſſa. *Id eſt. Significate nobis, & nos aſperè increpabimus illum.* ET *ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Gloſſa. *Id eſt. Vt erubeſcat eiectus ab hominibus* (id eſt excommunicatus) *& ſic ſubdat ſe præceptis Apoſtolicis*; videlicet præcepto de operando manibus propter victum; & præcepto de non curando negotia aliena; & præcepto de manducando panem ſuum cum ſilentio; & præcepto de facientibus contrarium euitandis; quæ præcepta in eodem capitulo præceſſerunt. Sic ergo patet, quod Otioſi, & Curioſi, & Gyrouagi, primò corripiendi ſunt; deinde verò (ſi incorrigibiles fuerint) tam ipſi, quàm illi qui eos euitare neglexerint, excommunicandi. Et ſic patet, qualiter repellendo & arcendo periculoſos homines ſupradictos, repelli poſſunt quoquô modô pericula, quæ per eos in Eccleſia ſunt præſentia, vel futura.

§. Si verò Prælati & Speculatores prædicti circa prædicta negligentes extiterint, vel remiſſi; procul dubiô tam ſpiritualiter, quàm temporaliter punientur. Spiritualiter autem punientur tam in præſenti ſæculo, quàm in futuro. In præſenti enim punientur ſpiritualiter pœnâ excommunicationis ſpiritualis. Sicut enim Danieli viro deſideriorum, & ſtanti in gradu ſuo dictum eſt ab Angelo. *Veni autem, vt docerem te quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus populo tuo*, Daniel. 10. ita è contrario Prælatis non ſtantibus in gradu ſuo (Id eſt negligentibus ſtare ſuper ſpeculam Domini ſibi à Deo commiſſam, ad præuidendum & repellendum pericula ſupradicta, vt dicitur *Iſa.* 21.) non veniet Angelus, vel Dominus, ad docendum pericula, quæ ventura ſunt populo eis commiſſo in nouiſſimis diebus. Immô excæcabuntur corda eorum, ita vt non poſſint intelligere, veritatem de illis periculis, nec eam velint audire, nec etiam videre illius veritatis Scripturam, vel eius Prædicatores; vt impleatur in eis Prophetia Iſa. 6. dicentis. EXCÆCA *cor populi huius.* Id eſt. *Excæcabis, vt non poſſint intelligere veritatem prædictam.* ET AVRES *eius aggraua.* Id eſt,

Aggrauabis, vt nolint eam audire. ET OCVLOS *eius claude* Id est. *Claudes, vt eius Scripturam, vel eius Prædicatores nolint videre.* Nec mirandum, si Prælatos non stantes in gradu suo, & super speculam Domini state negligentes, dixerimus *Populum* appellari in authoritate prædicta, cum dicitur *Excæca cor populi huius, &c.* meritò enim dici possunt *Populus* Prælati prædicti tam negligentes & tam ignari, propter paritatem & similitudinem ignorantiæ & negligentiæ quam habent ad populum, siue ad populares; quia impletur in eis illud propheticum Oseæ 4. *Et erit sicut Populus, sic Sacerdos.* Ecce qualiter Prælati negligentes circa prędicta, punientur spiritualiter in præsenti, pœnâ excommunicationis spiritualis.

§. In futuro autem nihilominus spiritualiter punientur. Nam propter præsentem suam excæcationem spiritualem Subditi eorum à prædictis Seductoribus seducuntur, & seducti à Diabolis deuorantur; iuxta prophetiam Isa. 56. dicentis. OMNES *bestiæ agri.* Id est *Diaboli.* VENITE (Id est *venietis*) *ad deuorandum*, scilicet *populum seductum.* Et causam subjungit dicens. *Speculatores enim eius.* Id est *Prælati*, siue *Pastores eius.* CÆCI *omnes*, Peccata verò Subditorum propter Prælatorum excæcationem vel negligentiam seductorum, requirentur de manibus ipsorum Ezechiel. 37. *Sanguinem eius de manu tua requiram.* Sic ergo punientur spiritualiter negligentes Prælati, tam in præsenti, quàm in futuro.

§. Punientur nihilominùs propter negligentiam supradictam, etiam pœnâ temporali damni. Cum enim spiritualis potestas Ecclesiæ (quæ in prædicationibus, confessionibus, pœnitentijs, & alijs officiis Ecclesiasticis maximè consistit) ipsis Prælatis paulatim aut pedetentim subrepta extiterit à Pseudo-Prædicatoribus & Penetrantibus domos, qui cautè illam sibi arrogant potestatem, iuxta illud 13 q. 1. §. 1. *Frustatim Lupus comedit Agnum*; verisimile est, quod iurisdictio cæterorum, nec-non & possessio bonorum Ecclesiæ temporalium, apud ipsos Prælatos non diutiùs remanebunt; cùm illis solis debeantur Ecclesiæ bona carnalia, qui spiritualia bona ministrant; iuxta illud 1. Corinth. 9. *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt? & qui Altari deseruiunt, cum Altari participant?*

§. Caueant igitur Prælati Ecclesiæ, si sibi & Subditis suis

Digitized by Google

viderint expedire; ne præfatis infinitis, & incertis perſonis, poteſtatem & authoritatem ſuam, vel à ſe, vel à ſuo ſuperiori generaliter committendo; & ſic eos ſibi quodammodò in animarum regimine coæquando, vel etiam præponendo; paulatim ſuę prælationis authoritatem amittant; & ſic in anguſtiam & deſpectionem apud Subditos ſuos cadant; & per hoc, nec ſibi, nec illis proficiant, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. §. *Contemptus verò Prælatorum.* De hoc enim dicit Eccleſiaſticus cap. 33. *Rectores Eccleſiæ auribus percipite. Filio & Mulieri, Fratri & Amico, non des poteſtatem ſuper te in vita tua; & ne dederis alij poſſeſſionem tuam.* Gloſſa. *Omnes communiter admonet, vt iuris ſui rationem non omittant; quia aliter non poſſunt habere pacem & quietem. Qui enim primatus ſui authoritatem perdit? in anguſtiam & deſpectionem ſe mittit; qui autem locum ſuum ſapienter cuſtodit, ſe & ſuos ad profectum virtutis dirigit.* Item alia Gloſſa ibid. *Spiritualiter inſtruit Rectores Eccleſiæ, vt dignitatem vſque ad finem vitæ teneant, & Diſcipulos ſuos benè nutritos Hæredes laboris ſui relinquant.* Nota quod dicit Gloſſa. *Hæredes laboris ſui relinquant.* Quaſi diceret. *Non laboris alieni.* Prælatus ergo in propria perſona debet circa ſuos Subditos laborare, non ſemper alijs officium ſuum committere, vt laboris ſui fructum poſſit percipere. Sic ergo patet, qualiter per Prælatos Eccleſiæ ſint dicta pericula repellenda; & qualiter punientur Prælati, tam temporaliter, quàm ſpiritualiter, ſi in hac parte negligentes extiterint, vel remiſſi.

§. Cum igitur pericula ſupradicta per Diuinas Scripturas (ſi quis diligenter attendat) manifeſtiùs (vt oſtenſum eſt) declarentur, provt nobis videtur, ſine præiudicio ſententiæ melioris. Veritas autem Diuinarum Scripturarum ſit infallibilis; quia *Non poteſt ſolui Scriptura*, vt legitur Ioan. 10. Gloſſa. *Id eſt. Non poteſt argui falſitatis.* Et Matth. 24. *Cœli & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Gloſſa. *Sed ſicut dicuntur, ſine vlla immutatione implebuntur.* Spiritus enim Sanctus, qui locutus eſt in Apoſtolis & alijs prophetantibus de prędictis, mentiri non poteſt; *Nec enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sanctô inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*, vt legitur 2 Petri 1. Et ideo *Non erit vltrà omnis viſio caſſa*, vt legitur Ezechiel. 12. Reſtat vt omnes, qui

vt error noſter lateat, ſi fortè (quod abſit) per minorem intelligentiam in illis erramus; iuxta verbum Auguſtini *Ad Marcellianum* in Epiſt. 2. ſic dicentis. *Nimis peruersè ſeipſum amat, qui alios vult errare, vt error ſuus lateat.* Memoratas ergo ſententias ex diuerſis Scripturis collectas in præſenti Scriptura poſuimus, ſine præiudicio ſententiæ melioris; ſaluis etiam in omnibus & per omnia, Summi Pontificis, & Fratrum, & Coëpiſcoporum ſuorum diſpenſationibus & ordinationibus; quibus in aliquo derogare, nec volumus, nec valemus, vt dictum eſt ſuprà in Prologo, §. *Proteſtamur.*

§. Recolat tamen (quæſumus) Diſpenſator, ſi placet, illud B. Bernardi in lib. 4. De Conſideratione *Ad Eugenium Papam* dicentis. *Non ſum tam rudis, vt ignorem vos poſitos Diſpenſatores; ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter Diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt; vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Vtilitas (dico) communis, non propria. Nam cùm nihil horum eſt; planè non fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

§. Attendat igitur Diſpenſator (ſi placet) vtrùm publica exiſtat vtilitas; vel è contrario, vtrùm decoloretur Eccleſiaſtica Hierarchia, & pax Eccleſiæ diſſoluatur; ſi infinitæ & incertæ, atque à Prælatis Eccleſiæ non examinatæ perſonæ *Opitulationes* diſpenſatiuè fiant in Eccleſijs vniuerſis, ipſarum Prælatis irrequiſitis, nec requirentibus, ſed inuitis; & offendantur in hac parte contrariæ Canonicæ Sanctiones, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 1. Etſi enim aliquando diſpenſatiuè ſint aliqua permittenda, quæ ſola nocere non poſſunt; illa tamen diligenter cauenda ſunt, per quæ manifeſtè decoloratur Ordinationis Eccleſiaſticæ pulchritudo; maximè autem, quando non cogit neceſſitas, aut non extorquet manifeſta vtilitas. Vnde Gelaſius. *Etſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ, ſi cæterorum conſtet integritas, nocere ſola non valent; illa tamen magnoperè præcauenda ſunt, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſunt.* Et infrà. *Nullatenùs ſunt mutilanda, quæ nec neceſſitas vlla, nec Eccleſiaſtica prorſùs extorquet vtilitas,* vt legitur 1. q. 7. cap. *Etſi illa.*

§. Cum igitur Eccleſiarum Prælati ſufficienter ſint per vniuerſam Eccleſiam multiplicati; qui omnes, aut prædica-

re, aut Prædicatores certos & probatos habere tenentur; qui si non sufficiant, possunt ordinariè multiplicari, aut mutari, & alij subrogari, aut ad requisitionem Prælatorum possunt alij certi, & cogniti, ac probati, extraordinariè destinari, maximè cùm non sit assiduanda prædicatio, ne vilescat. Propter quod nulla videtur esse necessitas, vel imminere vtilitas, quod infiniti, & incerti, ac incogniti Prædicatores per vniuersam Ecclesiam destinentur, vt ostensum est suprà dist. i. §. *Sed iterum dicet aliquis*, cum quatuor sequentibus Paragraphis; immò magis confusionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & turbationem pacis Ecclesiæ inducere videantur, vt ostensum est suprà dist. 1. ab illo §. *Sed datô*, vsque ad illum §. *Verùm si Hierarchis.* Certum etiam sit, quod per Pseudo-Prædicatores, & Penetrantes domos, tot & tanta pericula (qualia suprà descriptæ sunt) futura sint in Ecclesia generali; præcipuè quoniam per eos seducendi sunt tam Prælati, quàm Subditi in Ecclesia generali, vt ostensum est suprà dist. i. versùs finem, §. *Præter dicta pericula.* Cùm etiam certum sit, quod ante aduentum Antichristi futura sit discessio generalis ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, & sic Ecclesia generalis scindenda & dissoluenda, & per consequentiam ferè totaliter interimenda, vt ostensum est suprà dist. 1. §. *Item vide.* Talis autem discessio generalis fieri non possit, nisi procurantibus Pseudo-Prædicatoribus & Penetrantibus domos, Satellitibus Antichristi, prędicantibus & seducentibus populum Christianum in Ecclesia generali, vt dictum est suprà dist. 1. §. *Item vide.* Talia verò pericula, etsi non omninò valeant impediri; expediret tamen ea cognosci à singulis ac diligenter caueri, & quantum fieri posset, differri. Idcircò summoperè cauendum esset, vt videtur, Ecclesiarum Prælatis; ne per aliquorum seductionem sub prætextu publicæ vtilitatis, infinitis & incertis, & à se, vel à superiori, non examinatis personis, quantumcumque literatis, quantumcumque habentibus speciem sanctitatis, generaliter committerent, aut permitterent officium publicè prædicandi, confessiones audiendi, & pœnitentias iniungendi, & talia officia faciendi in Ecclesia generali, in quibus maximè consistit regimen Ecclesiæ vniuersæ, & per quæ possint Christiani seduci, & prædicta pericula procurari; præsertim quibus regimen temporalium rerum suarum (in quibus minus esset peri-

culum) committere recuſarent. Et hoc, ne fortè cum illa, vel in illa multitudine Prædicatorum, Pſeudo-Prædicatores & Penetrantes domos fraudulenter ſubintrent; maximè cùm credere debeamus iuxta prophetiam Apoſtoli, quod inter Chriſtianos Prædicatores, & de ipſis ſurgent aliqui Pſeudo Chriſtianum populum decepturi, vt oſtenſum eſt ſuprà diſt. 3. §. *Non eſt igitur credendum.* Summoperè (inquam) cauendum eſſet, ne tales Prædicatores ſubintrent, vel ſurgant in Eccleſia Dei, & inducant pericula memorata, & ſit ruina hæc ſub manibus Prælatorum talem eis committentium poteſtatem; iuxta illud Iſaiæ 3. *Ruina hæc ſub manu tua.* A quorum Pſeudo ruinoſa & periculoſa poteſtate, miſericorditer dignetur Eccleſiam ſuam potenter defendere ac liberare, *Cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra*, vt legitur Matth. vlt. per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Explicit Quinta Diſtinctio.

SEQVITVR

TABVLA

DE SIGNIS

PER QVÆ PSEVDO-PRÆDICATORES diſcerni poſſunt à veris.

1. QVOD prædicant non miſſi, vel non canonicè miſſi. Ad pag. 336.
2. Quod prædicant contra vel præter veritatem Diuinę Scripturæ, vel tacent in dolo quod dicendum eſſet. Ad pag. 336.
3. Quòd prædicant veritatem in dolo, ad ſeducendum Subditos alienos, vt eos ſibi alliciant, & à Prælatis eorum auertant. Ad pag. 336. & 337.
4. Quod penetrant domos, id eſt rimantur proprietates cuiuſque; videlicet ingerendo ſe ad audiendum confeſſiones plebium non ſuarum, vt eas in ſuam redigant poteſtatem. Ad pag. 337.

5. Quod, vt dominari valeant Subditis alienis, vendicant nomini ſuo authoritatem, vocantes ſe Prædicatores, vel Opitulatores generales. Ad pag. 337. & 338.
6. Quod exceduntmenſuram in poteſtate, ſi eis aliqua committatur. Ad pag 338. & 339.
7. Quod libentiùs prædicant iam conuerſis & fidelibus, quàm ad fidem conuertendis; eò quod ab illis lætantiùs admittuntur & ſplendidiùs procurantur. A pag 339. ad pag. 342.
8. Quod non vadunt in ſuam legationem, ſed in alienam; videlicet ingerentes ſe ad Chriſtianos habentes ſuos Rectores. A pag. 342. ad pag. 344.
9. Quod quærunt vanam gloriam huius mundi. A pag. 344. ad pag. 346.
10. Quod commendant ſeipſos, & oſtentant bona ſua. A pag. 346. ad pag. 353.
11. Quod præferunt ſe alijs Hominibus, & Religioſis, & Eccleſiarum Prælatis. A pag. 353. ad pag. 384.
12. Quod faciunt nouas & ſuperſtitioſas traditiones, vt videantur ſanctiores. A pag. 384. ad pag. 392.
13. Quod plùs amant propriam gulam, quàm Legem Dei. Ad pag. 392.
14. Quod oſtentant eloquentiam ſuam. A pag. 392. ad pag. 394.
15. Quod oſtentant philoſophiam ſuam. A pag. 394. ad pag. 396.
16. Quod amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. A pag. 396. ad pag. 408.
17. Quod iactant ſe, fructum ſe facere in Eccleſia Dei. Ad pag. 408. & 409.
18. Quod iactant ſe de miraculis ſuis, vel ſuorum. A pag 409. ad pag. 413.
19. Quod arrogant ſibi quæ non faciunt. Ad pag. 413. & 414.
20. Quod per ſimulatam humilitatem erigunt ſe ad honores in hoc mundo. Ad pag. 414. & 415.
21. Quod ingerunt ſe Curijs, vel amant fieri Curiales. A pag. 415. ad pag. 420.
22. Quod quærunt fauorem humanum. A pag. 420. ad pag. 423.
23. Quod vacant amicitijs huius ſæculi acquirendis. A pag. 423. ad pag. 425.

24. Quod ſimulant ſe habere maiorem zelum animarum, quàm habeant Prælati earum. Ad pag. 425. & 426.
25. Quod, vt placeant hominibus, adulantur. Ad p. 426. & 427.
26. Quod licet ſint pauperes, tamen facilè inueniunt hoſpitia; quod veracibus Prædicatoribus & pauperibus non facilè contingit. Ad pag. 427. & 428.
27. Quod in tribulationibus ſunt impatientes. A pag. 428. ad pag. 433.
28. Quod odiunt illos, quos criminatores ſuos ſuſpicantur. Ad pag. 433. & 434.
29. Quod odiunt illos, qui volunt eos probare, vtrùm veri ſint Apoſtoli, vel Pſeudo. Ad pag. 434. & 435.
30. Quod immodeſtè arguunt, ſed non ſuſtinent correctionem. A pag. 435. ad pag. 439.
31. Quod illud, quod contra peruerſos generaliter dicitur, contra ſe dici ſpecialiter ſuſpicantur. Ad pag. 439. & 440.
32. Quod ſuper priuatis iniurijs iudicia & lites aſſumunt, contra doctrinam Apoſtoli & etiam Chriſti. A p. 440. ad p. 443.
33. Quod non amant ſibi aſperam veritatem. A pag. 443. ad pag. 445.
34. Quod nolentes illos recipere compellunt, vel compelli faciunt ad recipiendum ſe, contra doctrinam Domini. A pag. 445. ad pag. 447.
35. Quod contra Aduerſarios ſuos, contra exempla verorum Apoſtolorum, prouocant fautores ſuos. Ad p. 447. & 448.
36. Quod amant carnaliter, contra doctrinam Euangelii. Ad pag. 448. & 449.
37. Quod libenter viſitent domos Parentum, quas reliquerunt, contra eamdem doctrinam. Ad pag. 449. & 450.
38. Quod in principio lætanter recipiuntur, ſed poſteà reſpuuntur; cuius contrarium contingit in veris Apoſtolis. A pag. 450. ad pag. 452.
39. Quod amant curare negotia aliena, vt ſuauiùs viuant. Ad pag. 452.
40. Quod prædicant propter quęſtum. A pag. 452. ad pag. 457.
41. Quod indifferenter recipiunt, & importunè petunt; non ſolùm ad neceſſitates, ſed etiam ad voluptates. A pag. 457. ad pag. 462.
42. Quod egeſtate coacti euangelizant. Ad pag. 462. & 463.

Digitized by Google

SERMO MAGISTRI

GVILLELMI DE SANCTO AMORE

IN DIE SANCTORVM APOSTOlorum Iacobi & Philippi.

QVI amat periculum peribit in illo. FACTVS *est Sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans.*

Verbum secundò propositum scribitur in Ieremia cap. 20. qui propter verbum Domini, quod annuntiabat, multa opprobria & tribulationes & ignominias sustinuit, & tandem prorupit in hæc verba dicens *Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans*; & subdit. *Audiui multorum contumelias & terrores, Dominus autem mecum est tamquam Bellator fortis.* Hæc verba sunt ipsius Prophetæ; & hæc verba pro me possum dicere. Ego scio Ecclesiæ quædam pericula imminere & non potest fieri quin eueniant; vnde non possum tacere, sed oportet vt ea manifestem. Sed quod possum dicere ex Scripturis, scilicet quia non placet omnibus audire huiusmodi pericula, ideò quidam audientes me de his loqui derident & detrahunt mihi; sed habeo veritatem mecum. Vnde si me derident, hoc est ad vtilitatem meam; & ideò non dimittam dicere veritatem quæ est vtilis toti Ecclesiæ. Ac vt possim ardentiùs ac diligentiùs facere, in principio oremus.

Digitized by Google

Qui amat periculum peribit illo. Verbum istud scribitur in Ecclesiastico cap. 3. in quo ostenditur, quòd illi, qui proprium esse suo amant & quærunt periculum, necesse habent perire in illo. Et hoc est quod dicit Esaias cap. 5. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*; anima enim sine scientia perit. Salomon in Prouerbiis cap. 5. *In iniquitate sua morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Peccator scilicet, qui non habet disciplinam, quia non habet scientiam de vitandis periculis, peribit. Omnia peccata mortalia, pericula sunt; nec quælibet pericula, sed pericula mortis æternæ. Sed inter pericula parua & magna illud periculum, quod est duorum, vel trium, vel decem, vel centum, hoc est magnum periculum. Sed periculum, quod omnibus & toti Ecclesiæ imminet, maximum est periculum; & ideò de tali periculo, quod est omnibus commune, maximè est curandum. Vnde quidam mirantur, quare Ego non prædicem de luxuria, superbia, auaritia, & gula, sed de peccato hypocrisis specialiter; & etiam detrahunt mihi apud Magnates & in Curia Dómini Papæ, & dicunt quòd ego non prædico contra pompam mundi, nec contra luxuriam, sed contra hypocritas tantùm. Sed hæc est ratio quare Ego facio; quia si Medicus aliquis esset qui totum mundum haberet in cura sua, & videret quòd omnes ferè essent in vna magna infirmitate, & duo vel tres ex omnibus haberent vnam modicam infirmitatem; non reputaretur ille bonus Medicus, nisi maiorem curam & sollicitudinem adhiberet illi graui infirmitati omnium, quàm modicæ infirmitati istorum duorum vel trium. Sed & ita in hac parte dico, quòd omnia peccata mortalia, quotquot sunt, pericula sunt; sed tamen totus mundus hæc peccata non facit, quia in bonis Religiosis non regnat luxuria, nec in bonis Actiuis regnat Auaritia, & sic de aliis; & ideò dico à pari, quia alia peccata non sunt ita communia omnibus sicut peccatum hypocrisis, quô ferè tota Ecclesia, vel pro majori parte infecta est; ideò de tali periculo valde vtile est prædicare, vt illi, qui audiunt, ab hoc se possint custodire. Vnde omissâ commendatione & laude Sanctorum Apostolorum Iacobi & Philippi (quorum hodie est festum) de istis periculis videamus. Circa hæc pericula quinque possunt notari. *Primò* enim ostendendum est, quòd hæc pericula debent

bent venire. *Secundo*, quæ ſint hæc pericula. *Tertiò*, per quos venient hæc pericula. *Quartò*, quibus modis illi mittent hæc pericula in mundum. *Quintò*, quomodò iſti, per quos venient, ſint cognoſcibiles.

Primò ergo videndum eſt *Quòd hæc pericula debent venire*; & quòd debeant venire oſtendo per Authoritates; ſcilicet per Apoſtolum & ipſum Chriſtum. Apoſtolus enim dicit 2. ad Timoth. cap. 3. *Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.* Ergo pericula venient. Sed Chriſtus dicit in Euangelio Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi*; & dicit hæc inter pericula, quæ minatur debere venire ante ipſum Chriſtum. Et poſſet hoc probari per alios teſtes, ſed iſti ſufficiunt; vnde conſtat, quòd pericula venient.

Secundò videndum, *Quæ ſint hæc pericula quæ venient.* Dicam autem vobis quæ ſint hæc pericula, & nihil addam de meo, ſed per Scripturas oſtendam. Vnde dicitur Ieremiæ 9. *Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in Fratre non habeat fiduciam.* Nonne hoc eſt magnum periculum? nec ſolùm corporis, ſed etiam animæ; quia de ſalute animæ in nullo ſe poteſt homo certificare. De hoc periculo dicitur Michææ 7. *Nolite credere amico, nolite confidere in duce; ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Nonne ergo hoc erit magnum periculum, quòd vir vxori ſuæ, cum qua ipſe eſt corpus vnum, ſuum ſecretum manifeſtare non poterit? Vnde Gloſſa ſuper illud, *Nolite credere Amico*, dicit. *Amico, id eſt Pſeudo-Prophetis, qui fingunt ſe amicos & non ſunt.* Pſeudo-Apoſtoli ſunt Pſeudo-Prophetæ. Ad idem dicit Dominus in Euangelio Matth. 10. *Tradet Frater Fratrem in mortem, & Pater Filium; & inſurgent Filij in Parentes, & morte eos afficient.* Nonne ergo iſtud erit magnum periculum? & impoſſibile eſt hæc non euenire, quia Veritas hoc dicit, & ideò oportet quòd eueniant. Multa erunt alia pericula, ſed ad præſens hoc dico vobis.

Tertiò videndum *Per quos hæc pericula venient.* Sed numquid venient pericula per Principes & Barones primò? Certè non principaliter; tamen illi, per quos venient, multos habebunt Principes & Barones pro ſe. Vel, numquid venient per Milites armatos, vel per Burgenſes benè veſtitos? Certè

non; ſed per illos, qui prætendunt ſpeciem ſanctitatis exteriùs, intrà verò ſunt pleni dolò & malitiâ. Et quòd ita ſit, oſtendo per Apoſtolum, qui 2. ad Timoth. 3. poſtquàm enumerauit multa pericula ventura, dicit quòd per illos venient, qui plùs de ſuo honore, quàm de Dei laude quærunt; & iſti erunt pleni peccató & prætendentes *ſpeciem pietatis*. Gloſſa. *Id eſt Religionis.*

Sed quomodò ſcietur hoc, *Quòd plùs honorem ſuum quàm Dei laudem quærunt*? Vnum ſignum eſt ad hoc, *Quòd plùs ſe quàm veritatem diligunt*, quia etiam non poſſunt pati, quòd veritas de ipſis dicatur. Vnde Gregorius in Paſtorali. *Qui peruerſa vult agere, & ad ea cæteros vult tacere; ipſe ſibi teſtis eſt, quòd plùs ſe quàm veritatem vult diligi, quoniam contra ſe non vult diligi.* Et Apoſtolus dicit, quòd amabunt plùs honorem ſuum quàm veritatem, & nolunt quòd de eis malum dicatur. Vnde ſuper illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 6. *In charitate non ficta* dicit Gloſſa Auguſtini. *Pſeudo ſimulant charitatem, vt facilius decipiant.* Ergo hæc pericula venient per illos, qui pietatem & charitatem ſimulant. Vnde dicit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum*; ſcilicet in illis qui videntur eſſe Angeli per honeſtam conuerſationem exteriùs. Angeli ſunt Nuntij Domini. Hi autem per ſpeciem ſanctitatis & religionis facilè poſſunt homines decipere. Sic ergo patet per prædicta Sanctorum teſtimonia, quòd pericula per illos euenient, qui foris ſpeciem ſanctitatis prætendunt ad hoc vt decipiant.

Sed quoniam aliqui ſunt, qui meliùs credunt verbis Chriſti quàm Sanctorum, ideò teſtimonium Chriſti ad hoc inducam. Equidem veris Sanctis credendum eſt ſicut Chriſto, quia quod Sancti dicunt Chriſtus dicit, quia dicitur in Euangelio Matth. 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Sed ad maiorem confirmationem videte quid Chriſtus ipſe dicit Matth. 24. vbi loquitur de periculis, quæ ventura ſunt ante tempora Antichriſti; dicit enim ſic. *Multi Pſeudo-Prophetæ ſurgent & ſeducent multos.* Gloſſa. *Qui in humilitate ex falſa religione ambulant.* Et iſti multos decipient; vnde dicitur 2. ad Corinth. 11. *Eiuſmodi Pſeudo-Apoſtoli ſunt Operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum; ipſe enim Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Ange-*

lum lucis. Non est ergo magnum, si Ministri eius transfigurentur velut Ministri Iustitiæ. Super illud verbum *Subdoli* dicit Glossa Augustini *Callidè sub specie religionis decipientes.*

Sed dicet aliquis. Benè videmus, quòd pericula venient per tales qui prætendunt speciem sanctitatis; sed tamen de Bonis hoc non est verum. Benè concedo hoc; sed tamen istorum, per quos venient, pericula erunt opera de genere bonorum. Ne miremini, quòd Prophetas Prædicatores voco; quia dicit Glossa. *Prophetas, id est Scripturæ Explanatores.* Quòd autem ipsi faciunt opera de genere bonorum, hoc dicit Dominus Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Glossa. *Per fructus perdurabiles.* Sed dicit Glossa, quòd non debent attendi opera quæ ostendunt, Vnde Glossa. *In conspectu hominum similes sunt Ministris Iustitiæ, dum ieiunant, orant, eleemosynas dant; sed isti non sunt fructus eorum, quia hoc faciunt vt decipiant.*

Sed tunc dicet aliquis. Nonne credendum est omnibus qui benè prædicant de peccatis? Certè non omnibus talibus est credendum, quia dicit Dominus in Euangelio Matth. 7. *Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.* Et hæc dicet talibus in iudicio. Non ergo omnibus est credendum qui benè de peccatis prædicant.

Sed tunc adhuc dicet aliquis. Si videamus quod benè prædicent, non est eis credendum; si videamus quod faciunt miracula & virtutes, numquid credendum? Certè non; quia Dominus, quando per tales facit miracula, benè facit propter conuersionem & vtilitatem illorum, quibus prædicant; tamen propterea non est eis magis credendum. Vnde super illud verbum *Virtutes multas fecimus*, dicit Glossa. *Maximè cauendum est ab ijs, qui propter nomen Christi etiam miracula habent; quæ cùm propter Infideles Dominus fecerit, monuit tamen ne ab illis decipiamur putantes ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi est visibile miraculum. Quàm mundo ergo & simplici oculo opus est, vt inueniatur sapientia inter tot deceptiones.* Et tales habebunt habitum sanctitatis. Vnde super illud Apocalyps. 6. *Et cùm*

Digitized by Google

aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti Animalis dicentis, veni & vide; & ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, Glossa dicit; quòd Ioannes ponit duas Prophetias, & ponit triplicem persequutionem Ecclesiæ signatam per triplicem Equum quem vidit; videlicet Equum rufum, nigrum, & pallidum. Sensus est & non verba. Et dicitur ibi quòd per Equum rufum signatur persequutio facta per Tyrannos, qui semper sæuitiam exercuerunt in Apostolos & Sanctos Martyres; per nigrum Equum signatur persequutio Ecclesiæ facta per Hæreticos tempore Beatorum Hilarij & Augustini (tempore enim illorum magnam sustinuit Ecclesia persequutionem per Hæreticos) sed Equus pallidus signat persequutionem Ecclesiæ imminentem per Hypocritas. Vnde dicit ibi Glossa. *Videns Diabolus per apertos Tyrannos & manifestos Hæreticos se non posse proficere, mittit falsos Fratres, qui sub habitu sanctitatis homines subuertant.* In veritate Diabolus per Tyrannos Ecclesiam destruere conabatur in hoc quòd Apostolos & alios Sanctos morti tradebant; sed in veritate in se magis Ecclesia exaltata est & sublimata, sicut patet in Francia in duobus locis. Per mortem Sancti Dionysij Ecclesia apud Sanctum Dionysium ditata est, & ipse Rex cum omnibus suis ad fidem conuersus est. Hoc etiam patet in Ecclesia Remensi, quæ per mortem Sancti Nicasij ditata est & sublimata. Vnde cùm videret Diabolus quòd per Tyrannos fides Ecclesiæ multiplicaretur & confirmaretur, misit posteà Hæreticos, in quos Sanctus Hilarius & Sanctus Augustinus fidem defenderunt, in tantum quòd Hęresis ablata est Sed videns quòd per istos duos Equos nihil proficeret, vltimò misit Equum pallidum, id est Hypocritas & falsos Fratres, qui sub habitu sanctitatis Ecclesiam perturbent; & persequutio tertia Hypocritarum maior erit aliis duabus præcedentibus, sicut dicit Augustinus in Glossa super Psalterium super primum *Confitebor.*

Quid ergo faciendum est, cùm non sit credendum habitui eorum, nec miraculis, nec ieiunijs, nec orationibus eorum? Certè hoc idem quæritur in Glossa, & respondetur. *Quàm ergo mundò & simplici oculò opus est, vt inueniatur sapientia inter tot deceptiones.* Magnum ergo est periculum quòd pericula Ecclesiæ imminentia per tales euenient, quibus omnes credent. Gregorius in Pastorali. *Nemo plùs nocet in Ecclesia Dei*

quàm qui peruersè agens nomen habet ſanctitatis & Ordinis. Et Auguſtinus dicit de falſis Religioſis. *Sicut non inueni meliores quàm qui in Monaſterio profecerunt, ſic non inueni deteriores quàm qui in clauſtro defecerunt.* Patet ergo quòd pericula ſint ventura, & quæ ſint, & per quos venire debent, quoniam per illos quibus omnes credent. Et in hoc maximè conſiſtit periculum.

Quartò videndum eſt, *Quomodò venient iſti qui pericula inducent.* Et Apoſtolus oſtendit in multis locis, quòd iſti erunt qui non habebunt curam animarum, & per totum mundum prædicabunt, & prædicabunt non miſſi; quia ſicut dicit Apoſtolus Rom. 10. *Quomodò prædicabunt niſi mittantur?* vbi dicit Gloſſa. *Non ſunt veri Apoſtoli niſi ſint miſſi.* Duo enim tantùm genera prædicatorum miſſa ſunt, videlicet duodecim Apoſtoli & ſeptuaginta duo Diſcipuli *Lucæ* 10. & dicit Gloſſa. quòd Apoſtoli ſunt Epiſcopi, Diſcipuli Presbyteri; vnde dicit Gloſſa. *Apoſtolorum formam tenent Epiſcopi, ſed Diſcipulorum formam tenent Presbyteri.* Verum eſt quòd alij ſunt Vicarij Epiſcoporum ſicut Archidiaconi, & illi poſſunt ſupplere vicem Epiſcoporum. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia Opitulationes.* Gloſſa. *Id eſt opem maioribus ferentes, vt Archidiaconi Epiſcopis.* Epiſcopus enim ſi non vult in ſua Dioceſi prædicare, poteſt alium vocare; aliter alius non poteſt in ſua Dioceſi prædicare, ſicut nec ipſe in Dioceſi alterius niſi vocatus; & de hoc habetur 9. q. 2. per totum, & can. *Hortamur* 6. q. 3 quia nullum officium Epiſcopus extra ſuam Dioceſim exercere poteſt niſi requiſitus; ſicut nec Presbyter extra ſuam Parochiam. Et quod dico de Epiſcopis, intelligendum eſt de Archiepiſcopis & maioribus Prelatis. Vnde dicit Apoſtolus 2. ad Corinth. 10. quòd qui vult prædicare non miſſus, ſua prædicatio non eſt propter honorem Dei, ſed ſe honorari quærit; quia *Non qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Gloſſa. *Qui prædicat non miſſus.* Talis enim non eſt idoneus, ſed præſumptor & reprobus; & tales ſeparantur à Chriſto. Vnde ſuper illud 2. ad Corinth. 10. *qui gloriatur, in Domino glorietur*, dicit Gloſſa Auguſtini. *In Domino glorietur, quòd non poteſt qui non eſt miſſus; talis enim, ſi prædicat, gloriam ſuam quærit.*

Sed & quæ ipse Spiritus sanctus non tacet, quæmodo pro-
pheta dicit, quæ ipse Spiritus sanctus non tacet, quæmodo
propheta dicit, quæ ipse Spiritus sanctus non tacet, quæmodo
dicit, quæ ipse Spiritus sanctus non tacet, quæmodo propheta, &c.
Sed & quæ ipse Spiritus sanctus non tacet, quæmodo propheta
dicit. Lectio plus quàm pleniss. Spiritus sanctus non tacet.
Tralatitium. Sæpe nunc ad nos dicunt sancti patres. Tralatitium.
Quæmodo propheta dicit. Lectio. Quæmodo propheta dicit.
Aliquoties nunc ad nos dicit. Lectio. Aliquoties nunc ad nos
dicunt. Sed Prophetæ Apostoli tantùm nunc ad nos dicunt.
Tralatitium. Sæpe nunc ad nos dicunt sancti patres. Lectio.
Sæpe nunc ad nos dicit. Sed Prophetæ Apostoli tantùm nunc
ad nos dicunt. Tralatitium. Sæpe nunc ad nos dicunt sancti
patres. Lectio. Sæpe nunc ad nos dicit. Sed Prophetæ Apostoli
tantùm nunc ad nos dicunt. Tralatitium. Sæpe nunc ad nos
dicunt sancti patres. Lectio. Sæpe nunc ad nos dicit. Sed Pro-
phetæ Apostoli tantùm nunc ad nos dicunt. Tralatitium. Sæpe
nunc ad nos dicunt sancti patres. Lectio. Sæpe nunc ad nos
dicit

contra illos. Et tunc erit magnum periculum.

Sed numquid iſti facient plùs? Certè ſic. Vnde dicit Apoſtolus *In prophetia ſua* 2. ad Timoth. 3. & benè dico *In prophetia*, quia hæc eſt prophetia Apoſtoli, quæ reuelauit per Spiritum Sanctum futura; & ibi dicit Apoſtolus. *Ex his ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas.* Quia laborabunt ad hoc vt ſciant conſcientias hominum; & primò mulierculârum, & per illas conſcientias virorum; ſicut Diabolus ſeducendo Euam etiam ad ſe duxit Adam. Gloſſa ad literam. *Domos ingredientur.* Qui enim vult violenter intrare domum, non facit viam per quam locum intret. Frangit ergo domum; ſed quomodo? mediante ſecuri? Immò frangit domum, id eſt conſcientiam. Quod autem domus ſit conſcientia dicit Eccleſiaſticus cap. 32. *Præcurre prior in domum tuam.* Gloſſa. *Id eſt in domum conſcientiæ tuæ.* Ille autem frangit domum, qui in conſcientiam aliter quàm per oſtium intrat. Oſtium conſcientiæ eſt ille qui habet curam animarum; & qui aliunde quàm per illum in conſcientias hominum intrat, latro eſt; teſtante Dominô Ioan. 10. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aliunde aſcendit, ille fur eſt & latro.* De hac domo, quam iſti ſic penetrabunt & frangent dicitur alibi *Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim ſunt inſidiæ doloſi*; & eſt in Eccleſiaſtico cap. 11. Non cuilibet conſcientiam tuam manifeſtare debes in confeſſione, quia quidam ſunt doloſi qui plùs de ſua laude quàm de ſalute animarum curant; vnde ſequitur ibidem. *Admitte alienigenam & ſubuertet te, & abalienabit te à ſuis proprijs*; ſcilicet ſi confiteris illi qui non habet clauem conſcientiæ tuæ, nec ipſe poteſt abſoluere animam tuam; quia talibus plùs credent homines quàm ſuis Epiſcopis, quàm ſuis Presbyteris. Iſti ergo frangent domos. Sed quare? Ratio huius ſequitur ſtatim poſt. *Et captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis*; quando ſcilicet Subditos ex poteſtate ſui Prælati ducent; & hoc eſt ſatis magnum periculum; & hoc dicit Apoſtolus, & Spiritus Sanctus per ipſum.

Sed numquid plùs facient? Certè ſic; quia *Quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtent veritati.* Iſti fuerunt duo Incantatores, & reſtiterunt Moyſi in Ægypto & fecerunt miracula per Incantationes ſuas ita quòd non cre-

didit Rex Moysi; sic & isti veritati resistent. Sed posteà quid? Erunt homines mali & Corruptores fidei; & erunt errantes & in errorem mittentes. Vnde dicitur 1. ad Timoth. 4. *Spiritus autem manifestè dicit quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris.* Vnde super illud Psalmi 9. *Constitue Domine Legislatorem super eos*, & est in primo *Confitebor*, dicit Glossa. *Id est Antichristum latorem legis praue.* Nec solùm Antichristus faciet malam legem, sed etiam membra sua multas malas leges facient.

De istis periculis iam habemus quædam Parisiis, scilicet librum illum, qui vocatur *Euangelium Æternum*; Et nos vidimus non modicam partem illius libri; & audiui quòd vbicumque est, tantum vel plus contineat ille liber quàm tota Biblia; & ibi docetur, *Quòd Sacramentum Ecclesiæ nihil est*, & *Quòd Euangelium Christi non sit verum Euangelium*; sed docetur ibi & dicitur *Quòd ille liber sit Euangelium Spiritus Sancti*, & dicitur esse *Euangelium Æternum*; & dicitur ibi *Quòd tantùm per quinque annos adhuc Euangelium Christi prædicabitur*; nec sunt ista pericula huius libri penitùs noua, immò sunt quinque anni quòd primò sunt inchoata; & ideo dicitur *Quòd illi*, per quos hæc pericula venient, *dabunt aliam legem viuendi, & aliter disponent Ecclesiam.* Quod est execrabile & abominabile dictu; quia Ecclesia, quæ tenet fidem Christi, est disposita ad modum illius quem ostendit Dominus in monte, vbi dixit Exodi 25. *Inspice & fac secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Hæc etiam Ecclesia ordinata est ad modum illius cœlestis Curiæ; quia Dominus ostendit Apostolo Paulo Ecclesiam Triumphantem, ad cuius exemplar & similitudinem ipse Ecclesiam Militantem ordinauit. Dicit autem Dionysius in Hierarchia Angelica *Quò sicut illi sunt ordinati in Hierarchia Angelica, quòd quidam gubernant; quidam gubernantur; sic & in Hierarchia Ecclesiastica esse debet, quia quidam debent gubernare, quidam gubernari. Illi qui gubernant, sunt vel Episcopi, vel Presbyteri. Sed gubernandi sunt in triplici differentia, videlicet Christiani, Catechumeni, & Religiosi.* Vnde & Religiosi non debent gubernare, sed gubernari; inquantum Religiosi. Verum est, si Religiosus fuerit Episcopus, potest gubernare; vel si Religio habet sibi curam animarum connexam; sicut isti Canonici Regulares, illi regere possunt, & non alij. Vnde quando veniet ad vos talis qui

regi

ung & non respectabat, & illum absentibus suis Comitibus ex mille qui erant circa illum Dominum, non inveniebat qui ei responderet, nec unum ex omnibus qui ei adhærebant. Vade ergo Iacobe, vade & tu ad tuos socios, & dic illis quæ vidisti, & quæ audisti, & quæ tibi acciderunt. Et ecce Iacobus ad suos socios reversus, dixit illis quæ vidit, & quæ audivit, & quæ ei acciderunt. Et ecce omnes socii ejus ad unum omnes ad Dominum reversi sunt.

Quinta & ultima similitudo est. Per quas figuras, & per quas similitudines, Dominus noster Jesus Christus, Ecclesiæ suæ Sponsæ quod Ecclesia Christi sit, & quæ Ecclesia Christi esse debeat, ostendit? Quia non pauloque magnificabilius, ac verius, quam per Ecclesiam Christi, nihil dici, nihil cogitari potest. Ecclesia Christi, Ecclesia Dei vivi, Ecclesia Dei omnipotentis. Vox omnes in unum conclusit mihi. Non enim ego, non tu, non ille, non illa, non illi, non illæ, non illa, non illud, non Catholicus de sua parte, non Hæreticus de sua parte, non Judæus, neque Ethnicus per se quisquam est, qui Ecclesiam Christi, Ecclesiam Dei vivi, Ecclesiam Dei omnipotentis, non ad se pertinere, & in se esse, & ad se venire, & in se venire, & ad se redire, & in se redire, & ad se reverti, & in se reverti, & ad se recurrere, & in se recurrere, & ad se recipere, & in se recipere, & ad se colligere, & in se colligere, & ad se congregare, & in se congregare, & ad se unire, & in se unire, & ad se copulare, & in se copulare, & ad se adunare, & in se adunare, & ad se adjungere, & in se adjungere, & ad se incorporare, & in se incorporare, & ad se consociare, & in se consociare, & ad se annectere, & in se annectere, & ad se inserere, & in se inserere, & ad se ingredi, & in se ingredi, & ad se introire, & in se introire, & ad se intrare, & in se intrare

quibus dicit Apostolus 2. ad Timoth. 3. *Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Sed quomodò potest hoc esse, quòd semper discant, & in cognitionem veritatis non deueniant? & Ego dico quòd Apostolus non loquitur ibi de veritate verborum, vel de veritate sermonis; sed loquitur de veritate vitæ, ad cognitionem enim veritatis vitæ non deuenient; quia sicut dicitur Ioan. 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem, sed qui malè agit, odit lucem.* Et de hac veritate loquitur Apostolus, scilicet de veritate vitæ; quia in veritate verborum & Scripturæ benè habent notitiam veritatis. Ergo patet per Apostolum quòd erunt viri literati.

Item super illud Iob 16. *Hostis meis terribilibus oculis intuitus est me*, Glossa dicit. *Vt Christus in sua prædicatione idiotas & simplices elegit, ita è contrario Antichristus ad falsitatem suam astruendam duplices, astutos, & huius mundi habentes scientiam electurus est, & postea occidet Professores Christianæ fidei.* Nec solùm Antichristus tales est electurus, sed etiam membra sua, quia, vt Christus & membra sua (scilicet omnes qui faciunt voluntatem eius) vnum sunt, ita Antichristus & membra sua (scilicet omnes qui doctrinam eius sequuntur) vnum sunt.

Nec mirum si isti procurabunt quòd Professores fidei Christianæ occidantur, quia dicitur in Apocalypsi cap. 13. *Vidi bestiam ascendentem de mari, habentem capita septem, cornua decem;* & loquitur ibi Ioannes in figura, & Glossa dicit quòd *Bestia est Antichristus & membra sua, qui sunt vnum, sicut Christus & membra sua;* & Ioannes dicit in 1. Epist. cap. 2. *Antichristus venit.* DE MARI, *id est*, vt dicit Glossa, *de populo multo*, HABENTEM *capita septem.* Glossa. *Id est innumeros Principes.* ET *Cornua decem*, quia Principes opponent se decem præceptis; & ideò illi qui sunt in lege Christi, benè debent sibi cauere quando viderint tales, quia illi erunt viri literati & docti; sed quantò doctiores & sapientiores, tantò magis timendi & præcauendi. Item ipsi facient illos occidi qui hæc pericula prædicant & manifestant; vnde de eis dicitur in Apocalyps. cap. 9. *Et cruciatus eorum vt cruciatus Scorpij cùm percutit hominem.* Scorpio est viua bestia, quæ blanditur ore & pungit caudâ, & illa punctura vix percipitur; sed nisi citò remedia adhibeantur, venenum hominem interficit. Sic & ipsi facient; vnde dicit

Digitized by Google

Gloſſa. *quòd per ſeipſos non tormentabunt, ſed apud Seculares Principes accurabunt.* Sic ergo patet quòd erunt viri literati.

Sed quia multi ſunt literati, ideò adhùc ſumus ſatis à remotis; ideò accedemus propiùs, vt magis ſpecificemus. Multi enim ſunt literati Pariſiis, vt iam dixi; ſed quibuſdam magis, quibuſdam minùs creditur. Et cùm tales debeant homines decipere, oportet quòd prætendant ſpeciem ſanctitatis, vt dixi; vnde etiam Scriptura dicit quòd tales erunt quòd reputabuntur electa membra Redemptoris; quia illi plùs electa membra Chriſti credentur. Vnde ſuper illud Iob 30. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illicò inſurrexerunt*, dicit Gregorius lib. 20. Moralium. *Hi ad perſequutionem Eccleſiæ proſilient, qui electa membra Redemptoris credebantur.* Et ſic patet quòd tales erunt, qui perfecta membra Chriſti reputantur.

Sed adhuc ſumus à remotis, vnde accedendum eſt magis propè; & ideò dico quòd ipſi erunt viri magni conſilij; quia qui poterit eos habere in conſilio ſuo, videbitur ei quòd habebit conſilium à Domino. Vnde dicitur lib. 2. Reg. cap. 15. quòd Dauid habuit filium qui vocabatur Abſalom, qui habuit Conſiliarium Achitophel. Et iſte Achitophel procurauit per conſilium ſuum quòd Abſalom Patrem ſuum Dauid de Regno eiiceret; & dicitur ibi cap. 16. quòd fuerit cum Patre & Filio, & quòd *Conſilium, quod dabat Achitophel in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum; ſic erat omne conſilium Achitophel, & cùm eſſet cum Dauid, & cùm eſſet cum Abſalom.* Dauid interpretatur *Manu fortis*, vel *Aſpectu deſiderabilis*. Abſalom interpretatur *Amaritudo*. Achitophel interpretatur *Frater meus eruens*, vel *tractans*, vel *cogitans*. Per Dauid ergo Chriſtus ſignatur; per Abſalom Antichriſtus qui erit homo & creatura Dei, quia etiam Diabolus creatura Dei eſt. Achitophel ſunt iſti qui priùs ſe coniungunt Chriſto, & poſteà ſunt contra Chriſtum; ſicut iſte Achitophel priùs fuit cum Dauid, & poſteà fuit contrarius ei. Quamdiu enim iſti erunt nobiſcum, pro magnis Conſiliarijs reputabuntur; ſed poſtmodùm opponent ſe fidei Chriſtianæ: & ideo cùm videbitis tales, nolite vos eis committere. Signa ſeptem ad præſens ponam, quibus poſſint cognoſci; licet multa poſſim oſten-

dere, tamen causâ breuitatis temporis hæc sufficiant.

Vnum est *Quòd tales volunt viuere de Euangelio, & de confessionibus audiendis.* Quòd autem tales non sunt veri Prædicatores, patet per Apostolum qui dicit 1. ad Timoth. Existimantes *quæstum esse pietatem.* Glossa. *Opus pietatis faciunt, Id est prædicant, vt lucra temporalia accipiant; quia pro quæstu prædicant, non fructu; quia ipsi volunt honorari & laudari.* Item super illud ad Philipp. 1. *Quid enim? dum omni modò siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo,* dicit Glossa. *Pseudo ex occasione euangelizant quærentes commoda, vel pecuniaria, vel honorum, vel laudis humanæ.* Veritas in dolo est quando non prædicant, nisi propter commodum temporale. Vnde dicit Glossa. *Pseudo tria commoda de prædicatione quærunt; scilicet laudem, & fructum, & comedere & bibere.* Ipsi enim benè prædicant de veritate, sed hæc tria quærunt.

Sed dicet aliquis. Nonne si ipsi prædicant, debent de Euangelio viuere; quia dicit Apostolus 1. ad Corinth. 9. *Ordinauit Dominus ijs qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere?* Et Ego dico quòd hoc verum est de illis qui prædicare tenentur; quia si Presbyter vester, qui vos debet regere & docere, esset in tali statu quòd vestrô subsidiô indigeret, deberetis sibi subuenire. Sed Benedictus Deus, Ecclesia non est hodie in tali statu quòd indigeat subsidiô tali.

Item aliud Signum, per quod cognoscuntur falsi Prædicatores, est *Si sint impatientes, & non possunt sustinere quòd veritas de eis dicatur.* Vnde ad Philipp 3. *Videte canes, videte malos Operarios, videte concisionem.* Glossa. *Canes Id est Pseudo;* qui dicuntur canes; quia secundùm Augustinum *canis est, qui si videt hominem alienum intrantem domum, latrat;* sic & ipsi, si videant quòd aliquis veritatem de eis prædicat, recalcitrant.

Item aliud signum est ad hoc; scilicet, *Si habeant verba pulchra & ornata, quibus multos ad partem suam trahunt.* Vnde super illud 2. ad Corinth. 7. *Neminem circumuenimus* dicit Glossa. *Fraudulentâ sui ablatione, sicut Pseudo qui vestra blande auferunt.* De hoc dicit Dominus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ, qui comedetis domos Viduarum orationes longas orantes.* Glossa. *Qui vestrâ superstitione nihil intenditis, nisi vt præ-*

Digitized by Google

dam de ſubiecta plebe faciatis. LONGAS *orationes orantes.* Gloſſa. *Qui vt religioſiores appareant prolixiùs orant;* & ſubdit. *Quorum oratio eſt in peccatum.*

Item aliud Signum eſt, *Quòd veri Prædicatores non illuc vadunt prædicare vbi eſt abundantia Prædicatorum, ſed vbi nulli ſunt qui verbum Dei annuntient.* Vnde dicit Apoſtolus ad Rom. 15. *Sic prædicaui Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus; ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Qui autem voluntatem habet prædicandi, debet ire ad Sarracenos & infideles, vbi nullus eſt qui prædicet. Et ideò quando videritis tales Prædicatores, qui ibi prædicare deſiderent vbi eſt copia Prædicatorum; & volunt ibi prædicare vbi non eſt indigentia & penuria Prædicatorum; ſciatis eos eſſe non veros Prædicatores.

Item aliud Signum eſt, *Quòd veri Apoſtoli patientes erant & contumeliam pro Chriſto ſuſtinebant;* quia, vt dicitur Act 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Vnde dicebat eis Dominus Matth. 10. *Ecce Ego mitto vos tamquam Oues in medio Luporum;* quia Agnus omnia quæ Lupus ſibi facit ſuſtinet. Gloſſa. *Sicut miſit me Pater ad paſſionem, ſic & Ego mitto vos; non ad gaudia, ſed ad paſſiones.* Qui enim prædicationis officium ſuſcipit, mala non debet inferre, ſed ſuſtinere; & hoc in ſe Chriſtus oſtendit. Vnde 1. Petri 2. *Qui cùm maledicerétur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Sed quando tales videbitis, qui nihil poſſunt ſuſtinere; ſed ſi irrogetur eis iniuria vel violentia, current ad Curiam Papæ, & impetrabunt literas excommunicationis; & ad Principes Sæculares, vt illi, qui eos moleſtant, incarcerentur; tales debetis falſos Religioſos reputare.

Item aliud Signum eſt *Quòd Apoſtoli Chriſti in primo fuerant valde deſpecti & exoſi, in tantum quòd etiam occiſi ſunt; ſed nunc propter eorum occiſionem & mortem Prælati Eccleſiæ grati & accepti ſunt;* quia dixerat hoc Dominus Apoſtolis Matth. 10. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Et Ioan. 16. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Quia illi, qui occidebant Sanctos Martyres, credebant benè facere, & propter Deos quos colebant. Vn-

de si videritis aliquos, qui se dicant Apostolos Christi, & si in primo sint grati & accepti, in fine verò cognitis eorum operibus sint despecti; Signum est quòd non sint veri Christi Apostoli, cùm de illis è contrario fuerit. Vnde sic dicitur 1. Ioan. 5. *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Sed isti sunt in principio magis quàm in fine.

Item aliud Signum est *Quòd veri Apostoli non suum, sed Christi honorem quærebant*; quia dicitur Psal. 113. *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Et Dominus ait Lucæ 17 *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.* Sed quando videritis tales, qui suam gloriam & non Dei quærunt dicentes. *Nos illuminauimus Ecclesiam, & eiecimus homines de peccatis, & ostendimus viam veniendi ad vitam*; talibus non credatis. Audiui quòd quidam Religiosus in quadam ciuitate prædicabat, & dixit. *Ordo noster valde est exaltatus; quia ante Ordinem nostrum totus mundus fuit in tenebris. Sed venit Beata Virgo, & cecidit Filio suo ad pedes, & iacuit ante ipsum per tres dies, & dixit ei Dominus, vt peteret quod vellet; & ipsa tunc dixit, quod vellet vt fieret vnus Ordo qui totum mundum illuminaret; & Dominus concessit ei; & ipsa tunc dixit eiidem vt faceret Ordinem, & iste Ordo noster est; vnde non est mirum, si sit exaltatus.* Sed iste non fecit sicut Apostoli Christi, quibus dicitur quòd debebant dicere *Serui inutiles sumus.* Vnde iste reprehensus fuit quòd hæc dixerat, & compulsus fuit ab Episcopo, quòd diceret coram omnibus se mendacium protulisse. Vnde, *Charissimi*, ab istis falsis Apostolis valde est cauendum.

Explicit Sermo Magistri Guillielmi de Sancto Amore
In die Sanctorum Apostolorum Iacobi & Philippi,
cum omnibus aliis eius operibus quæ reperiri
potuerunt; atque adeò

Benedictus Deus, qui pessimis istis temporibus dixit
lumen splendescere de Tenebris
Amen. Amen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA DI LIBRI
R. CICCIORICCIO
Borgo Vittorio, 26
ROMA
Digitized by Google